42267

342267

Digitized by Google

13598
Je 82 f. 1101

Ego petrus martinus
lemaistre le fils

anno 1750

Borel

(Pierre)

Digitized by Google

342267

PETRI BORELLI, MEDICI REGII CASTRENSIS.

HISTORIARVM, ET OBSERVATIONVM Medicophysicarum, Centuriæ IV.

IN QVIBVS NON SOLVM MVLTA utilia, sed & rara, stupenda ac inaudita continentur.

ACCESSERVNT

D. ISAACI CATTIERI, Doctoris Monspelienſis, & Medici Regij, *Obſeruationes Medicinales raræ*, DOM. BORELLO COMMVNICATÆ:

ET

RENATI CARTESII VITA eodem P. BORELLO Authore. Quæ omnia nunc primùm in lucem prodeunt.

BIBLIOTHEQUE DE LA VILLE LYON 1886

PARISIIS,

Apud { IOANNEM BILLAINE, sub ſigno S. Auguſtini. ET Viduam MATHVRINI DVPVIS, sub ſigno Coronæ Aureæ. } via Lacobæa.

M. DC. LVI.

CVM PRIVILEGIO REGIS.

BIBLIOTHEQUE DE LA VILLE

In lib. de Hamel. 5.

31229?

PETRI BORELLI MEDICI REGII CASTRENSIS

Digitized by Google

NOBILISSIMO, AC CLARISSIMO VIRO DOMINO, DOMINO,

GVILLELMO BOREEL,

EQVITI, BARONI, VRENOVÆ, D'VYNBEGVÆ, STEELANDT, &c. DOMINO, ac Belgij vniti apud Gallos, Legato Dignissimo.

CVM tuis planè cumulatus fuerim beneficiis, (LEGATE AMPLISSIME) amplius gratitudo mea ferre nequiuit, quin tibi munusculum quoddam offerrem, cumque adhuc operi nulli notando finem imponere valuerim, hoc tanquam maioris præcursorem benignè excipe, tanquam à viro tibi addictissimo, virtutisque tuæ ac ingenij & doctrinæ suspiciendæ admiratore promanante: ô vtinam tibi similes forent Tantali illi qui diuitiis cumulati & in iis mento tenus immersi, gloriæ & laudis perpetui candidati sunt, nec ta-

men literatos à quibus gloriam illam aucupantur, vllis officiis vel beneficiis obstringere valent, tu econtra non requisitus multis amicos excipere beneficiis delectaris, tu habes etiam scientiæ riuulos perennes quibus eorum animos potare soles, tu omnibus modis eos tibi deuinctos reddis, seruosque facis voluntarios, tu Loto Homerico similis es, qui .n. te semel degustarunt, patriæ immemores, à te non amplius recedere possunt, tu Syrena existis quæ vocis tuæ suauitate auditores tuos cathenis aureis instar Herculis gallici vincire soles; Non hic Nobilem & antiquissimam prosapiam memorare opus est, tu solus satis superque propriis vndique fulges virtutibus, vale vir præstantissime meque semper amore tuo dignare.

EXCELLENTIÆ TVÆ,

Addictissimus & obsequentissimus seruus, P. BOREL.

LECTORI BENEVOLO.

CVm rarioribus naturæ ſpeculationibus (Lector benevole) diu operam cum maximis laboribus & vigiliis dederim, non ſolum animalium, mineralium, & plantarum hiſtoriæ, ſed etiam artibus fere omnibus, & ſcientiis *curioſis*, præſertim Hermeticis, & Galenicis diſciplinis, de quibus omnibus ingentia volumina, maxima cum ſedulitate Collegi, quæque tibi à longo tempore deuoui, ab vtiliori nempe ab obſeruationibus meis Medicis incipere placuit, Medicos enim naturâ prudentes intereſt, in exemplis, ex Zacuto Luſitano exercitari; in meis autem multa vtilia, ſimulque rara, & inaudita inuenies, quæ initium librorum meorum erunt, ſi tibi placuerint, vt & finis eorum, ſi tibi diſplicuerint.

Video quidem multos de hiſce obſeruationibus dubitaturos, ſed videant Holleriũ, de puella ſine oſſibus duris nata, videant Marcelli Donati, Skenkij, & S. Goulartij hiſtorias prodigioſas, vt & Lycoſthenem de oſtentis, & de hiſce poſtea non dubitabunt. Zoilos autem ad Epiſtolam ſuperiorem, & ad perorationem meam mitto, in quibus quæ ipſos attinent, reperturi ſunt. Vale.

In obſeruationum ſtupendarum, ac inauditarum, P. Borelli, Centurias.

CVi iuueni tantam dedit experientia lucem,
Tale vt promat opus: quam dabit illa ſeni?

RAIMVNDVS GACHEVS, P. Eccl. Carent.

ΠΡΟΣ ΤΑ ΦΥΣΙΟΛΟΓΙΚΑ; ΚΑΙ Γαρεικα συγγράμματα ἐ εἰδήσεως περατώδους, αἰθρὸς πολυμύσου, καὶ Γαρδν τὸ παὶν κύειν τὸ Π. Βορέλλυ.

ΑΝΔΡΕΟΥ ΚΑΝΔΟΜΕΡΚΟΥ.

Τετράστιχον.

ΜΟΥΣΙΚΑ παντα μαθὼν, φύσεως θαυμαζὰ μαλεύων
ΒΟΡΕΛΛΟΣ μύσαις ταῦτ' ἀνέθηκε γεραιῶν.
Καὶ ὅτι σιν ἄκρης Φυσικῆ περατῶδες ἔδειξεν
Εἶδος τὶ ἀνδρόξον καὶ συνέταξεν ἔδος.

IN PRODIGIOSAS Phyſicæ, & Medicę artis Obſeruationes D. PETRI BORELLI, non vulgaris ac proletarię eruditionis viri, ſed reconditioris, ac penitioris literaturę, & apud Caſſeronenſes, doctrina ceu vſu ſpectatiſſimi Medici.

ANDREÆ CAMPDOMERCI
Iudicis majoris Carmanienſis.

TETRASTICHON.

EDidit has celebri BORELLVS Pallade chartas,
Vnde queant vſu Pharmaca mira legi:
Et veluti calamo cedris digniſſima pingit,
Panget eis ceris nomen vbique memor.

IN DOMINI

P. BORELLI,

MEDICI REGII,

OBSERVATIONES Medicophyſicas.

VAldè obſeruaſti Magni documenta Draconis,
Qui vult vt ſegnes, otia morte luant:
Nam diuturna tuæ promis monumenta ſophiæ,
Hinc fit quod volitás docta per ora virûm,
Perge BORELLE tuis claris palleſcere chartis
Funereum ſuperat garrula fama rogum.

IACOBVS CONRART.

CETTE EPIGRAMME
a esté enuoyée à l'Imprimeur, comme il alloit faire la closture de ce Liure, par Monsieur Boné, Aduocat en la Chambre de l'Edict, seante à Castres, & Substitut de Monsieur le Procureur General en icelle.

A MONSIEVR BOREL
Medecin de Castres.

EPIGRAMME.

BOREL quoy que des doctes sœurs,
Pour moy les sources soient taries,
I'implore encore leurs faueurs,
En l'honneur de tes Centuries,
Ce bel ouurage nous fait part,
Des plus hauts secrets de ton Art,
Sans les cacher d'vn soin auare:
Mais dans ce curieux écrit
La merueille de ton esprit,
Est ce que ie voy de plus rare.

IN PRODIGIOSAS PETRI BORELLI, Medici Regij, Obſeruationes, quarum cauſas exponit.

TETRASTICHON.

SI nil mirari faciat nos eſſe beatos,
Muſa velut pulchrè nos Venuſina docet.
Tu nos Naturæ pandens effecta beatos
Eſſe facis, mirum quos nihil eſſe doces.

AD EVNDEM.

MIranda exponit Naturę effecta Borellus,
Non mirum eſt, miro cum ſit is ingenio.

Addictiſſimus Io. ALEGRIVS.
I.D.E.I.C.E.C.A.

IN LAVDEM ERVDITISsimi viri, Petri Borelli Medici, eiusque obseruationes Medicophysicas.

FRendeat ira minax, exanguis liuor, & ignes
Durabit tuus hic, docte Borelle, liber
Vtilis est etenim nimium mortalibus ægris
Vt tenebris illum mors properata tegat:
Es breuis & clarus, nullaq; ambage relicta
Admiranda refert pagina docta tua,
Hic nudo vultu, velis natura remotis
Se præbet curis ingenioſa tuis.
Exangueſque doces torquentes corpora morbos
Pellendi methodum, Nec via difficilis.
Ergo diù poſſis doctos depromere libros
Venturis proſis ſemper vt arte tua
Incipe naturæ portas reſerare profundas
Democrituſque tuus prodeat in medium
Tandem vt ſis notus cunctis, fulcrumque laboris
Mæcenas adſit qui velit eſſe tui.

G. S. C.

IN DOCTISSIMAS PETRI BORELLI Medici Centurias Medicophyſicas.

CEnturiis falſis (rerum dum fata requirit)
Grandia tentauit dicere Noſtradamus,
Aſt veram video famam portendere poſſe,
Centurias doctas quas habet iſte liber.

Ioh. Laurentius Rubricampius,
D. Medicus.

IN EIVSDEM PETRI BORELLI Obſeruationes Medicophyſicas.

QVI Patriæ voluit primo celebrare libello
Laudes, nunc Medicis vtile condit opus.
Non melior Ciuis, Medicus non doctior alter,
Partes Borellus implet vtraſque meus.

P. Galutus SS. Theologiæ
Candidatus.

Δ. Π. ΒΩΡΕΛΛΩ ΑΥΤΟΔΙΔΑΚΤΩ

ΧΑΙΡΕΙΝ.

Πάγχρυφα τῆς Φύσεος κλυτὰ ΒΩΡΕΛΛΕ φιλητὴς
Εὕφυος ἀνδράσιν φαίμακα γεῖα φυὰς
Θαύματα τῆς γαίας ὠδίπαν μᾶς χάλεπα βάλλειν.
Ὄμματα τῶντε Θεῶν δοῦσι σὲ, τῶντε ἀνερῶν.

Κ. Δ. Β. Α. ΒΕΛΛΑΚ.
δοῦλος τῦ Θεῦ.

DIPLOMA REGIVM.

CAutum est Regio Diplomate 10. Nouembris 1653. ne quis hasce *Obseruationum Centurias Petri Borelli Medici Regij*, in lucem edat absque eius licentia, ne pœnas eius incurrat. Dictus vero Borellus ius suum pro prima earum editione tantum, Iohanni Billaine, & Mathurino Dupuis, concessit anno 1656.

Errata & Additiones.

PAgina 4. linea 11. adde in horto farnesio. p. 10. circa finem, pro britannia, lege occitania. p.11. l.2. pro &, lege ea. p.13. l.1. vomita, lege vomitu. p.15. l.19. pro excoria, lege excoriari. p.27 l.penult. lege existimat. p.29, l 14. mulieres, lege muliebres. p.32. l.penult. lege epilepticus. p.41. l.penult. qua, lege que. p.65. l.10. lege euomuisse. & in antepenult. lege lacescere. p.69. l.3 lege admotione. p.83. l.1. lege fistulæ insignis. linea 17. lege vnguenti vsu. p.88. Obs.89 l.1. lege vermem crassum. p.90. Obs.92. linea 2. lege rogatæ. p.100. l.1. conclusionis, lege Centuriam primam. p.102. l.vlt. lege parans. p.114. Obs.12. lin.5. lege illos. p.133. l.15 lege paucis. p.139. l.2. dele eadem. p.148. Obs.52. l.5. lege nasi. p.161. l.2. lege tangentibus. p.162. l.penult. pro ni. lege in. p.165. obs.69. l. 5. lege indusia in iis. l.14. lege inimico. p.166. l.9. lege vel terra p.172. l.13. leg. meri portione. p.180. obs.88. l.1. lege allij. p.186. p.6. lege scrinio. p.197. l.8. lege Boreelli. p.206. l.14. lege alpuit. l.18. lege & lacerto. l.20. lege ex ore. p.207. l.3. lege prouecta. p.225. l.antepenult. l. visaque. p.226. obs.38. l.8. lege vero. p.232. obs. 46. l.11. pro ego, lege meque. p.236. l.11. lege dracunculi. & animalia. p.248. l.13. lege inuitis. p.249. l. vlt. lege & canis. p.256. obs.7. 6. l.4. lege crassissimum, p.257 l.3. lege comprobatam. p.259. in titulo, lege inaudito. p.264. l.2. lege alios nitidissimos & obs.86. l.5. lege ignei. p.267. obs. 89. l.14. lege auctum. p.271. l. penult. lege ficu. p.275. l.3. epilogi, lege volui. p.278. l.5. lege carnes in artocreate. p.285. obs.8. l.3. lege curruum. p:290. in titulo obs.15. lege noxa. p.294. obs.21. l.5. lege excoriatiunculis. p.308. l.1. lege conspicui, l.2. lege visi. p.318. l.4. lege alia. l.7. lege cornibus. p.328. in titulo obs.63. l. myristicæ, p.333. l. superantes comprobatur. p.339, obs.76, l,10, larde, lege rade. p,335. l,5. lege est yt ante, &c.

IN OBSERVATIONVM Medicophysicarum, Petri Borelli, Centurias, Præfatio.

QVemadmodum Architecti dirutas domos arte sua reparant, sic etiam, Medicinæ ars cælitus ad nos demissa, corpora infirmiora auxiliis suis ad pristinam sanitatem reuocare potest, quod & quotidiana testatur experientia, & innumera languentium ægrorum ad sanitatem reuocatorum caterua, acclamatione frequenti, plausuque suo quotidiè comprobat, & profectò quid magis rationi consentaneum est, quam Diuinæ huic arti, quam Reges, quam Heroës, quam Prophetæ, quam Christus ipse professi sunt, debita reddere elogia.

Εἷς Ἰατρὸς ἀνὴρ πολλῶν ἀντάξιος ἄλλων,

Quid etiam absque sanitate diuitiæ, honores, aliaque omnia vitæ humanæ solatia prodesse possunt, si morbi cruciatibus crudelissimis, interea, dies æger distorqueatur, *quid sibi diuitiæ si non conceditur vsus,*

quo igitur nomine, absque Medicina, vita nostra insigniri debet? nil profectò nisi carcer perpetuus, sepulchrum ambulans, & ærumnarum phalanx vocari posset, à corpore enim nostro, tanquam ex equo Troiano, morborum Ilias indesinenter erumpit. Ad Medicinam igitur tanquam ad vnicum salutis portum nobis recurrendum est, cum in illa dolorum omnium leuamen, & solatium reperiamus, & per illam amissæ sanitatis restaurationem comparare valeamus.

Cumque vnicuique Medico glorioſum sit aliquem attuliſſe lapidem ad hoc Υγείας palatium constructum, inter tot gemmas, & marmora pretiosa à Medicis, Græcis, Arabibus, Latinis, Gallicis, Germanis, Hispanis, Italis, & Anglis, collata, lapillos etiam quosdam afferre volui, vt saltem aliquid me voluisse, in eo quod valui, pateat.

PETRI

PETRI BORELLI MEDICI REGII, CASTRENSIS HISTORIARVM, ET OBSERVATIONVM RARIORVM Medicophysicarum, Centuria.

De planta Aloe, caulem molis ingentis cum strepitu emittente.

BIBLIOTHEQUE DE LA VILLE LYON

OBSERVATIO I.

MIRANDVM profectò valdè quòd miraculum miraculorum Naturæ, ab omnibus authoribus Botanicis derelictum, & silentio obrutum fuerit. Aloë planta omnibus nota, in regionibus calidis frequens, cum sine caule remaneat per longum tempus (quod ad centum annos quidam pro

trahunt)tandem erumpit cum fragore,& strepitu; impetuq; facto tota in truncū conuertitur,& corā mirantibus hominibus incrementum tantum suscipit, vt etiam quercum mediocrem æquet, id est, triginta circiter palmorum altitudinem, & fæmoris crassitiem, floribusque in summitate decoretur. Quodque magis mirandum, intra paucos dies, vtpote quatuor, vel quinque, hanc molem attingit, adeò vt incrementum eius, etiam oculis percipi possit. Tale quid visum nuper apud Monspelienses, & alias vrbes eiusdem Prouinciæ, vtque in Catalaunia; viderunt populi integri, viderunt amici mei, vidi ipse, anno 1647. & adhuc videri potest in horto D. Perier, Pharmacopœi Monspelienſis: quod miraculum non paruum ei lucrum attulit. Planta hæc tandem, marcescit nimio illo conatu nec tamdiù latuerat, nisi vt collectis viribus illud ageret, spiritus eius architectonicus. iisdem vti possem rationibus in hac obseruatione, quibus vsus sum in obseruatione, de puero subitò ad ingentem molem aucto, tamen licet de hac re tractatum integrum conficere decreuerim, quædam breuiter attingam, si prius dixero, antea idem contigisse in vrbe piscenensi, in eadem Prouincia,& in conspectu Regis nostri, & Cardinalis Richelij, multorumque magnatum, vbi intra 36. horas ad 28. palmos excreuit, & eius figuram delineandam curauit à pictore eximio Rex illustrissimus Lvdovicvs XIII. hanc rem stupendam, silentio tamen prætereunt, Gualtherus Riff, Mathiolus, Dodoneus, Fuchsius, Dalecampius, Lobel, imò & Clusius qui ait se numquam eius caulem vidisse. sic centesimo anno nascitur lachryma cerui, palmaque arbor & ele-

phas fructum centesimo tantum anno proferunt. Certum enim tempus requiritur ad calorem, & vires acquirendas, quibus partes quædam animalium, vt cornua, barba, &c. protrudantur: vtque morbi quidam (vtpote canis rabidi venenum) 40. etiam annis in nobis latitant, & tandem dum materia coaceruata est, vnica die erumpunt, idem prorsus de Aloë dici potest, sic etiam asseueratur, prudentiæ symbolum, morum, seriùs folia cæteris arboribus emittere, quæ tamen vnicà fere nocte, & cum sonitu & fragore quodam educit. sunt etiam Nuces iuglandes quæ vnicà nocte, circa festum diui Ioannis, & folia & fructus producunt. quarum aquam potam curare Epilepsiam multi asseuerant.

Simili ergo pacto, viscosa hæc, & crassa Aloës planta, longum tempus insumit ad collectionem materiæ sibi necessariæ; quà collectà, facili posteà negotio à natura foras ejicitur, spiritu eius intrinseco materiam digestam, magnà copià inuehiente; rem hanc memoratu dignissimam tum ob effectum prodigiosum posteritati consecrandam esse non dubitaui. Hanc à nemine notatam vnquam fuisse crediderã, obseruationẽ, nec multum errabam cum in solis curis posterioribus cluſij historiam similem repererim quæ circa eandem regionem ferè accidit nempe Auenioni. sic enim loquitur. Auenioni in hortis D. donis Aloë post centum annos caulem emisit anno 1599. & intra 45. dies (credo legendum esse 4. aut 5. dies) excreuit ad 32. palmos 29. emittens surculos è cauli medio vt Mosis candelabrum referrent, & in fastigio Hastulæ Regiæ Valgis Valgos, non absimiles fecit croceos in suprema parte vt in rosis,

vndique accurrerunt homines ad hoc videndum. Dioscorides ei Flores albos tribuit, & Plinius, lib. 27. cumque sit species semperuiui vocatur enim semperuiuum marinum obseruandum erit, an subito vulgare semperuiuum etiam excrescat. Alter botanicus peritissimus mihi nuper asseuerauit hæc non solum vera esse sed etiam terræ motum facere nascendo. & vltimo D. Le Fevre trecensis Medicus mihi ore proprio confirmauit se Romæ vidisse aloem inter quatuor dies caulem mittentem.

Quomodo dentes, fuso, & digitis, ab Empyricis extrahantur.

Observatio II.

Multi quotidie mirantur quorumdam nebulonum dexteritatem in auellendis dentibus, & ipse olim miratus sum, dum vnum eorum equo insidentem eos fuso, ense, ac digitis auellentem vidissem, sed cum nuper ab vno ipsorum didicerim quo pacto illud peragatur, breuiter illud dicam, quosdam homines pecunià corrumpunt, quibus dentes quidam deficiunt, iis alios auulsos dentes appropriant, postea cum theatra conscenderunt, dum dentium dolore afflictos accersunt, accedunt isti, sicque facilè auelluntur eorum dentes, horum tamen gingiuas parum exulcerant, vt res meliùs, sanguine effuso, tegatur. Hoc exemplo reliqui accedunt, quibus non pari negotio dentes auelluntur, sed cum fer-

ro cessario absconso, & cum ingenti dolore, at multis friuolis rationibus excusantur. aliæ, adhucque majores fallaciæ in medicina quotidie patrantur, vt cum calculos supponunt, dum temerè quosdam secarunt eos calculo detentos esse cum falsò asseueraſſent.

Caro nocte lucens.

OBSERVATIO III.

VIDERVNT innumeri apud Monspelienses, vidique ipse dum Medicinæ operam darem anno 1640. carnem veruecinam, nocte instar multarum lampyridarum lucentem de qua etiam in Academia Medica disputatum fuit, sed cum nihil in publicum de hac re editum fuerit, fuerimque frustuli, illius carnis lucentis possessor, de hac re inaudita obseruationem facere volui, quidam putabant id à peculiari planta à veruece comesta prouenire, reperiuntur enim plantæ noctu lucentes, vt fungus stellatus, & Baaras, alij à quadam putredine, vt in lignis putridis, no ctè lucentibus, vnde pestem nuntiabant futuram, alij à magica quadam virtute. Sed ego existimo quod ex membranis quibusdam viscidis lucem solis, (vt lapis Bononiæ dictus qui soli expositus deinde in tenebris lucet) aliquandiu captiuam retinentibus, illud fieri potuit. sic oculi multorum lucem solis aliquandiu retinent, adeo vt post solis aspectum, in parietibus solis figuras à speciebus eius reseruatis cernant, vel in tenebris vt Tiberius videant sic etiam lucent noctu lam-

pyridarum ventres, lingua milui marini, squamæ quorumdam piscium, equorum sudores, saccharum cultro tritum, &c. Vel cum triplex sit ignis lucens & vrens, vt culinarius, vrens & non lucens, vt caustica, & lucens & non vrens, qualis fatuus & lambens dictus, huic vltimo similis esse potuit iste de quo agimus, nam vt ignis ille lambens, adiposa loca, cæmeteria & cloacas pro matrice habet, sic adeps, vel alia materia apropriata veruecis nostri potuerunt accendi ab eo, idem visum etiam in quibusdam piscibus frustulatim sectis, noctu enim lucem fudisse mihi assertum fuit.

Autumarem etiam igneum calorem partis lucentis, aëris partes densiores inflammare, vnde lux ad paruam emitti potuit peripheriam, lumen autem illud est tantum aër accensus, transmutantur enim vicissim elementa, hæc est etiam admirandi D. Peirescij, Doctorum Mæcenatis incomparabilis opinio. vt ex eius vita, à doctissimo & curiosissimo D. Gassendo edita patet. sic enim aër à sole quotidie accenditur vnde lux diem faciens, ortum ducit, multo subtilior quam quæ ex aqua vitæ accensa, quæ vrit quidem sed sine manuum læsione, in aëre autem est, quædam substantia quinta, aquæ vitæ summè rectificatæ, cælique naturam retinens, quæ sic à sole, sine indiuiduorum læsione accenditur, optimum spirituum nostrorum pabulum, & occultus vitæ cibus vt cum heroë Cosmopolitano loquar, quod autem lux à certis quibusdam rebus retineatur per aliquod tempus patet in oculis felium, luporum, &c. Et quandoque in nostris, vt quibusdam mihi notis accidit, qui noctè expergefacti

media, omnia clarè, luna non fulgente, cernebant. huius obseruationis testis fuit clarissimus Bartholinus vt libro suo de luce retulit, ego vero bis Lutetiæ idem abhinc vidi, & semper hyeme quare existimo id à membranarum quadam congelatione prouenisse.

Hydrocele, seu hernia aquosa instar capitis, breuiter curata, item lapis in cystide fellis, vlcereque tibiæ, vt & os cruciforme in liene.

OBSERVATIO IV.

D. Luques Peritus Chirurgus Albigensis, quo operante insignem curaui in nobili domino, cuius nomen taceo, hydrocelem, mihi raras quasdam obseruationes communicare dignatus est. sed antequam ad illas accedam breuiter accipe quæ in testiculi illius hydrope facta fuerunt. Primò, Consilio D. Ferrandi peritissimi Medici Castrinouidarensis, & meo, Ialapio purgatus fuit, postea fotus emollientes & discutientes admoti, & tandem lanceola perforatus, in parte decliuiori scroti, vitando testiculum, & lineam, interstitium inter testiculos facientem, ictus autem transuersi digiti profunditatem attigit antequam aqua exiuerit, quæ iteratis vicibus extracta fuit, clara & non fœtida, eaque ad libras duas, cura hæc satis rara fuit, cum paucis post diebus ad negotia iuerit.

Ille idem Chirurgus mihi retulit, se ab vlcere antiquo lapidem tophaceum, nigrum, durissimumque extraxisse. & postea vlcus, antea incurabile, facilè curasse. item lapidem amygdalæ magnitudinis è fellea cystide ictero laborantis detraxisse, bilis autem, loco suo à lapide occupato, per totum corpus regurgitarat. Idem, in liene alterius os cruciforme inuenit, quod tamen existimo fuisse vasorum orificia durefacta quæ obcalluerant, vt in corde boum, & equorum sæpe accidit, taleque est, os de corde ceru dictũ, quo in Medecina vtimur aduersus venena.

Lapis in vesica bouis insolitæ figuræ.

OBSERVATIO V.

NOTANDVS lapis qui mihi à D. Gabriële Ducros Medico collega meo, ostensus fuit, è quo bos eius occubuit, est durus & quasi metallicus, in tres partes quasi diuisus ac si globuli tres conjuncti profundè fuissent, in meatu vrinario repertus, talesque aiunt rustici, eiusdemque figuræ in bobus repertos fuisse. vt autem de hoc quædam dicamus, sciendum est, lapides, vt vermes, in omnibus animalibus, inque eorum omnibus partibus generari, vt exemplis confirmare possem. lapis iste bouinus notus fuit Arabibus, & vocatus ab iis Alcheron Haratzim, ex Anselmo Boethio, lib. de Lapidibus, valetque ad calculum, ad epilepsiam, ad venena, & ad visum acuendum.

In aliis boum partibus reperiuntur etiam lapides, vt in capite & matrice vaccarum ex Plinio, & in felle ac pulmone boum ex Cardano & Bodino. Non antem miror quod gignantur hi lapides cum quotidie talia cernantur, cumque vesica etiam, fere integra cuiusdam nobilis mihi noti fuerit lapidefacta, & cum fœtus integer in vtero materno aliàs lapidefactus in Gallia visus fuerit, de quo liber doctissimus, de Lithopœdio, extat; sed miror quod adeo paruo lapillo tantæ molis animal corruerit. generatus fuit lapis iste calore, generantur tamen quandoque frigore, sed vt plurimum festucam vel aliquid aliud pro basi, vt grando, & Bezaar habent, circa quam materia cuticulas efficit ex vrinæ sedimentis, & sic vt cæpe, lapis cuticulatim accrescit, quandoque etiam & vt plurimum ægri facultas quædam lithopoietice humores tartareos coaceruans illud præstat; sunt enim spiritus quidam lapidifici qui è cauernis erumpentes, quandoque obuia quæque in lapides vertunt, vt videre est apud Vvitflietum, & Auentinum in hist. Bauariæ, in qua ait 40. pastores cum vaccis lapidefactos fuisse. Sunt & aquæ talem habentes virtutem, nam.

Flumen habens Cicones, quod potum saxea reddit
Viscera, quod totis inducit marmorea rebus.

Fontes tales in Diœcesi nostra duos habemus, à me primo vulgatos, de quibus alias multa dixi in libro meo Antiquitatum Castrensium.

Febres malignæ, auro soluto curatæ.

Observatio VI.

Multis exantlantis laboribus & vigiliis in arcanis naturæ perquirendis, secretum auri soluendi tandem nactus sum, id est menstruum benignum amicè aurum intra paucas horas soluens, & sine fumo, imò sine igne, quod dissolutum potest ad salis naturam, & olei reduci, cuius grana, tria, quatuor, vel sex, iuxta ætates varias propinata, intra quatuor horas circiter, sudoribus copiosis febres malignas purpuratas, epidemicas, & pertinaces curarunt, huius effectus miraculosi, quater, vires admiratus est, oculis propriis Iacobus Brossonius Pharmacopola Monspelienſis, qui ipse expertus est, accepto olim à me illo secreto non mediocri. ne autem ab inuidis mordear, aliisque similis fiam, qui res proponunt non edocent, sciant lectores qui hermeticæ scientiæ riuulos perscrutantur, è roris spiritu illud factum fuisse, iuxta Sendiuogij doctrinam, at dicent rursus multi, cur non eius copiam mihi comparo? sed sciant expensas lucrum superare.

Notandum est collectores auri fluuij Gard in Britannia inferiori iuxta vrbem Vigan asserere, roris guttans vnicuique auri Paleæ adhærere mane in arena, eâque nutriri.

Rorem illum coctione longa abhinc nigrum, albissimum & citrinum reddidi, sed sine proiectione fuit. Cum linteis baculis alligatis è pratis

& ſegetibus, procul à fluuiis & tempore ſereno colligitur, & in vaſis torquendo, deinde filtratur & coquitur donec euaporauerit tota aqua, & tandem aëri & radiis exponitur aſtrorum, & è cryſtallis in eo generatis elicitur ſpiritus.

Claudi duo ſponte facti à natura, anno eodem quo pater caſu claudus factus fuerat.

OBSERVATIO VII.

INter admiranda recenſeti poteſt caſus ſequens In ſuburbio quodam prope Tholoſam, villici cuiuſdam genu, anno 15. ætatis ſuæ ictu luxatum fuit vnde per totam vitam claudus factus eſt, poſt illum ictum vxorem duxit, & duos ab illa ſuſcepit pueros rectos, & probè conformatos, vſque ad annum decimum quintum, ſed quindecimo elapſo, ſponte ſuà, genuum eorum oſſa luxata ſunt, vitio patris in iis hereditariè experge facto, & eodem anno in iis erumpente, quo ipſe luxatus fuerat, quod certè rarum & admirandum, ſimulque veriſſimum accidens, volumini integro materiam præbere poſſet, ſed ſufficiet mihi ſi dixero, ſemen eſſe puriorem totius ſanguinis ſubſtantiam, & ab omnibus corporis noſtri partibus defluere, vnde ideam, & formam earum, ſimulque vitia, & morbos parentum ad filios transfert. Non autem hæc ſtatim ab ortu apparere ſolita ſunt, quia matris ſemine vitia illa quodammodo corriguntur & retunduntur, ſed tandem poſt va-

riorum annorum pugnam, semen virile muliebri prædominatur, vel è contra, indeque, vt loquuntur Paracelsus, & doctissimus Seuerinus Danus, id ad quod prædestinatum est, accidit, & sic non mirum si sedem suam prauam capiens, luxatio naturalis subsequatur.

D. le Faucheur Pastor Ecclesiæ Carentonienſis nouit virum rectum qui tres duxit vxores rectas etiam, & tamen omnes eius filij Claudi fuerunt. Id ergo fiebat à vitio hereditario auorum in iis resurgente, hinc enim fit vt filij, vultu vt plurimum auum vel atauum referant & non parentes.

Tumor vento plenus.

OBSERVATIO VIII.

D. Petrus Duncanus Montalbanensis sequentem mihi communicare obseruationem dignatus est. D. de Salinis nobilis Benearnensis morbo cronico diù detentus, tandem inflammationem gutturis, & spinæ dorsi tumorem passus est quibus periit dissecto cadauere, omnia viscera sana reperta sunt, & tumor ille dissectus nil nisi ventum emisit, necesse est igitur venenatam quamdam in hoc vento incluso latitasse auram, vt loquitur Zacutus Lusitanus, vel aërem ibi à calore debili generatum, & corruptum medullam infestasse spinalem, cuius affectus periculosissimi sunt, quia substantiâ eadem qua cerebrum constat, est enim cerebrum oblongatum & eius appendix.

Piscis viuus vomita reiectus.

OBSERVATIO IX.

IDEM amicus rariorem hanc historiam mihi communicauit. Vxor Domini de Parasols nobilis Aquitani, diuturno stomachi dolore detenta, nullis remediis vnquam leuari potuit, tandem vomitu prouocato piscem viuum sex digitos longum euomuit res autem hæc certissima est & à multis aliis Medicis mihi confirmata, cuius casus non aliam causam agnosco nisi quod paruulus piscis cum aqua, horis nocturnis, deglutitus fuit, & sic in stomacho incrementum accepit, sic enim in poculo dum bibere vellem, pisciculos aliquando deprehendere mihi contigit, sicque in nobis serpentes, ranæ, &c. generantur, semine, ouisque eorum vel iis paruis cum aquis deglutitis.

Salmuth maiora narrat in Obseruationibus suis cum asserat embrionem humanum ab irrumatione natum in stomacho mulieris fuisse, & vomitu eiectum fuisse, quæ homunciones Paracelsi fieri posse confirmare videntur in vasculis ad ignem. Mediocrem quæ semen humanum contineant, vel sub gallina inter oua si reponantur, aut sub axilla, vt quidam Chimici faciunt, vt ignem sine expensis habeant. Reperta sunt oua vt videre est apud Aldrouandum, in quibus erant tanquam capita humana quæ creduntur sic facta ex sperm ate viri à gallina vorato.

Sericeum filum in supercilio mulieris vegetans, & aliæ insitiones admirandæ item de puella hirsuta.

Observatio X.

Mirabilius adhuc, & huc vsque inauditum est sequens accidens ab eodem amico mihi etiam communicatum. Domina N. vrbis Toninensis in Aquitania, vulnus in supercilio passa est, quod à Chirurgo filo sericeo crudo consutum, admouendis admotis, ad curam deductum fuit, tamen filum illud sericeum paruo post curam tempore, foras emergere visum est, quod cum ad nimiam accederet longitudinem, resectum fuit, sed semper crescens, sic per longissimum tempus multoties resectum fuit. De re adeo admiranda Petrus Duncanus Medicus Montalbanensis libellum composuerat, sed in lucem non editus fuit, quo autem pacto hæc admiranda substantiæ humanæ in sericnm metamorphorsis fieri potuerit, id vt opinor fieri nequit, nisi rerum diuersarum insitione facultas vegetans iungatur, cibumque per eas transeuntem sua qualitate permutet, vt in arborum insitione videre est, in quibus totius arboris alimentum in virgulti insiti naturam pertransit & eius fructus afferre solitus est, hæc vocari possunt transplantationes, quæ in nobis fieri possunt, non solum morborum, vt voluit Seuerinus Danus, sed etiam plantarum & animalium, visus enim est in Hispania pastor ætate no-

ſtra, qui rubum floribus coronatum in abdomine ſuo natum oſtendebat, quod irridebunt oſores mei ignari, ſed infra, eius rei optimum afferam teſtimonium. Hoc quidem valde rarum, ſed non ſine exemplo eſt, refert enim Ariſtoteles ſe hederam naturà cornibus cerui hærentem vidiſſe ſæpiſſimè etiam piſa & alia legumina, in aures caſu delapſa radices egiſſe reperta ſunt. De moro & ceraſo etiam in auribus natis reperiuntur hiſtoriæ: ſed cum viderim in patria vrbe puellam Germanam, Barbam dictam, toto corpore hirſutam, adeo vt in fronte, genis, naſo, &c. pilos ſubtiles & molles copioſos oſtenderet, barbamque longam albicantem inſtar venerandæ canitiei ſenis 80. annorum, imo ab aurium cauitatibus longæ comæ erumperent, non poſſum non dicere me credere id arte factum fuiſſe. Exiſtimo enim monſtra arte parari poſſe, vt in magia mea naturali exactiùs olim oſtendam: potuit enim excoriacorpus epipaſtico quodam remedio, & poſtea ſerico, cannabi, vel lino crudis tegi, imo fortaſſe lana recenter auulſa, vbi creuit in poſterum, ſicque poſſet fieri tranſplantatio ſerici in quadrupedibus, adeo vt ſericum verum in cute varia animalia, ferrent; multa enim iacent naturæ & artis arcana incognita ob hominum contemptum, vt videre eſt apud Baconem, lib. de progreſſu ſcientiarum.

Sic gallorum calcaria in capitibus eorum inciſis poſita, creſcunt & magna euadunt, ſicque poſſent etiam vlceratione vel vulnere facto, iungi duo corpora, imo cornua recenter auulſa in variis animalium partibus, nuperque vaccam cornua multa in pede habentem vidi, & de capra idem

legitur, quæ forsan sic peracta fuerant: sic etiam nunc noui dentes admouentur qui vitam contrahunt si à viuo auellantur animali, quod casu detectum fuit, cum enim quidam dentes duos amisisset ictu, idque ægrè valdè ferret ob deformitatem, eos subitò reposuit ioci gratia, & tamen radices egerunt & firmitatem pristinam sibi compararunt, qui Taliacotium de chirurgia curtorum, & historias Sennerti & Goulartij de nasorum, labiorum & aurium insitione legent, hæc non absurda inuenient.

Sic ergo sericeum filum se mulieris supercilio agglutinauit, vt vuis & aliis fructibus agglutinatur cuscuta, quod Lycosthenes ignorans, inter prodigia retulit, aliíque post illum, vuas barbaras visas fuisse scribentes, quod sanè lucri gratià, cuscutæ admotione tantum peractum fuerat, sic enim in amplam messem in vuis sola appositione crescit. sed vt ad rem reuertar, similem adhuc referam historiam quæ extat apud Massacum libro de Lymphis Pugiacis, sic autem loquitur.

Nascitur in plantis alieno semine planta
Humano mirum viguere in corpore plantæ,
Et gemmæ teretes, atque auri pura metalla
Nam vidi, & seruo, stupas, ex ore puellæ.
Aure, & nare, oculoque simul, simul atque pudendo,
Nuper decerptas, ima radice tenebant,
Donec maturis reparabat cornua phœbe,
Atque renascendo renouabat menstrua fibras,
Et turba obstupuere simul numerosa videntum,
Candorem niueum, benè olentem & iris odorem.
Monstratur vulso defixus & vnio denti,
Quique duo fuerant alter seruatur apud me.

Sic

Sic adhuc animalia in nobis naſcuntur & metalla, aurum enim repertum legimus apud Albertum magnum in cranio hominis mortui: nolo autem ſermonem facere de dente aureo pueri Sileſij, cum impoſtura ab aurifabro germano detecta fuerit, licet Rullandus & Ingolſtetterus de eo ex profeſſo ſcripſerint.

Hic debet etiam adjungi mira obſeruatio, dum curioſitatis gratia apum labores contemplarer, (in hoc Ariſtomacho felicior, cum vnicà horà, naturæ quodam fauore viderim, quod ei intra 48. annorum contemplationem apum, videre non licuit.) vnam vidi quaſi ſerto floſculorum coronatam, adeo vt eius oculi, & os, ſerto illo flauo tegerentur, & neſciret quo tenderet, hanc accepi, & vidi, (multiſque illud oſtendi) herbulam quaſi ſemperuiuum minus, cum duodecim caudiculis è cranio apis ortum duxiſſe: hanc adhuc ſeruo, vt increduli conuincantur, id forſan factum fuit quod ſemper floribus nutriantur.

Vtque melius res credatur, & pateat, me non nugas in publicum edere. hiſtoria paſtoris Tarraconenſis ſupra memorati in vita D. de Peireſc, Doctorum ac curioſorum Mæcenatis, his verbis legitur.

Prunulus in regione Thoracis medij, ſeu ad ſternum fruteſcebat, quoniam paſtor in prunulum incidit, & ſpina per biennium ad eam partem implantata ſic radices egit, vt poſt reſectos ſurculos varios, aliqui tandem prodierint in quibus flores & fructus viſi, & ipſe Peireſkius, vir maximi momenti, de cuius dictis, dubitare, non licet, dono tales ſurculos accepit. circa gallinæ

cuiusdam collum idem in Thuscia visum est, ideo non dubitauit quin cornua hædi, cornibus agnorum inseri possent quod si exequatur, mira profecto videbunt nepotes nostri.

Ego vero meliori iure non dubito, viscum quernum insitione surculorum eius in variis quercubus, adeo multiplicari posse, vt non amplius inter rara annumeretur.

Hic adhuc adiungam obseruationem D. Ioh. Solegrij peritissimi botanici, vidit ille veterem Carpionem è cuius cute capitis, muscus sine terra vlla prodibat copiosè, satisque longus, sic memoror me legisse dracones muscosos etiam visos, balenasque dorso viridi & herbis decorato, adeo vt quandoque anchoras in eas nauigantes projecerint, & in earum dorsis tabernacula posuerint, ignemque accenderint (mole enim sua insulam satis magnam æmulabantur) sed tandem calore penetrante recedebant, illos attonitos relinquentes. vide obs. 27. quæ quandam cum hac conformitatem habet. D. La Mothe le Vayer, narrat etiam in opusculis hominem Syluestrem Muscosum extitisse.

Ex Eusebio Nierembergensi in Historia Peregrina naturali legitur spicam farris Aretij in naso mulieris excreuisse ex Gualteri Chronico, & ex Plutarcho culmus hordei in vesica cuiusdam dysuria laborantis excreuit.

Idem Eusebius refert etiam virum fuisse, in cuius ore, naso ac auribus flosculi nati sint, citatque Conradum Rubeaquensem, & Vincentij speculum.

De ape etiam notandum quod ceram externè supra fœmora fert, & quod mel in stomacho af-

fert, quod parumper alteratum, & tanquam chylum vt pipiones euomit, cumque pauci sciant an illud, & quomodo gerat hanc nolui experientiam tacere, si enim apes separes in duas partes subito in iis inuenies instar grani milij mellis vesiculam quam si fugas dulcis erit.

Pili albi in pene adolescentis.

OBSERVATIO XI.

OBseruaui pilos albos in adolescentis pene repertos sterilitatem denotasse, talem enim vidi, albi autem fiunt à nimia frigiditate partium generationi dicatarum, vt in senibus ob pituitam prædominantem, quorum tamen pili in hisce partibus vltimi albescunt. Calor enim vltimus in iis partibus minuitur.

Obstructio magna, cum inguinum tumoribus.

OBSERVATIO XII.

ANtonius Donadille, & Antonius Lafon lanifici, eodem morbo detenti fuerunt, nimirum obstructionibus magnis cum tumore ac duritie totius abdominis, vrinæ difficultate, & tumoribus vtrinque ad inguina, longis, & duris instar cotis, tamen ad pristinam

reuocati fuerunt sanitatem sequentibus remediis.

Acc. fol. maluæ, bismaluæ, plantag. & absynthij ana manip. 1. florum Chamæmeli & melil. ana manip. semis. seminis fænu græci lini, & cumini ana scrup. 1. coque in vini albi. s. q. vsque ad consumptionem duarum partium, fiat fotus bis in die reiterandus, & post fotum sequenti inungatur linimento.

Acc. olei amygd. dulc. viol. lil. rosar. chamæm. & nardini ana vnc. semis. adipis anseris vnc. 1. ceræ s. q. fiat linimentum, in quo dissolue parum empl. de baccis lauri.

Ad dysenteriam remedia.

Observatio XIII.

DYsenterias magnas & diuturnas sæpe ad curam perfectam sequentium remediorum vsu deduxi.

Acc. fabarum cum cortice pulueratarum drag. VI. cariophyll. exsiccat. igne, numero, 8. misce, fiat puluis, postea cape lentium integrarum vnc VII. & cum aquæ amphoris. 2. bulliant, tandem. Chalybeetur hæc aqua XII. vicibus, & cum puluere suptadicto sumatur in tres doses maturinas.

Vel acc. olei oliuarum & sacchari ana vnc. 2. liquescat saccharum in vase terreo, addendo vitell. ouorum numero 3. & tribus diebus manè sumatur.

Pro arcano etiam habeo à viro illustrissimo, argentnæ folium plantis pedum admotum omnes

dysenterias intra 24. horas sistere. Tandem notaui aeris mutationem mirè ad dysenteriæ curam conferre, vidi enim D. Solierium mercatorem Nemausensem dysenteria ferè morientem eique quædam præscripsi, remedia, sed curari nunquam potuit, nisi aëris Castrensis, cum suo immutatione, post quam, statim curatus fuit, pinguisque euasit, licet antea tabe confectus esset.

Sic iberis planta pedum plantis suppositа ex Fluddo febres tollit, & si deinde à quodam tangatur morbum contrahet, quod Seuerini Dani, & Tenzelij doctrinam de mumiæ, & seminum morborum transplantatione, ineptè sagis tributam, confirmat, cum res sit naturalis.

Cornu in facie.

OBSERVATIO XIV.

D. Destanoue Monspelienſis Chirurgus inter rara quædam quæ curiosè asseruabat, cornu trium digitorum longitudinis, cuius basis duorum digitorum Crassitiem æquabat, incuruum & subfuscum mihi ostendit, quod è gena cuiusdam mulieris extirpauit, sub quo cancer reperrus fuit.

Talia exempla plura reperiuntur apud authores, Cabrolius autem aliud refert eiusdem vrbis in obseruationibus suis anatomicis. ad verrucarum cancrosarum genera hæc referri debere existimo, videntur etiam sæpissimè pensiles verrucæ & cornuum instar incuruæ & duræ. mihi etiam asser-

tum à monacho, se vidisse fratrem ordinis prædicatorum, cui cornu tale iuxta oculum exiuit.

Ganglium in fronte, eiusque cura.

Observatio XV.

Mvlier quædam ictum frontis passa, est quem tumor nullus subsequutus est, nisi decima-quinta die, qua tumor obortus est magnitudinis nucis iuglandis, sed mobilis, nuncque dolebat, nunc mollescebat, nunc minuebatur, nunc augebatur, & sic per longum tempus cum maximo incommodo permansit: curatus tandem fuit aquæ vitæ cum rutæ succo mixtæ admotione, linteisque arctè fronti appositis.

Vulnera, & vlcera magna, curata.

Observatio XVI.

Vlcera multa & maxima, in multis corporis humani partibus sequenti emplastro ad curam perfectam deducta sæpissimè vidi acc. mastiches. vnc. 1. therebint. venetæ vnc. 3. ceræ flauæ vnc. 4. liquescant in olla terrea, primo cera cum therebintina, postea remoueantur, & in aqua tepida diu lauentur, & malaxentur, dumque malaxantur puluis mastiches cum iis incorporetur & in magdaleones redigantur.

Sequentia emplastra miros etiam produxerunt effectus. acc. betonicæ agrimoniæ, verbenæ & pimpinellæ, ana manip. 1. ceræ thereb. resinæ ana lib. 1. masticbes scrup. 1. vini albi opt. lib. III. coque ad consumpt. tertiæ partis, & cola, coques autem herbas solas, & post consumptionem tertiæ partis reliqua addes, rursusque parum ea coques. deinde empl. à vino separabis. Nicotianæ decoctione etiam sola in oleo cum ceræ s. q. fit optimum emplastrum ad idem

---

Vomitus clysteris, & puris mictus in peripneumonia.

OBSERVATIO XVII.

FILIVM Aussenaci textoris Castrensis, sex annos natum, peripneumonia detentum vidi, eumque cum ingenti spirandi difficultate & ferè moribundum prima die qua vocatus fui inueni, tanta autem erat spirandi difficultas, vt vna quaque expiratione cauitas ingens in stomacho fieret, multúmque temporis inter systolem, & diastolem consumeretur, fuit tamen remediis meis ad pristinam reuocatus sanitatem.

Sed in eius cura duo satis insolentia accidentia notanda sese obtulerunt, quorum primum fuit, clysteriis vomitus, colore enim & odore id manifestissimè agnoui secundum vero fuit puris perfectè cocti & albi mictus copiosus, quæ res profectò insolita est, mirorque quomodo natura sibi vias adeò occultas & dissitas quærat. Hæc cum

cuidam medico communicassem, negabat vomitu posse clysteres reiici, & contrarium non solum affirmabat, sed pro re ridicula id aliis enarrabat, donec apud Sennertum ei ostendi non solum clysteres, sed etiam suppositoria filis alligata, imò & fragmenta candelarum vomitu reiecta fuisse. Quod quidem fieri potest valuulis intestini cæci à Natura debilitata laxatis, aliter enim (vt pote integra sanitate fruentibus) clysteres ad os peruenire non possent.

Pleuriticos etiam Dauidem, & Ieremiam Tornerios eiusmodi mictu puris curatos vidit. D. Isaac Riuerius Medicus peritissimus Mazametensis prope Castra.

Remedium Epilepsiam minuens.

OBSERVATIO XVIII.

PVluere seminis saponariæ ante paroxismos sumpto, semel in mense, per tria nouilunia ad drag. 1. obseruaui paroxismos valdè minui, tum numero, tum violentia. Idque in filia 25. annos nata tentaui, cum fælici successu.

Nota etiam hanc herbam signaturam huius proprietatis habere, spumam enim, si in aqua fricetur saponis instar emittit (vnde ei nomen Inditum) sicque spumantibus Epilepticis confert.

Rutæ manip. 1. in vini amphora infusum, & per tres dies mane sumptum idem præstat.

Vermes in capite verbis curati.

OBSERVATIO XIX.

PAuper quidam vir, loci, *d'Orban*, apud Albigenses, multis scatens pediculis in capite, tandem vlcera subsequuta sunt, in quibus vermes multi nati sunt, qui sub cute latitantes, nescio quibus viis per aurem egrediebantur, cum maximo fætore & ægri incommodo (idem tamen apud Arnaldum de Villanoua reperitur) multis frustra tentatis remediis, tandem à rustico vnicà nocte Curatus fuit, eo procul ab illo distante, & quasi puluere sympathetico, idque modo sequenti peregit, iuit iuxta Ebuli plantam, ante solis ortum, quam inclinauit, subque lapide posuit, dicens vernacule. *Incarcero te, herba bona, donec vermes cadere feceris, quos. N. habet in capite, vel aure.* & statim omnes sponte exiuerunt, licet milliaribus duobus ab illo distarent operante. Eodem modo si vermes sint in quodam animalis cuiuscumque vlcere, illud nominando & describendo, locumque vlceris dicendo, statim etiam cadebant. Sic alter rusticus, D. de Bonne, D. de Gouriade villicus; verbis, equorum tormina è longinquo sanabat subitò. Et adhuc alter villæ Carthusianorum propè Castra, anno 1648. cum erucæ innumeræ omnia deuastarent, verbis eas à villa sua, & nemore fugauit adeo vt cateruatim ad alium locum migrauerint. Hæc mihi alia multa in memoriam reuocant simili pacto verbis cura-

ta, sed cum in verbis vim naturalem agnoscere non possim, ea breuitatis causa tacebo. Latet vt opinor, aliquid Diabolici in his curis, seu pacti impliciti cum demone, vt ferè ab omnibus Medicis notatum fuit, talia exempla refert Fernelius, lib. de Abditis rerum causis, & Marcellus in lib. secretorum, ad quos harum hist. & carminum curiosos mitto de hac re, vide Auicennam lib. 3. fen. 4. cap. 22.

Vlcera pediculosa.

OBSERVATIO XX.

IOannes Viguier satelles Regiomontanus prope Castra, post morbum chronicum conualescens, vesicis per totum corpus scatuit, quasi admoto vesicante remedio vniuersali, quibus apertis, parui pediculi innumeri ab iis exire visi sunt, non sine magna adstantium admiratione. Humores enim nostri, talem quandoque qualitatem acquirunt, vt in pediculos conuertantur, velut in phthiriasi, seu morbo pediculari, quo multi principes perierunt. Possunt enim sine copulatione à putridis calidisque humoribus in nobis insecta generari.

Peſtis cum nube cadens.

OBSERVATIO XXI.

ANno 1629. quo peſtis maxima vrbem Caſtrenſem adeò populata eſt vt 6000. hominum è medio ſuſtulerit, obſeruatum eſt nubes ſubfuſcas veſpertinis & matutinis horis vrbi inſediſſe, quod quidem teſtatur peſtis cauſam non ſemper diuinam eſſe, & ob hominum malitiam allici; ſed vt plurimum naturalem, nubes etiam illa non manè vel ſerò cadebat ad peſtem inferendam demonum ope, ſed fuit vapor venenatus à propria vrbe, ſolis radiis eleuatus, qui ſuſpenſus ſemper ei inſidebat, ſed ſole accedente euaneſcere videbatur, at in crepuſculis rurſus apparebat, inſtar cometarum qui diurno tempore non apparent.

Idem olim obſeruatum fuit à Daubigneo Franciæ Hiſtoriographo cap. 2. tomi 3. vidit enim globum nubium, manè & ſerò vrbi Bellouacenſi incumbentem, nubes hæc autem, peſtis erat quæ vrbem illam maximè deuaſtauit, hæc ergo teſtantur peſtis cauſam ferè ſemper naturalem eſſe. Non nego tamen quandoque diuinitus, & ex profeſſo ob hominum peccata tranſmitti, vt Dauidis Regis tempore accidiſſe nobis ſacri codices teſtantur.

Peſtem autem è nube naturaliter deſcendere poſſe exiſtimitat, etiam D. Gaſſendus inſignis Philoſophus & Mathematicus, tomo 2. Philoſo-

phiæ Epicureæ quare tanti viri sententia fultus id affirmare non dubitaui.

Aduersus pestem remedia.

OBSERVATIO XXII.

PEste anno 1629. in meis tractibus grassante A. S. proximus meus multos seque ipsum curauit, applicatione frustuli cornu Monoceroris, eiusque infusione in aqua communi pro potu ordinario, hancque præcautionis gratia propinabat, qui enim tali aquà vtebantur, peste non inficiebantur. Alij prunellâ herbâ contusa & bubonibus admota curati sunt, alij alliaria, alij epoto cæpe enucleatæ succo postquam cum Theriaca cocta fuisset.

Innumeri vero curati fuerunt admotione cucurbitularum emunctoriis, imò tumoribus ipsis, theriacaque sumpta: bubones autem maturabantur optimè, cataplasmate ex radicibus liliorum, foliis plantaginis & violarum ad putrilaginem coctis, quibus apertis, solo vng. Basilic. ad curam perfectam deducebantur. hæc facilia remedia & naturæ amica præstare existimo, remediis, quæ natura renuit, è bufonum sanie, comparatis, quæ Van Helmontius lib. de peste edocet, & Petrus, Iohannes Faber Medicus Castrinouidariensis in suo Gallico de peste libello transcripsit.

Serpens à puero per anum eiectus.

OBSERVATIO XXIII.

PVer quidam Monspelienſis valde alui cruciatibus diſtortus, tandem paruum ſerpentem ejecit minimi digiti craſſitiei, & decem pollices longum, quem adhuc D. Gilibertus Monſpelienſis Pharmacopola vitro incluſum, & aqua imperiali conditum aſſeruat curioſis. alij mihi affirmarunt, ſerpentes lacte admoto, ab ægris in quos irrepſerant per ſomnum, eductos fuiſſe. potuit autem ſerpens prædictus, vel ſic in corpus irrepere (dormiente puero) lactis ſugendi gratiâ, vel in corpore generari, vt viſum olim in ſepulchro Caroli Martelli Regis Gallorum, & aliorum, ex quorum ſubſtantia ſerpentes generati ſunt.

Vidi præterea capillos innumeros mulieres animatos & formam ſerpentum optimè referentes, ſicque in corpore deglutitis pilis transformari poſſent. Tandem notandum eſt, ancillam Caſtrenſem ægrotantem, ante obitum duo animalcula ſalamandras referentia euomuiſſe, Medicus autem eius fuit D. Vigierius Medicus Caſtrenſis.

Hæmoptois ab hirudine insciè deglutita.

OBSERVATIO XXIV.

VIr de re Medica benè meritus, D. Ioanneus, Medicus Castrensis, mihi rem notatu dignissimam communicauit. Paucis ab hinc annis dum in Marij agro propè Monspelienses, Medicinam faceret, propositus fuit illi æger curandus, hæmoptoide magna, à satis longo tempore detentus, sine dolore vllo tamen capitis, vel pectoris, qui morbus nullis vnquam remediis leuari potuit, conquerebatur autem æger tantummodo de frustulo quasi carneo gutturi hęrente. Tandem morbus ille pertinacissimus subitò & mirè curatus fuit, nam cum æger iter facturus equum ferocem conscendisset, tussi tanta correptus fuit vt eius violentia hirudinem viuam foras ejecerit. Vnde subitò leuamen accepit nec amplius hæmoptoidem passus est.

Sæpe ab hinc, hirudines sub equorum linguis obseruauit, dum sanguinem per os effunderent. Debent ergo Medici hac obseruatione moniti perpendere, an hirudines in locis in quibus medicinam faciunt reperiantur, talia enim ibi sæpe occurrere possunt symptomata, quæ pro aliis facilè, his ignotis habebuntur. Casus iste rarissimus licet, à magno nostro tamen Hipocrate agnitus fuit, libro enim secundo prædictionum circa medium, sic loquitur. Si cuipiam fauces implentur sanguine, sæpe, singulis diebus ac noctibus,

cui neque caput antea doluit,& qui neque tussim habuit. Neque vomuit, neque febre correptus fuit, neque dolorem habuit, nec pectoris nec dorsi, huius considerandæ sunt nares, & fauces, an vlcus aliquod habere compareat in hoc loco, aut hirudinem. Sic videmus pauca esse quæ intacta vir ille maximus reliquerit.

Quo autem pacto in guttur irrepserit hirudo? non dubito quin nocturno aquæ potu, vrgente siti, cum aqua deglutita fuerit & ibi sanguinis sugendi gratia remanserit. De hac re vide etiam Auicennam lib. 3. fen. 9. cap. 5.

Sanguis albus instar lactis.

OBSERVATIO XXV.

ANno 1648. virum vidi febre maligna detentum, cuius sanguis statim à phlebotomia albedinem lactis retulit, quod rarissimum existimo, & à læsa facultate sanguifica chylum immutatum relinquente factum fuisse. D. Isaac Riuerius Medicus Mazametensis idem tamen vidit in scabioso. Sed quod adhuc magis mirandum, extat cerdo Castris, Iacobus Pradesius vocatus, qui ab omnibus venis quæ vulgò secari solent Phlebotomatus, à D. Ioan. & Isaac Tirefortiis Chirurgis Castrensibus semper sanguinem album etiam emisit.

Canities subita.

Observatio XXVI.

NObilis D. de Sancto Sererio Monspelliensis, cùm Lutetiæ incarceratus fuisset (metu forsan mortis) adeo refrigeratus fuit, vt subitò canus vnicâ nocte effectus fuerit. Sed cum tandem à carcere liberatus fuisset, pristinum colorem capilli eius recuperarunt. Talia multa exempla apud Donatum, Scaligerum, Petrum Messiam & alios inuenies, idque Osorio historico, accidisse certum est. Hæc autem ex Hipocrate fiunt, refrigerato corpore, & à frigido alimento, vt in senibus, in quibus canescunt quod frigidissimi sint, at timor magnus adeò corpus refrigerare potest, vt breui tempore ad senum temperamentum deducatur.

Sic metu nimio duæ mulieres mihi notissimæ pueros manuum ac pedum articulationibus .i. tarsorum & carporum seiunctis & contortis pepererunt. Alius Epilepticum ob terrorem quemdam factus est.

Ictus

Ictus ſerpentis facile curatus.

OBSERVATIO XXVII.

CVm ruſticus quidam ad ſegetum meſſes exiuiſſet, ſpicaſque colligeret, à ſerpente in ſtomacho ei vulnus inflictum fuit, ſed verbaſci foliis contritis, & admoti, breui tempore curatus fuit. Notanda ergo eſt illius plantæ vis, & credibile eſt quod de muſtela fertur, quæ à ſerpente vulnerata, ad hanc herbam accurrens, curatur; indeque forſan illud arcanum homines didicerunt.

Piſcis in digito genitus.

OBSERVATIO XXVIII.

CAſus hic admirandus mihi à multis fidei dignißimis viris enarratus fuit. Piſcator quidam circa vrbem Monſpelienſem, à piſce, *Raſcaſſe* vocato, cuius effigies & deſcriptio, apud Rondeletium libro de piſcibus, reperitur, vulneratus in digito eius ſpinâ, ſeu aculeo, adeò fuit, vt digiti maximus dolor, & tumor ſubſequutus fuerit, qui nullis remediis leuamen capiens, tandem à Chirurgo apertus fuit; repertuſque fuit in medio tumoris digiti piſciculus probè efformatus, formam illius à quo vulnus inflictum fuerat referens. Ta-

lis historia adeo insolens est & notatu digna, vt nisi breuitati studerem, amplam mereretur speculationem, dicam tamen quædam. In quibusdam animalibus semen non in testiculis tantum continetur, sed quandoque ad caput, vel alias partes redundat, vt in quodam serpentum genere qui ore coeunt, imo etiam per totum corpus, quadoque sperma dispergitur, tunc enim semen ideam totius corporis referens, ad vniuersam cutem redundans, si in locum matrici analogum incidat, sibi corpus prædestinatum & solitum effinget, sicque in digito supradicto facere potuit, semen autem piscium, maximè omnium seminum proliferum est, cum frictione sola, eaque quasi imperceptibili coeant. Sic in vrinis demorsorum à canibus rabidis effigies canum percipiuntur ob seminis æstuantis portionem quamdam, pet canis spumam morsu communicatam, quæ etiam cerebrum inficiens eos in canum naturas mutat, latrant enim & mordent vt canes. Vide Obs. 9. in qua multas tales inuenies transplantationes & insitiones. Hoc mirandum licet & stupendum, non semel tamen accidit, similis enim extat historia in vita supra memorati D. de Peiresc à D. Gassendo mira arte concinnata, refert autem Frontiniaci in Occitania inferiori in digitum piscatoris, cùm implantata fuisset spinula scorpionis marini, rem eò deuenisse, vt Chirurgus exinde tres pisciculos eiusdem generis scorpionum extraxerit. Sic legitur apud Linscottum vermes longissimos, in suris tibiarum Indorum quorumdam generari, Quos dracones vocant. Eius remedium sunt lactes qui in eius piscis ventre reperiuntur.

Ad fertilitatem comparandam.

OBSERVATIO XXIX.

MIhi pro secreto sæpius probato reuelatum fuit, mulieres concepturas licet steriles existimentur, modo à vitio conformationis non pendeat sterilitas, si antequam virum accedant, placentulam mentastri vuluæ imponant coronæ instar effigiatam, idque sub fine menstruarum purgationum fieri debet.

Herbæ Clandestinæ potentia ad sterilitatem arcendam.

OBSERVATIO XXX.

HErba quædam occulta, & sub terra delitescens, quasi naturæ inuidiâ, verno tempore reperitur, quæ Clandestina, Madronna, occulta, & aliis variis nominibus insignitur, rara inuentu, & paucis ab hinc seculis cognita, vltima in Dalecampij libro plantarum descripta, at duplex apud nos reperitur, quod ille ignorauit purpuream tantum describens, flore enim albo, etiam reperiri sed rarò, certò asseuerare possum. Flores eius glomeratim supra terram prominent, paucis diebus (vt ophioglossum, & lunaria racemosa) folia vero latent, alba, crassa, & instar nucis pineæ glomerata, planta hæc signaturas virtu-

tis suæ referre, si qua vnquam dici potest, nam folio, tum siliqua, & flore, vuluæ figuram æmulatur. Si eius radix & folia contusa, & cum ouis frixa, vel cruda cum sale, oleo, & aceto comedantur, fertilitatem inducent, aliisque vteri affectibus medebuntur, menstruaque irritabunt. Idem adhuc, meliusque faciet sal, vel extractum illius.

Ad Ophthalmiam remedium.

OBSERVATIO XXXI.

MVltis frustra tentatis remediis in patre meo, ophthalmia detento, sequenti applicatione curatus fuit. Acc. albumen oui, & cum aluminis frustulo tandiu agitetur donec pultis consistentiam acquirat, postea linteo subtili inuoluantur, & oculo clauso palpebræ imponatur, sæpe renouando.

Febrifuga.

OBSERVATIO XXXII.

DOminus A. S. Affinis meus, gratis innumeros febricitantes febre quotidiana & tertiana detentos, pericarpio sequenti quod vtilitati publicæ libenter voueo; curauit, quosdam prima vice, alios secunda, pertinaces tertia, remedium

tale eſt. Nouem pentaphyllij folia radicitus colligit, gallicè dicendo Apoſtolorum ſymbolum, confeſſionemque (à quibus tamen ego, vt neque à numero foliorum curam pendere non exiſtimo) poſtea incipiente paroxiſmo, arteriæ brachij dextri tria folia cum ſale, ſuperque his tria alia folia cum ſale, rurſuſque deſuper alia reliqua tria folia cum ſalis pugillo, in medio foliorum imponit, & ſic mille ad minus febre detentos curauit. Multique etiam quartana detenti quatuor folia eodem pacto imponendo curati ſunt. Pentaphylli autem vires apud Vveckeri antidotarium ſi legas, ad febres pro remedio ſpecifico admirando commendari reperies.

Multi quoque curati fuerunt potione aquæ vitæ ad drag. 3. in quibus lapis Hiſpanus cruciger infuſus fuerit, ſumi autem debet hora paroxiſmi per tres vices, ſicque quartanam curatam etiam ſæpe vidi.

Ictus venenati inſecti.

OBSERVATIO XXXIII.

IO. Guitberta Caſtr. habitu pingni prædita nocte media à ſomno expergefacta, dolorem à morſu quodam in fronte percepit, ibique manu ſubitò admotâ, inſectum quoddam ſubdurum inuenit, quod procul projiciens cicadæ cadentis ſonum imitatum eſt, craſtina verò die reperiri nullibi potuit, ſed caput mulieris adeo ob ictum illum intumuit, vt viſum etiam amiſerit, prauaque

multa symptomata, & tandem mors, intra paucos dies subsequuta fuerit. Quale autem fuerit insectum illud, quidque agendum fuisset nunc videamus. Ego existimo talem ictum inflictum fuisse à scorpione, nam licet apud nos, non reperiri existimentur, tamen aliqui si res exactè perquireretur reperirentur, non enim adeò à locis in quibus copiosissimi sunt distamus, & præterea possunt ab officinis pharmacopolarum dum ad oleum scorpionum conficiendum emuntur, clanculum effugere, & ad vicinos irrepere. Quare debebant remedia scorpionum vulneribus appropriata adhiberi.

Fungi per totum corpus erumpentes.

OBSERVATIO XXXIV.

POst morbillorum curam, reliquiæ eorum admirandum & inauditum morbum pepererunt, puer vrbis Mazametensis D. Isaaco Riuerio Medico curandus propositus fuit, cuius corpus vniuersum postquam Variolis curatus fuisset, fungis nucis magnitudinis tercentis circiter, cauliculis totidem inhærentibus scatebat, circaque vniuscuiusque fungi radices, duo vel tria vlcuscula erumpebant, fungi vero nigri erant & intus sanguinolenti, æger tamèn optimè ab illo curatus fuit, tanta autem in illo fuit morbillorum malignitas, vel tantam ab vtero materno illuuiem in corpore suo delitescentem (vt Arabum vtar doctrinâ) conseruauerat, vt cutem quasi

Elephanticam, pustulas rugosas, nigrasque, roborisque corticem imitantes contraxisset. Cum ergo natura, hæc extra pellere tanquam inutile & onerosum conaretur, ab hac indicatione prudens Medicus auxilia desumens potum præscripsit exdecocto scorzoneræ, tormentillæ, cardui benedicti, angelicæ, scabiosæ, & alorum cardiacorum, & sudorificorum, quorum frequenti vsu æger curatus fuit, cutisque eius cum fungis, omninò instar suberis, vel senectæ serpentis, cute tenellulâ eius loco exortâ cecidit. Nuper ferè idem vidi in puella mercatoris Castrensis.

Sudorificum facillimum.

OBSERVATIO XXXV.

ALni foliis si facci impleantur, solique exponantur, & postea iis vel totum corpus, vel pars quam sudare cupis tegatur, sudores copiosè & sine mora prouocabuntur.

Dysenteria Epidemica, cum ani doloribus maximis, curatæ.

OBSERVATIO XXXVI.

DVm vir nobilis, D. de Carrere Castra sequeretur, dysenteria malignâ & epidemica correptus fuit, cum maximis torminibus, ani

cruciatibus horrendis, & sanguinis puri, copiosa & frequenti eiectione. Innumeris perperam admotis remediis, vnicum auxilium fuit, lac caprinum, cuius vsu tum in clysteribus, tum in fotibus ani, tum eius hausto cum saccharo perfectam sanitatem recuperauit.

Hypochondriaci curati.

OBSERVATIO XXXVII.

D. C. præceptor, in melancholiam hypochondriacam tantam incidit, vt se sanctum esse spiritum affirmauerit, imò & illud sacris paginis comprobare conatus sit. Phlebotomia tamen pedis & brachij celebrata, & purgatione melanagoga propinata curatus pro multis annis remansit. Audiui tamen illum rursus in eundem morbum incidisse.

Iisdem remediis mulierem curatam vidi, se à dæmone obsessam esse affirmantem & multa absurda de hac re enarrantem quæ vera quibusdam esse videbantur, licet hæc à solò humore melancholico procederent.

Dolor verticis fixus diuturnus, ab hydrocephalo interno.

OBSERVATIO XXXVIII.

MAria Cueillere, puella duodecim annos nata temperamento pituitoſo, & pingui habitu prædita, anno 1648. menſe Maio, maximo dolore fixo verticis laborauit per 4. menſes, vocatus fui ad eius curam, eam ferè ſine febre inueni, ſed omnia alimenta rejicientem, aquâ autem ſola cum ſaccharo per multos dies vitam traduxit, de nulla enim alia re, præter de dolore futuræ coronalis conquerebatur. Remedia omnia quæ vtiliora mihi viſa fuerunt admouenda curaui, phlebotomia brachij celebrata fuit, inunctiones & fotus partis dolentis,&c. Sed omnia ſine vllo leuamine, nullus tamen aderat tumor vel rubor, tandem ad remedia efficaciora deueni, & veſicantia præſidia ponè aures & occipitio admota fuerunt, quibus cum non leuaretur ipſi parti dolenti etiam potens veſicans applicandum eſſe cenſui, quod cum pari ſucceſſu peractum fuit, tandem cucurbitula cum ſcarificatu, & vltimò cauſticum potentiale regioni dolenti applicata, nihil profuerunt. Mens adhuc & ſententia mea erat, crucialem celebrare inciſionem, imo & trepano vti, ſed mors finem miſeriis & doloribus eius, antequam hæc remedia celebrarentur, impoſuit. Tandem morte hac auditâ, cauſam quæ eius agnoſcere cupiens vt poſteritati res adeò ad-

miranda transferri posset, parentes renuentes exoraui, eorumque amicos, dicens caput puellæ aperiendum esse, non solum ad morbi cognitionem, sed etiam vt cæteris familiæ, si eodem morbo quandoque detinerentur vtile foret, apertum ergo fuit caput puellæ, me præscribente, omniaque optimè conformata & sine corruptione, (præter spem tamen) reperta sunt, existimaueram enim pus copiosum intus latere, præcipuè quoniam paulò ante obitum per oculum dextrum purulentum aliquid emisisset, sed cum de causa agnoscenda desperaremus, dum curiositatis gratiâ, rete mirabile & alias partes Chirurgus discipulis suis demonstrare voluisset, digitis abscessum rupit, natibus & infundibulo cerebri inhærentem, è quo statim aqua clarissima, cum impetu & ad libras duas exiuit, quasi è fontè scaturiens & in altum prosiliens. Tunc causâ morbi cognitâ, parentes errorem nullum amplius habuerunt, nec circa remedia, nec quod à muliere sagâ existimata quæ illius capiti manum imposuerat morbus ille inductus fuisset. Quo autem pacto contractus fuerit abscessus ille, vel species hydrocephalos, facillimum est dicere, pituitaria enim glandula, pituitam tanquam spongia aquam alliciens & coaceruans, temperamento iuncta pituitoso puellæ, calorique debili, aquas cumulauit. Serum verò è venis diapedesi transcolari potuit, & ibi coaceruari, vt in puella cuius caput intumuit, & omnes ventriculi aqua referti reperti sunt, vt refert Epiphanius Ferdin. hist. med. 21. præterea vt ait Hipocrates epistola ad Regem Demetrium, caput est humanorum morborum radix, quia ori velut cucurbitula incumbit, & om-

nium eorum quæ ingeruntur superfluitates, præcipuè tenues humores attrahit. Non parum etiam potuit ad hunc morbum cumulandum conferre quod à D. Eleazaro de Campdomerc peritissimo Medicinæ Decano nostro annotatum fuit, scilicet quod quinque vel sex ante morbum mensibus, scabiem capitis passa erat puella nostra, & malè à monachis quibusdam curata repellentibus remediis, & vnguentis frigidis fuerat, vnde caput refrigeratum, & serositates in eo cumulatæ fuerunt, causaque morbifica quam sapiens natura extra centrum emittere conabatur, facta Palindromia intus repulsa est, calorque naturalis ab illa materia extinctus fuit de hac re vide Auicennam l. 3. fen. 1. cap. 10.

Alij dolores verticis fixi.

OBSERVATIO XXXVIII.

PLures deinceps vidi à doloribus verticis fixis cruciatas, mulieres, quas phlebotomia venæ rectæ frontis vel ranularum, cucurbitulis scarificatis, apophlegmatismis, errhinis, & cephalicis, hydroticisque purgationibus leuaui, vidique vxorem aduocati, quæ ex dolore distorta semperque hoc pro matricis simptomate, à Medico ordinario accepto, tandem obiit, quam tamen existimo hisce remediis curari potuisse.

Semper tamen ab hoc fonte dolor ille non ortum ducit, mulierem enim vidi quæ de ingenti capitis dolore fixo & in minima circumferentia

conquesta, nec phlebotomia, nec vesicantibus remediis, aliisque vllis leuari potuit, quæ tandem multis vesiculis sponte obortis curata fuit, aliamque quæ tumore in fronte nato, apertoque, maximam puris copiam effudit sicque curata remansit. In alia nihil ex his profuit, sed incisione crudali celebrata, vermes latentes reperti sunt, à quibus procedebat dolor, quibus detractis, curata fuit.

Vermes ex vmbilico.

OBSERVATIO XL.

ÆGrum maximis doloribus ventris detentum vidi ad cuius curam multis frustra adhibitis remediis, vermes tandem copiosi per vmbilicum erumpere visi sunt, cum fætore maximo, & tandem optimè curatus fuit: credo vermes sibi hanc quæsiuisse viam lactis sugendi gratia, cataplasmata enim de mica panis sæpe vmbilicali regioni admota fuerunt.

D. Dalaret Medicus Milhauensis mihi etiam asseuerauit dominam d'Hugla Milhauensem sæpe vermes longos sic ab vmbilico eduxisse, quod etiam notauit D. Dauid puechmeia in Susanna Bardina.

De Syrupo Absynthij.

OBSERVATIO XLI.

CIuis quidam Monspelienſis ſibi famam comparauit ſyrupo quodam abſynthij mediocriter purgante, vermes necante, appetitum reuocante, & ſtomachum refrigeratum corroborante, quod ſecretum nemini voluit vnquam communicare. Ego tamen illud te gratis doceo. Certum eſt enim vt à domeſtico didici, non aliter illum ab eo officinarum differre niſi additione paruа Rhei electi puluerati, & abſynthij collectione, menſe Maio, ante ſolis ortum, cumque rore ſuo.

Puer gigas.

OBSERVATIO XLII.

PRope Manſum de Verdun, in villa D. de Magis, puer natus eſt à patre & matre mediocris ſtaturæ, qui tamen intra octodecim menſes hominis perfecti magnitudinem attigit, fuitque lucri gratia per Galliam totam ductus à parentibus. Medicis autem Pariſienſibus circa inſolitæ huius magnitudinis prognoſim interrogatis, reſponſum dederunt puerum hunc 7. annos tantum victurum eſſe, quibus completis, iuxta eorum pro-

gnosticum, fato functus est, sed hac ætate gigas fuit. Non difficilè autem erat paruam vitam illi portendere, cum immodicis, breuis sit ætas & rara senectus, & cum in pueris primo climacterico mors subsequi soleat, dum aliquid præter ætatem in ijs deprehenditur. Sic arbores quæ subito crescunt, cito occidunt, & aloe, de qua egimus in prima obseruatione cum intra 4. dies crescat in magnam molem etiam statim arescit.

Quod vero ad tantæ magnitudinis causam attinet, existimo id fieri potuisse à quadam astrorum vi peculiari, vel à nimis frigido corporis illius temperamento, cum nimia nutritione in vtero materno à sanguine menstruo. Non autem mirum est gigantes posse apud nos nasci cum homunculi contrarias ob causas quotidiè ibidem oriantur.

Venenatus Lacerti morsus.

OBSERVATIO XLIII.

CVm quidam ludentes lacertum lacessèrent, vnius genu morsu lacertus petiit adeo venenato, vt nunquam curari potuerit. Quod testatur iratorum animalium morsus semper metuendos esse, irata enim animalia omnia venenum quoddam in ore acquirunt, bile ad externa educta. Sic morsus hominis irati, imo felis, muris, &c. Praua inducunt symptomata, ideoque capita & caudæ serpentum amputantur postquam irâ flagris inductâ ferbuerunt: quod autem venenum coa-

FIGVRA MATERIÆ LAPIDEÆ Craſſæ meningi adnatæ *in mulieri*.

Pag. 46. obſeruat. Cattſerij

1. *Craſſæ meningis pars juxta canalem anteriorem.*
2. *Materia lapidea jnæqualis et aspera ipſi craſſæ meningi adhærescens.*

ceruetur ad extrema, visum est Monspelij caput viperæ amputatũ & ad humum proiectum, quod ancillæ calcem feriens, ei breui mortem induxit, sic serpentis aliquid cum retineat lacertus, vulnus insolitum efficere potuit, quod non accidisset si subitò cucurbitulâ venenum eius extractum fuisset.

De morbis tibiarum.

OBSERVATIO XLIV.

TIbiarum morbi in hac vrbe Castrensi malignissimi & curatu difficillimi sunt, vt à longo obseruatum est tempore, præcipuè tumores & vlcera, nescio an ab humiditate nimia, ob pluuias diuturnas, vel à flatu austri frequenti, vel à peculiari loci proprietate, vel à cælesti influxu illud pendeat. Sic Lutetiæ capitis morbi & alui fluxus pernitiosi sunt, & non tibiarum ictus, è contra vero apud nos facilè alui fluor & capitis vulnera ad curam deducuntur. Quare consulerem, vt qui Lutetiæ hisce morbis capitis, vel alui fluxu detinentur (est enim Lutetiæ lethalis) & qui apud nos tibiarum vlceribus & tumoribus cruciantur, locum mutuò mutent, vt commodiùs, malignis vitatis influentiis curari possint, sic olim Romani tabidos ab Tabios montes mittebant,

Sanguineæ maculæ in facie puerorum mortuorum.

OBSERVATIO XLV.

SÆpè obseruatum est pueros subitò nocte mortuos fuisse, cum clamore & eiulatu, sine vllo morbo præcedente, gutta autem sanguinis in gena, vel alibi reperiebatur; vnde hæc mors subita, & gutta sanguinis oriatur, credo me percepisse: existimo autem vel à venenato, quodam insecto vulneratos esse, vel acu longa à sagis transfixos, vt apud authores, qui de iis scripserunt legere est, inter quos Strozzi Cigogna Vincentinus, libro suo *de Gli incanti*. Id à sagis fieri, & confiteri asseuerat, quare consulerem ne lumen tota nocte in cubiculò in quo dormiunt pueri extingueretur, donec baptismi lauacro saltem mundati fuissent, vel adhuc exactiùs iuxta puerorum dignitatem seruentur, quia a sagis ante baptismum expetuntur, lucemque refugiunt hæ tenebrarum principis ancillæ.

Maculæ

Maculæ sanguineæ in linteis, licet in arca reconditis.

OBSERVATIO XLVI.

MVlieres veraces & non è fæce populi mihi sæpe narrauerunt, se pluries in linteis in arca reconditis, & in cubilis ornamentis, imò eadem die qua mundata fuerant magnas maculas sanguineas deprehendisse, quod à mago fieri existimabant rem hanc aliquandiu speculatus. Difficillimum inueni causam eius rei naturalem detegere, recordor tamen me legisse apud Danielem Sennertum quemdam virum extitisse, qui quotannis naturali phlebotomia in sanitate perfecta fouebatur, porus enim aperiebatur circa epatis regionem, è quo sanguis eiaculabatur ad libram vnam circiter, & postea sponte sine vllo foraminis vestigio sistebatur. Legi etiam alibi, pluuiæ cuiusdam prodigiosæ guttas, sanguineas maculas effeciisse, ast hic attribui nequit causa vltima, prima etiam difficilè, quia paucæ non adeò in altum eiaculatæ fuissent, nec in arca. Sed tandem veram noui causam, nullomodo enim in dubium reuoco id à muscilionibus, & culicibus sanguisugis factum fuisse; qui postquam sanguine repleti sunt, mundiora eligunt lintea ad sanguinem illum eructandum vt sæpe obseruaui. Sic animalia quædam quadrupeda odorata ad excrementa sua deponenda lapides mundiores & nitidiores eligunt.

Ingens vulnus facilè curatum.

OBSERVATIO XLVII.

QVidam magno fustis ictu, dimideæ partis cutis capitis vsque ad aurem excoriationem passus est, & consuta cute ad curam perfectam deductus fuit sola panis albi assi, & vino imbuti, admotione. Alterius vero simile vulnus melle solo admoto, curatum fuit.

Mammæ ingentes.

OBSERVATIO XLVIII.

MVlier Regiimontis propè Castra, annos 20. nata in mammarum tumorem ingentem incidit, imò adeo prodigiosum, vt ad 30. librarum pondus accedere potuissent, tandem enim coacta fuit fasciis magnis has ingentes mammas inuolutas, cum maximis laboribus collo alligatas ferre. Ad me accessit vt ei remedia præscriberem. Præscripsi autem quædam quibus menstrua retenta inferius moueri possent, nempe malleoli sectionem, cucurbitulas pro partibus inferioribus, vsum thermarum & aquarum medicatarum aperientium, & fotus exsiccantes pro mammis, agnoscebam enim miram sympathiam menstruorum cum mammis, vnò enim retento ad aliud

vergit materia ex Hipocratis ſententia qui mammis cucurbitulas admouet ad menſtrua ſiſtenda. Hiſce remediis adhibitis menſtrua erumpere cæperunt, mammæque detumuerunt. Hæc cura inter miras & notatu digniſſimas reponi poteſt, erat enim tumor, ille, res adeo horrenda, & ad tantam deuenerat magnitudinem, vt ad Chirurgum acceſſiſſet, vt mammarum amputatio inſtitueretur.

Papillæ duę in vnica mamma, tres mammę, item ad papillam reconditam remedium.

OBSERVATIO XLIX.

NOn abs re erit cum de mammis egerimus in ſuperiori obſeruatione, 4. alias de mammis enarrare hiſtorias. Rachel Raye mulier Caſtrenſis tres habet mammas, nempe duas in locis ſolitis, & tertiam ſub ſiniſtra, ſed cæteris minorem, ab illa tamen lac etiam effundit, ſed non æquè ac cæteris. Aliam vidi mulierem etiam in eadē vrbe Gabriēlam Gleiſes nuncupatam binas papillas in eadem mamma habentem, & non multum inter ſe diſtantes. Vtque hæc obſeruatio non ſine documento quodam remaneat, vidi mulierum papillas in mammis ſepultas, facillimè cucurbitularum admotione foras attractas, ſimulque lac, licet difficilè antea manaſſet. Virum etiam agnoſco qui lac è mammis coram me effudit.

Ioannes Faber Lynceus, in Nardi comment. 4.

Mammas lacte fœcundas in Romana vidit muliere.

Ad Ambusta.

OBSERVATIO L.

MVltos puluere pyrio & aliis modis vstos, tam in facie, quam reliquis corporis partibus, intra nouem dies vnguento ex oleo nucum puro & recenti (& non cum seminum quorundam vel piscium oleo alterato) & ouorum luteis mixtis æquis partibus, ambusto loco admoueri debet renouando bis in die, absque amotione prioris, donec crusta vnguenti sponte cadat instar laruæ. Vt vero vnguentum non frictione linteorum decidat, si vstio sit in fæmore vel tibia, poterit chartaceo inuolucro vel ligneo retineri.

Optimum etiam remedium est vnguentum ex cortice mediano sambuci, adipe renum veruecis, oleo oliuarum, & succo semper viui minoris conflatum cum pauca cera. Cœpa etiam cruda dissecta, vel cum oleo trita, & admota non inutilia sunt.

Ægra Demones cernere asseuerans, curata.

OBSERVATIO LI.

ANeillam Castrensem vidi temperamento melancholico, bili admixto præditam, quæ cum in morbum incidisset, symptoma valde insolitum habuit. Vocatus autem fui cum D. Eleazaro de Cãpdomerc optimæ notæ Medico. Illam febre detentam maximà inuenimus, diabolum se percipere perpetuo, eumque alloqui, & multa alia horrenda dicentem, hæc tamen sectà vena malleoli, aliisque remediis tum purgantibus, tum bilis ferociam retundentibus, frictionibus, & cucurbitulis, nostro consilio curata optimè fuit. Hæc autem omnia à menstruorum retentione nimia, iuncta atræ bili exundanti procedebant, à quibus sæpè mulieres demoniacæ fieri videntur. Auicenna etiam demonia multos morbos præcipuè maniam vocat, forsan quod talia produxisse perceperit symptomata.

Lethargus ingens curatus. Et vir vitriuorax.

OBSERVATIO LII.

COquus Castrensis Arnaldus Mirapicius vocatus 55. annos natus, & temperamenti me-

lancholici, niuis frigora, passus in itinere, in lethargum incidit tantum, vt per plures dies instar mortui & cum metu suffocationis non mediocri fuerit, tandem cum nullam salutis spem videret pharmacopola (de more solito, medicos enim nisi cum res desperata est non vocant) me vocandum curauit. Multa ego præscripsi remedia optima, vtpote. Vesicantia præsidia ponè aures & occipitio, cucurbitulas scarificatas scapulis, aliud vesicans interscapulio sternutatoria & tandem remedium à multis decantatum Medicis ex Castorei scrup. 2. & scamonij scrup. 1. cum Oxymelite in duas doses, sicque optimè curatus fuit. Tandem illum purgaui phlegmagogo cathartico. Cum autem dosis hæc scamonij & Castorei insolita esset, mordebar ab osoribus & inuidis meis qui propalabant, me triplicem dosim remediorum vsurpare ob ignorantiam meam, nescientes tale remedium requiri in tanto morbo, eoque desperato (magnis enim morbis optimè magna remedia ex Hipocrate adhibentur) & ab authoribus optimæ notæ, imo patribus Medicinæ præscribi, nempè ab Alexandro Tralliano, Ruffo Ephesio, & Oribasio.

Hujus virî à lethargo curati mira proprietas non reticenda est. Est enim vitriuorax vt ille de quo agit Columbus. Nam vitrum etsi satis spissum auidissimè vorat in conuiuiis, vinum super bibendo; sanguis autem ab illius ore fluit dum hæc peragit. Id tamen sæpissimè & innoxiè fecit coram me.

Vomitus ciborum per totam vitam.

OBSERVATIO LIII.

D. Ioanneus ciuis Castrensis quadam ventriculi imbecillitate vel obstructione eaque tanta laborauit, vt cibos (alteratos tantum, vomituu per 20. annorum spatium vomuerit, sicque innumeris remediis frustra, & perperam tentatis vsque sexagesimum annum misere vixerit. Cadauer apertum non fuit. Forsan id à quodam stomachi tuberculo, vt alias legi accidisse ortum ducebat.

Abscessus in ventriculo.

OBSERVATIO LIV.

D. Massé aurifaber Castrensis, multos annos cum facie valde macilenta transegit, vox eius rauca, dolor circa stomachi regionem, tussis frequens & febris lenta aderant; tandem anno circiter 50. obiit. Vidi Cadaueris dissectionem à Medico clinico imperatam, & obseruaui in eius ventriculo materiam nigram lutulentam, sanguinis corrupti colorem æmulantem copiosè cumulatam, quæ certè causa & morbi & symptomatum eius fuit, erat enim abscessus in ventriculo: abscessum autem materiæ, nunc mel, nunc lutum,

nunc oua, nunc alia innumera referunt, sic quidam ab hydrocele mortuus scrotum quasi sepo plenum, & alius in femoris vlcere quasi caseum habuerunt.

Febris maligna purpurata epidemica, cum conuulsione, tremore, aliisque prauis symptomatibus, curata.

Observatio LV.

D R. Mercator, annos natus 35. temperamento melancholico præditus, habitu corporis macilento, & quasi ad phthysim vergente, mense Iunio anni 1648. in febrem malignam epidemicam incidit, maximis & prauis stipatam symptomatibus, sudor enim à prima die vsque ad 14. semper ab illius manauit corpore, pulsus conuulsiuus semper etiam fuit, vigiliæ adfuerunt ferè perpetuæ, quia in delirio semper sagas earumque choreas & nocturnos conuentus, vt & demones eum vexantes, &c. horrenda videbat, quibus adeo debilitatus fuit, vt mors proxima fuerit. Conuulsione etiam & tremore totius corporis per quinque dies maximè distortus fuit, adeo vt & lingua valdè vulnerata, & maximus dentium stridor superuenerit, aluus pigra erat, dolores vniuersi præcipuè circa epatis regionem aderant, pulsus paruus & sine ordine, omniaque semper in peius vergebant: quare tres fuimus conuocati medici, consilioque sæpe inito, sequentia remedia adhibita fuerunt. Primo vena brachij secta, at

ſanguis optimus apparuit cumque bis rurſus cæteri phlebotomiam ſuaderent, renui, quare non amplius celebrata fuit cum ſanguis corruptus non fuiſſet, nec vires adeſſent, & quoniam ſanguinis miſſionem huic morbo magis obeſſe quam prodeſſe notaueram, ad tantum venenum, extrahentibus remediis, & ſudorificis cardiaciſque vtendum, potiſſimũ theriaca. Qua methodo triginta tunc ægros non mediocriter morbo illo populari detentos cum Dei benedictione curaui. Nimia enim venæ ſectione venenum radices profundiores, debilitatà naturâ, & theſauro ſuo, nempe ſanguine imminuto, agebat. Multi pipiones igitur capiti & cordi admoti fuerunt, toſtæ panis cum pulueribus cardiacis orificio ventriculi & vſus opiatæ Salomonis & Theriacæ, vt & inunctiones olei de ſcorpionibus ad vires conſeruandas, & veneno obſiſtendum, potiones ex aqua papaueris rheados cum ſyrupo violaceo ad ſomnum conciliandum puluis de gutteta ad conuulſionem propinatus; pipione vero cerebro admoto miteſcebat conuulſio, & tremor ille perpetuus quibus affligebatur.

Clyſteres ex vino & iure iniecti fuerunt, vſus eſt in iuſculis confect. de hyacintho, cucurbitulæ ſcarificatæ, vt & ſine ſcarificatu admotæ fuerunt, tandem decima quarta die, puſtulæ quædam ſeu ecphimata per totum corpus apparuerunt, ægerque ſenſim leuamen accipiens tandem ad perfectam ſanitatem deductus fuit, contra omnium ſpem. Notandum eſt rigorem & tremorem illum quem paſſus eſt, inter bona malignarum febrium ſymptomata annumerari, quia teſtantur febris diſceſſum, & eius loco, aeris inſi-

nuationem. Præterea notandum est, quod ægri ferè omnes, qui hoc morbo detenti fuerunt, delirarunt, & multa ridicula crediderunt, noster autem de quo sermonem facimus aiebat se ora tria habere & pedes manusque amisisse, alij se cor amisisse; morbusque hic quasi ludens, quandoque tantum senes, postea iuuenes, nunc viros, nunc mulieres, nunc pueros, de medio tollebat.

A Clysteré inebriatio.

Observatio LVI.

QVia in superiori obs. dictum est clysteres vini vtiliter injectos fuisse, notandum est in abstemiis posse quandoque falsam phrenitidem æmulari, quod sciendum, ne timor adstantes inuadat, obseruaui enim mulierem abstemiam Castrensem clystere simili injecto, inebriatam fuisse, quod ignorantes proximi, errorem quemdam à Pharmacopola, vel Medico commissum fuisse opinabantur.

Ad dysenteriam arcanum.

Observatio LVII.

DS. vidi, quem dysenteria longissima ad tabem tantam deduxerat, vt ei lac sugendum muliebre Medici præscripsissent. Sed miraculò

quaſi curatus optimè & breuiter fuit, vſu aquæ propotu ordinario, in qua ſuber bullierat, vſus eſt etiam vtiliter, ſyrupo corallorum, & conſerua cynorrhod. Sed aqua ſuberata præcipuum eius curæ fuit inſtrumentum.

Puer, hirſutà mentulà, ab ortu.

OBSERVATIO LVIII.

OBſtetrix Caſtrenſis mihi ſæpius aſſeuerauit, ſe filium peperiſſe, qui ab ortu hirſutus fuit in obſcœnis partibus, quod fieri non potuit niſi à magno calore humiditati iuncto, vel ab imaginatione matris, vt apud Boaiſtuum legitur, de matre, quæ viſa imagine Ioannis Baptiſtæ hirſutis pellibus induti, nempè camelino indumento, puerum ſic hirſutum peperit.

Ambulandi impotentiæ prognoſticum.

OBSERVATIO LIX.

IOhanna d'Orliac, me ad puerum ſuum inuiſendum anno 1648. annos quatuor vel circiter natum vocauit, quem cum obſtructione abdominis, & crurum, fæmorumque tanta imbecillitate inueni vt nuſquam plantis inſiſtere potuerit: mortem proximam prædixi & paucis ab hinc diebus mortuus eſt, hæc enim impotentia naturali-

naturam parum viuidam & primo climacterico lapsuram denotabat.

Vesicatoriorum effectus & cucurbitularum.

OBSERVATIO LX.

EOdem anno, febres malignæ Epidemicæ, & purpuratæ grassatæ sunt, cum maxima clade, in quibus cucurbitularum siccarum admotionem frequentem eis valdè profuisse, vt & vesicantium præsidiorum mediis artubus, & ponè aures obseruaui sæpissimè, etiam in desperatis, & letargiâ, vel phrenitide detentis. At si nimius calor & impetus sanguinis adesset, à cucurbiculis abstinendum scarificatis erat, mortales enim fuerunt, sed cardiacorum vsus valde fuit vtilis.

Hemicrania curata.

OBSERVATIO LXI.

PAter meus, à multis annis hemicraniâ valdè cruciatus, curatus fuit frontali sequenti, acc. albumina tria ouorum, diu agitentur cum croci momento & tandem cum linteo fronti admoueantur hora paroxismi. Coquum etiam D. de Castrios, ab hemicrania & vertigine curaui, alioſque plures venâ rectâ frontis apertâ. Proximius enim hæc phebotomia sanguinem à capite deri-

ilat, eiusque ardorem mitigat, nullum autem est remedium quod æquè ac venæ sectio refrigeret, & sanguinis impetus retundat.

Ructus diuturni.

OBSERVATIO LXII.

DE Cros, ciuis Monspessulanus ructibus adeo infestatur, vt toto ferè vitæ curriculo, vbique, & coram omnibus eos edere coactus fuerit, adeoque frequenter vt inter duo etiam vocabula ructum reddiderit. Quod à morbo ei relictum fuerat, qui sine dubio ventriculum eius imbecillem reddiderat. Cum nemo adhuc tale symptoma obseruauerit in re Medica, illud silentio præterire nolui.

Ad hæmorrhoides remedia.

OBSERVATIO LXIII.

AD hæmorrhoides dolentes & tumentes, tam internas quam externas, expertus sum sæpius, sequens oleum, frigidè admotum, sæpè in die, valdè contulisse. Accipe insecta quæ in locis humidis & cellis vinariis, sub lignis, & lapidibus, reperiuntur, gallicè *Cloportes* dicta, leucophæa, conuexæque figuræ, multa collige, vtpotè ad vncias. 4. Vt & radices porri seu barbam, ad vnciam vnam cum semisse, olei oliuarum, vn-

cias. 6. Minutim incidantur insecta & radices, & cum oleo per horam bulliant, cola, & vtere. Si autem sint internæ, intus infundatur oleum.

Vtilis est & hirudo, si oleum istud in promptu non sit, sed cauendum ne intus irrepat vt quandoque accidit.

Butyrum recens aquâ rosaceâ lotum, deinde cum oui albumine agitatum & admotum, aut cum oleo lini mixtum optimum etiam erit remedium ad earum dolores & tumores leniendos & auferendos. Porrorum barba pulverata in patella ferrea calida, siccata prius, & cum vino albo epota ad idem valent.

De variolarum notis.

OBSERVATIO LXIV.

NObilis mulier Vrbis Castrensis, eaque formosa, à variolis valdè deformis reddita fuit, quare voluit quibusdam vti remediis quibus earum notæ deleri possent. Admotum ergo fuit à Medico quodam cataplasma aliquod frigidum, sed immaturo iudicio, reliquiæ enim morbi intus repulsæ fuerunt, & cerebrum adeo refrigeratum remansit, vt mors pulchritudinis optatæ locum acceperit, quare, hac obseruatione moniti, caueant Medici à repellentibus circa partes nobiles.

Mania à philtro.

OBSERVATIO LXV.

D V. Theologus, propè vrbem Caſtrenſem, à Philtro menſtruorum muliebrium cum leporis ſanguine in condimento ſumpto, in maniam tantam incidit, vt patrem proprium occiderit. Sæpe autem à puellis tale philtrum propinatum fuit, cum eodem ſucceſſu, mania enim vel dementia ſequuta eſt. Quare ab iis cauendum? Veneni illius remedium, ſunt margaritæ præparatæ.

Vlcus in ventriculo.

OBSERVATIO LXVI.

M Endicus quidam per eandem vrbem tranſiens, oſtendebat vlcus in ſtomacho, quod turunda obturabat, à quo chylum cum liberet emittebat, hæc res mira quidem eſt, partes enim membranoſæ difficilè vlcera patiuntur, quodque magis ſtupendum à longo tempore id tulerat & tamen ſatis ſanus videbatur. Tale quid tamen apud Sennertum peritiſſimum medicum, imo omnium ſuæ ætatis mea ſententia Coryphæum, legi poteſt.

Lapides multi tussi reiecti.

OBSERVATIO LXVII.

MVlier Bruguerienſis prope Caſtra, per longum tempus calculos paruos multoſque tuſſi reiecit, qui affectus, grando, me iudice, vocari debet, variæ figuræ erant, duri admodum, & ſic per longum tempus vitam tranſegit. Hæc teſtantur in omnibus partibus corporis, lapides generari poſſe, vt voluit noſter Sennertus. Idem etiam Monſpelij nobili Ioannæ de Montagnes nuper accidit.

Ictерus mirus argentum colorans.

OBSERVATIO *LXVIII.*

MIra mihi puellæ Caſtrenſis hiſtoria à Medico eius ordinario narrata fuit quam prætereire nec poſſum, nec debeo.

Puella hæc tanto ictero inuaſa fuit, vt non ſolum corpus totum, vngues, & album oculi citrina euaſerint, ſed & ſudor, linteaque eius omnia, & quod valdè mirum argentum in pera citrino colore tinctum fuerit quod vltimum D. Vigierius Medicus Caſtrenſis mihi aſſeuerauit cuidam nobili Pariſienſi, *D. Fauereau*, vocato, accidiſſe.

Calculi

Calculi deglutiti.

OBSERVATIO *LXIX.*

A Doleſcentem 14. annos natum vidi, dum Medicinæ operam darem apud Monſpelienſes, qui lances integras calculis pollicis craſſitiei refertas è cochleari deglutitiebat vinum deſuper bibendo, idque ſæpius in die, hac enim arte ſibi lucrum comparabat. Aiebant autem eius ductores eum nihil aliud comedere præter calculos, credo tamen contrarium, eumque, eucmetum fuiſſe, calculoſque quos vorauerat poſtea clam euomiſſe, & pane victum ſibi comparaſſe. Sic enim apud Goulartium aliud tale exemplum reperies de puero nuces integras multas deglutiente pro minimo pretio, rurſuſque clam eas euomente. De hoc libellum nuper vidi ſub titulo, *il mangia ſaſſi.*

Hydrops aſcites notandus.

OBSERVATIO *LXX.*

NOn ſecus ac triplices ſunt, facultates animæ noſtræ ancillantes, quarum beneficio ſanitas in corpore noſtro foueri ſolet, ſic etiam hoſtes corporis humani morbi nimirum, triplici viâ, facultates illas lateſcere non deſinunt, imminuuntur enim deprauantur, vel abolentur facultates noſtræ. Imminutæ autem & deprauatæ naturalis

facultatis exemplum in ægro nostro memoria dignum reperies.

D. Delom Procurator, annos 63. natus, temperamento pituitoso, & corpore obeso præditus fuit, in quo facultas naturalis probè officia sua non exequens, illum nimio hepatis refrigerio, ad hydropem ascitem deduxit, hepar enim facultatis sanguificæ officina, pro sanguine, secundâ coctione deprauatâ, serum tantummodo generauit, vnde cum tertia coctio secundam non emendet, chylus non in chymum, nec chymus in sanguinem, sed in serum tantum transmutatus fuit, sicque, insignis humorum serosorum collectio in abdominis capacitate coaceruata est: quod autem ascite detētus fuerit, patuit per signorum syndromen, adfuit enim abdominis distensio maxima, partim ab aquis, partim à ventis, adeo vt instar vtris tensum fuerit, vnde nomen suum accepit ascites, tandem scrotum, fæmora, tibiæ, & pedes, eundem tumorem passa sunt, frequentes autem hæmorrhagiæ quas præterita hyeme passus erat, causæ illius morbi fuerunt, solent enim nimiæ sanguinis profusiones hydropes post se comites deducere, quibus iungi possunt etia serotinæ æstate præterita potiones aquæ frigidæ quibus frequenter vti solebat, quæ omnia temperamento frigido coniuncta, hunc morbum accersere potuerunt.

Morbo igitur per signa & causas cognito, ad curam veni, hic triplex autem fuit semper mihi ob oculos indicatio, nempe aquarum euacuatio, causæ ablatio, & virium, hepatisque corroboratio.

Aquas euacuandas curaui purgantibus, primò

mitibus, poſteà mediocribus, & tandem fortibus aliquomodò, nempe vſu ialapij in vino albo ad drag. vnam, cum Criſtallo tartari ad drag. ſemis. hypocauſtis, thermis, ptiſanis extrahentibus, emplaſtris, catapl. frictionibus exſiccantibus Rhabarbaro ptiſanis cum rheo bruſco, &c. ſex etiam rerum non naturalium probus vſus ad exſiccationem vergens inſtitutus fuit, ſed morbo pertinaci parum profuerunt remedia, bona licet, præcipuè morbo confirmato, quoniam ægri Medicus non fui ab initio, ſed morbo omninò confirmato id eſt poſt Domini Fregeuillani deceſſum, tamen aliquo pacto ſe melius habebat æger, ſed curæ impatiens, omnia mulierc ularum & agyrtarum remedia tentare voluit, quibus fuit adeo cruciatus nimiis purgationibus, &c. vt non amplius alia optima remedia ferre potuerit, eſulam enim quidam ei ſæpe propinauit, qua valdè cruciatus & euacuatus fuit ſed ſine fructu, tandem natura ſagax indiuidui conſeruationem tentans veſicas in tibia expulſa eſt, è quibus ingens aquarum copia exiuit, vt & ab aliis veſicis, per accidens, in alia tibia excitatis, nempe nimia calefactione. (ob frigus quod percipiebat) & tibialiorum vſtione. Sed hæc vſcuſcula in praua degenerarunt vlcera, adeo vt non mediocris de gangrena timor fuerit, quæ tamen expulſa fuit carnis nigræ amotione vſu vnguenti diapompholigos & aurei mixtis, & vini cum ſale lotionibus, imo carnis exſectione. Tandem remota quidem fuit ope D. de Perroy Chirurgi, ſed vlcera nunquam claudi potuerunt, ob nimiam humorum copiam quibus irrorabantur. Toties enim tantum curantur vlcera, authore Hippocrate, quoties exſic-

cantur. Postea in fœmoribus & pedibus, imo in scroto vlcuscula, vesicæque enatæ sunt, è quibus ingens aquarum copia fluxit, cum inani omnium gaudio, nulla enim sequuta est ventris imminutio, tandem aquæ, pectus & partes vitales laccscere cæperunt, & tussis sequuta est, difficultasque spirandi à diaphragmatis compressione ob aquarum molem.

Quid autem tunc agendum erat, cum res hæc in præcipiti adeo versaretur, adeoque parua salutis spes supereſſet, non cum prognostico tristi relinquendum esse ægrum existimabam, sed extremo remedio vtendum esse. Ait enim Hipocrates, extremis morbis extrema remedia aptè adhiberi, & alibi, præstare anceps experiri remedium quam nullum, & adhuc alibi, morbos qui remediis vulgaribus non cedunt, ferro, & quæ ferro non cedunt igne, curari.

Remedium igitur magnum & vltimum proposui, nempe paracentesim seu vmbilici vel abdominis punctionem. Sed cupiebam vt cum omni cautione celebraretur, Hipocrates autem, lib. secundo περὶ παθῶν, & 6. Epidemiorum ait hanc operationem celebrari posse cum æger non alui fluxu, febre, vel pulmonis vlcere detinetur, hæc autem aberant. Modum vero docet Albucasis, lib. 2. cap. 54. Institutionum Chirurgicarum, nempe vt locus atramento notetur & ibi fiat punctura in vmbilici prominentia, vel à latere, lineam albam vitando: sed Auicenna vult fiat in sinistro potius quam dextro latere, si in vmbilico fieri nequeat, quia magis ab hepate deriuabit. sed Platerus & Fabricius aiunt debere in vmbilico semper fieri, & naturam nos id docuisse cum sæ-

pę & tumor, & apertura ſpontanea in eo fieri ſoleat, quod ſi natura debilis id non moliatur, tumorem hunc, magnæ cucurbitulæ admonitione frequenti, excitare poſſumus, quod ſi fieri non poſſit in latere ſiniſtro, quatuor digitis pone vmbilicum celebrabitur.

In eius autem operatione perpendenda ſunt inſtrumenta, artifex, & modus euacuationis: inſtrumentum autem erit ſcalpellum myrtiforme linteo obuolutum vſque ad diſtantiam qua ferrum demergi debet. Canulaque argentea ſit in promptu, cum retinaculo ne tota immergi poſſit; quæque claudatur & aperiatur ad libitum, operator ſit Chirurgus optimus & ſi fieri poſſit, qui alias hanc fecerit operationem aquæ vero, non ſubitò, ſed per ἐπικρασιν, euacuentur, ne cum aquis animam etiam efflet æger, in omni enim magna euacuatione ingens fit virium deperditio. Euacuetur ergo ad vnc. 8. vel 10. vnaquaque vice. Quantitas autem pulſu menſurabitur, cum enim imminui incipiet, ſufficiet pro vna vice euacuatio. Dum hæc agerentur cupiebam, vt opiatâ Salomonis, nucibus conditis, vino Hipocratico, corroboraretur æger, ſed licet hæc mea fuerit ſententia, maluit æger vitam ſine remedio breuiter cum morte commutare: cadauer etiam, renuentibus parentibus, apertum non fuit. Volui hic methodum paracenteſeωs ponere, licet facta non fuerit, vt inde quidam eam petere poſſint.

De septimestris partus notis.

OBSERVATIO *LXXI.*

CVm in septimestri partu cognoscendo, multi imò fere omnes errent & sic impudicæ mulieres peccata sua sæpissimè tegant, optimè me facturum esse existimaui, si historias sequentes publici iuris facerem. D. Soultz Lũberiensis, puerum habuit, qui statim ab ortu digitis pedum caruit, digiti vero manuum longi quidem, sed graciles fuere, pro digitis autem pedum parua tubercula quinque cum vnguiculis habebat, quæ naturæ miraculo paulatim oblongata sponte sua iustam & solitam magnitudinem in noni mensis fin attigerunt, vixit tamen 27. annos. Sic catulo um aliorumque animalium oculi nono tantum post ortum die perficiuntur.

Aliam obseruationem circa idem subiectum mihi obstetrix communicauit, nempe pueros septimestres, habere auriculas & labia quodammodo imperfecta, rubra enim sunt valdè, & sanguinea, imo & sanguinem quandoque resudasse certum esse asseuerauit.

Magd. de Duranc Monspel. 7. mense nata, multis habuit in corpore imperfectiones & digitos etiam imperfectos. Hęc tamen omnia 9. mense perfecta fuerunt.

Mizaldi Cent. 3. Obs. 33. mense 7. genitis, ait, narium & aurium foramina defuisse.

De puris abſceſſuum euacuatione.

OBSERVATIO LXXII.

CIuis Caſtrenſis empyemate detentus diù fuit. Tandem natura ſagax puri exitum quærens, tumorem in latere produxit, quò perceptò, Medicus ordinarius eius aperturam iuſſit, quò aperto nihil manauit ab illo contra omnium ſpem, quare æger relictus, vt vires eius repararentur, ſupra latus ægrum (quoniam in ſano quieſcere non poſſunt, ob puris copiam mediaſtinum grauantis) dormiuit, at in ſomno pus maxima copia exiuit, imo omne, contra Medicorum omnium iuſſum, qui volunt vt iteratis vicibus emittatur ob perditionem nimiam ſpirituum quæ in omni nimia euacuatione fieri ſolet, & cum ſe curatum eſſe teſtaretur æger, quia leuabatur eius reſpiratio, ſubitò mortuus eſt. Hac obſeruatione Chirurgos nec non Medicos rogo, vt nũquam ſine turunda abſceſſus apertos relinquant, quoniam licet nihil ab illis erumpat in operatione, tamen quoniam materiam non attingunt pus ſibi vias quærens, foramen proximum inuenit, & ſic defectu turundæ, exit totum, & mors ſubſequitur ſubita.

Pus per os, nares, aures, & oculos simul eiectum.

OBSERVATIO LXXIII.

ÆGrum habui, qui post capitis dolorem insignem, cui irritè remedia adhibita fuerunt, tandem subitò curatus fuit, ruptione vomicæ cerebri, & pure emisso per os, nares, aures, & oculos. Idem vidi apud Monspelienses. Et D. Eleazaro de Campdomerc idem videre semel in vita contigit, quod remedio cathartico ante præscripto imputat. Natura enim irritata abscessum rumpit, & vias multas sibi ad eius expulsionem eligit quod ab illius nimia quantitate grauetur. Hæc cura rara & notanda est & aphorismum Hipocratis confirmat qui sectione. 6. aphorismo 10. sic loquitur. Κεφαλὴν πυέουτι ἢ φρισσυτέουτι, πύου, ἢ ὕδωρ ἢ αἷμα ῥυὲν ἔξω τοις ῥῖνας, ἢ ἔξω τὸ στόμα, ἢ ἔξω τα ὦτα, λύει τὸ νοσημα.

De canum rabidorum morsu.

OBSERVATIO LXXIV.

NVlla exempla abstrusioris indagationis in tota Medicina reperiri possunt, quam quæ quotidiè in demorsis à canibus rabidis nobis oc-

currunt, in hisce enim præterquam quod insitione quadam veneni & naturæ caninæ, homines in canes transmutari videntur (quod & vlulatus & morsus eorum involuntatii satis superque testantur) latet in eis etiam venenum non solum per 40. dies, vt in peste & aliis morbis contagiosis fieri solet, sed etiam per multos annos vt sequentibus historiis patebit.

D. Lautier Vabrensis demorsus à cane rabido, obiit 7. ab hinc annis ab illius morsus veneno, ratione tamen seruata vsque ad mortem, dum autem sanus omnibus haberetur, imo sibimet, subito ei latrandi cupiditas maxima superuenit, imò tanta vt sociorum amicorum consortium dimitteret vt auerso ab iis vultu, latrare posset, sed postea paulatim resipiscens, percepit mentem suam quodam veneno laborare, & quædam remedia sibi admoueri iussit, sed frustra, quare paulo post in hydrophobiam incidit & in horrorem aeris motus, adeo vt vultum tegeret dum quis ad illum accederet; quod certe aliunde procedere nequit, nisi à facili spirituum ad commotionem propensione, cum iam ferè in motu sint à veneno lacessiti.

Alter Biterrensis vt mihi à D. Gabriele Ducros collega meo relatum fuit, demorsus in digito auriculari à cane rabido, curatus fuit cura palliatiua, sed triginta ab hinc annis, hydrophobus factus, & insigni dolore eiusdem digiti correptus, vitam cum morte commutauit.

Tertio quidam Montalbanensis in crure morsus & curatus, longo post tempore tamen, simili die, & in eodem loco in quo morsus fuerat dolore magno in parte demorsa correptus fuit, quasi

veneno in hoc loco vrbis per annum integrum conseruato, vnde eo transeunte, ad magnetem veneni in vulnere eius latitantem transuolauit. Hisce historiis manifestissimum est venenum canum rabidorum in nobis, vel etiam extra diù latere posse, vt de peste non dubitatur. Fernelius illud concedit & doctissimus Seuerinus Danus in idea sua Medicinæ, nam in corpore calido venenum frigidum retundi potest aliquandiu sed tandem mutatâ corporis illius qualitate, venenum rursus emergit. Sic etiam extra latens venenum morbi epidemici à corporis constitutione contraria obtunditur & rursus ab alia vires sumit. Sicque in vestibus per multos annos fomes pestis sæpe latitauit, imo locum eius, odore quodam fætido, calceorum vstorum fætorem æmulante, Eremita Tolosanus olim percipiebat, dixit enim sæpe, in hoc curru, in hoc angulo, in hac arca pestis latitat, & adhuc venenum illud pestis iuxta aëris temperiem calidiorem vel frigidior[illegible] parum vel multum grassatur.

Ergo cum aliquis à carne rabido morsus est, non solum vulnus curandum est, sed & venenum extrahendum tum cucurbitulis, tum scarificatione, imò & carnis extirpatione, theriaca etiam sumenda, mare adeundum, quod quadam mira proprietate, & specifica, ad id valeat, & alia remedia solita facienda, nec vulnus, paruum licet, negligendum erit ne postea, successu annorum, corporis temperamento mutato, venenum rursus serpere incipiat, est enim ibi vt inimicus insidiosus, occasionis capillos arripiens cum ei arridet.

Sed mirari quis poterit, quo pacto occulta hæc

ſeminaria morborum in nobis tandiù latere poſſint, at mirari deſinet ſi Seuerini ſupra laudati doctrinam optimam, ſine præoccupatione audiat, ait autem ille morbos ſemina ſua, plantarum & animalium inſtar, ſuo modo habere, deumque, malorum, vt & rerum bonarum ſemina poſt peccatum Adami creaſſe ad hominum pœnas, ſeminum autem illorum morbificorum terra neceſſaria, corpora noſtra ſunt, hic ſeruntur per cibum & potum, per contagium, reſpiratione & vento, tuncque iuxta prædeſtinationem ſuam, in nobis effectus ſuos nempè morbos certos producunt, quorum vnuſquiſque ſimilia habet ſymptomata, vt vnaquæque planta ſimiles fibras & eandem figuram habet, morbi vero complicati, monſtra morborum dici poſſunt.

De rabie à lupi morſu & de alijs animalibus rabidis.

OBSERVATIO LXXV.

PAucis abhinc annis duo ruſtici villæ Carthuſianorum prope Caſtra à lupi morſu rabidi facti mortui ſunt. quod ſatis teſtatur, non ſolum canes, ſed etiam lupos rabie corripi, reperiuntur evempla de Camelis, vrſis, porcis, felibus, &c. quare ab omnibus animalibus caniculæ tempore furentibus, cautè cauendum eſt, tunc enim, vel dentium dolore, vel amoris œſtro percita, in cætera animalia irruunt.

Præterea pro certo mihi relatum porcum à cane

rabido demorsum fuisse, omnesque qui eius carnem degustarant rabidos effectos fuisse, maxime igitur cauendum est, ab esu animalium demorsorum.

Licet parui momenti hæ obseruationes videantur, tamen non rejiciendæ sunt, multi enim ob morsum canis, nollent carnes animalium projicere sed econtra eas vendi posse non dubitarent, quare hisce historiis sapientiores facti, hi ab earum emptione, isti vero, ab earum venundatione abstinebunt.

Ab ambusta oleum mirum.

OBSERVATIO *LXXVI.*

A Deps porci bulliens guttatim super lauri foliis projiciatur, & hoc oleo ambustum locum inunge, & intra tres dies curabitur quasi quodam incantamento, licet pars ambusta maximè fuerit, quovisque modo.

Pueri imperforato podice nati.

OBSERVATIO *LXXVII.*

D Tirefort senior, Castrensis Chirurgus puerum curasse mihi retulit qui podice imperforato natus erat, idque scalpello & ruptione membranæ crassæ qua obtegebatur. Alter mihi

nuper etiam dixit se idem in puero mercatoris fecisse, cuius nomen taceri voluit, vocatus ipse etiam fui ad videndum puerum villæ de Gouriade anno 1648. qui sic podice imperforato natus erat, sed cum tarde foraminis illius defectus animaduersus fuisset, antequam operatio celebrari posset, puer è vita discessit. Sennertus talem vidit clausuram, in puero qui dies 17. vixit, ano licet clauso, fæcem autem cum vrina reddebat.

Hisce historiis patet puerum in ventre materno, nulla primæ coctionis excrementa reddere, quoniam sanguine materno in quo talia non sunt excrementa, per venam vmbilicalem nutritur. Sic etiam nascuntur pueri glande imperforata, de quibus vide Sennertum & Æginetam, sicque reperiuntur virgines imperforatæ, de quibus in sequenti obseruatione agemus.

Tobias de Rocairols Chirurgus Castrensis puerum ano imperforato natum in hac vrbe curauit, membranam Scalpello aperiens, adhuc quæ puer vita fruitur.

De virgine imperforata.

OBSERVATIO *LXXVIII.*

NVper mulier quædam matrimonij solutionem petiit, quod esset imperforata; res hæc notanda quidem & rara est, sed non sine exemplis, nam Cabrolius similem refert historiam in suis obseruationibus Medicis de puella 17. annos nata, quæ cum arcta nimis esset, à menstruis retentis, tumefacta & quasi prægnans reddita fuit,

& non sine vitæ periculo, quoniam rem detegere noluerat. Tamen ab illo feliciter scalpello curata fuit, vrinam vero per vmbilicum reddebat. Alias similes narrant historias, Beniuenius, Fabricius, Horstius, Platerus, & alij. Hæ atretæ vocantur, talesque sunt vel ab ortu, vel ab vlcere, vt prima cuius historiam retuli, vel aliis de causis. Si ab ortu & membranæ obductu, facilè curantur operatione manuali, si aliter vero, vsu pessariorum & aliis remediis quæ breuitatis causa prætermitto, curiosos ad cap. 3. sect. 1. part. 1 lib. 4. Danielis Sennerti practicæ Medicinæ mittens. De hac membrana quam Auicenna clausulam vocat, albucasis, alraticam, græci *phimosin* & *phimon*. Vide dissertationes forenses Rouillardi, vt & Ætium tetrabibl. 4. serm. 4. cap. 96. Paulum Æginetam lib. 6. cap. 73. Corn. Celsum lib. 7. cap 28. & Albucasim lib. 2. &c.

Ad caruncula pudendi, optimum remedium.

Observatio LXXIX.

MVltos vidi qui post innumera assumpta remedia, miseramque vitam agentes, ob carunculam pudendi, tandem magnis sumptibus à Chirurgo curabantur Frontiniacensi, quare sedulò apud me perpendens, & candelas & aquam quibus vtebatur, & diætam iis præscriptam, concludi, non sinè ratione, Chirurgum hunc hoc non inuenisse remedium propria indagatione,

nec me mea fefellit sententia, rem enim de verbo ad verbum apud Danielem Sennertum, capite de caruncula, inueni, & remediis collatis eadem planè esse percepi, & tandem in morbis similibus adhibita, idem effectus sequutus est. Errant ergo qui remedia tantum manuscripta magni faciunt, vulgata libris rejicientes. Ego vero licet mihi vtile fuisset remedia mea silentio obruere, ea tamen detegere malo, vt proximis meis prodesse possim. Hoc remedium autem tale est, quod hic trâscribo pro ijs qui Sennerti opera in promptu non habebunt. At dicet Osor quidam, nil noui proponis cum id è libro accipias? Respondeo sufficere vt eius præstantiam, & veritatem indicem remedia enim quæ in libris extant non pro bonis ab omnibus excipiuntur.

Acc. virid. æris, auripigm. vitrioli, aluminis rochæ ana vnc. 2. omnia hæc aceto acerrimo perfusa inter duos porphyritides lapides, quam accuratissimè ducantur, & in læuorem tenuissimum reddantur, solique æstiuo exponantur, hæc rursus exsiccata aceto effuso ducenda sunt, & læuiganda, solique exponenda, quousque puluis subtilissimus euadat & sine acrimonia, quod octo dierum spatio peragetur. Postea accipe olei rosacei vnc. 4. litharg. vnc. 2. coquantur, donec emplastri acquirant consistentiam, & tunc ab igne depone, & adde prædicti pulueris vnc. 2. & spatula misce quousque medicamentum duriusculum euadat, ita vt candelæ cereæ hæreat, neque diffluat etsi digitis tractetur præter hoc emplastrum, cereas candelas numero 20. in promptu habeas, ex cera alba, paucula resina & therebentina paratas, longitudinis 12. digito-

rum transuersorum, & crassitudinis meatus vrinarij, candelam vnam harum frustulo dicti emplastri in summitate iunctam, in vrinarium meatum immitte, & sic per 6. vel 8. dies candelam renoua per tres horas quotidie eam sinendo donec caruncula absumpta sit; postea per syphonem stanneum, sequens immitte medicamentum ad meatum abstergendum. Accipe hordei non excortic. pug. 2. radic. aristoloch. rot. vnc. 1. cum semisse plantag. manip. 1. coque in aqua communi, ad dimidias, colaturæ adde mellis rosati vnc. 2. misce & ter in die per 6. dies continuos per syphonem injice.

Vermes in dorso, masclous, dicti.

Observatio LXXX.

VT in facie humana, naso præcipue, sic per totum ferè corpus latent vermiculi, capite nigro, pruritum excitantes, qui vel auelluntur instrumentis Chirurgicis, vel seminis hioſciami suffumigatione in parte pruritu detenta, in subiectam aquam, detersione partis suffumigatæ cadunt (pruriginosi enim viri facile è pectore, manibus, &c. Similes vermiculos fumo supradicto detergunt.) Sic etiam pueri vermiculos in dorso capillorum instar, habent, à quibus adeò cruciantur vt nec dormire, nec lac sugere possint, sed è contra perpetuò vagitu matres lacescere non desinant, id propriis vidi oculis in fratre meo, at mellis inunctione, paucis diebus hi vermiculi è dorso

dorso exiuerunt, nigra capita ostendentes, vnde linteo rudiore fricati ceciderunt. Hæc à paucis memorantur quare nolui hanc obseruationem prætermittere, multi enim pueros hoc morbo detentos & emaciatos fascinatos fuisse autumarunt, vel ad alias occultas causas & præternaturales rem plane naturalem referebant, aut remediis puerorum corpuscula inutiliter torquebant.

Aranea deglutita.

OBSERVATIO LXXXI.

SÆpè homines subitâ morte & præmatura correpti è vita discedunt, alij nimia voracitate, de qua ait Iuuenalis.

Hinc subitæ mortes, atque intestata senectus.

Alij potu nocturno, sic enim animalia in vasa illapsa deglutiunt, vt sequenti patebit historia, quæ cum à Medico ignorentur, difficili negotio curari possunt, cum ignota causa, aptum remedium opponi nequeat, quare hac obseruatione cauti fiant lectores nec sine luce aquas vel alias res deglutiant, vel ore aperto dormiant.

D. Iosias de Fregeuille collega meus ad curam cuiusdam vocatus, ei remedia adhibuit quæ apta esse iudicauit, sed tamen æger subitò è vita discessit. Corpore aperto, aranea in stomacho eius inuenta est. Sic assertum mihi ab alio, Medicum 7. araneas è corpore humano remediis expulisse. Similia sæpe accidunt, sed incuria non percipiuntur. Sic enim nuper D. Samsoni de Rupeforti pastori Eccl. magnam in vino araneam per-

cipere contigit, parumque abfuit quin ab eo deglutiretur.

Similes historias reperiet curiosus apud Sennertum lib. de venenis vbi remedia specifica ad id recensentur.

Araneas deglutitas allici aiunt si muscas propè os bombos edant ad has enim Vorandas accurrunt.

A clauo pedis resecto, gangrena & mors.

Observatio LXXXII.

De Fonuieille ciuis Castrensis, cum à clauis pedum valde cruciaretur, tandem ad eorum resectionem ope nouaculæ deuenit, sed paucis elapsis diebus, gangrena in pollice apparuit vnde ad minimum digitum, inde ad indicem, quarto ad annularem & vltimo ad medium peruenit, posteaque ad pedem & malleolum, vnde tandem mors sequuta est. Non incautè ergo claui resecandi, idem enim anno 1648. in Anglia magnati cuidam accidit claui enim parti maximè dolorificæ nempe periostio, seu membranæ ossa digitorum tegenti infixi hærent, cumque membranæ exquisitissimi sint sensus & inter membranas periostium, maximum efficiunt dolorem, vnde maximum humorum effluuium pariunt, humores vero ij cumulati corrumpuntur à ventilatione prohibita, vel aliter, & in gangrenam, & sphacelum degenerant.

Fistulæ insignis, & antiquæ in crure curatio.

Observatio LXXXIII.

IDe S. ab ictu, in genu tumorem subitò incidit, & tandem totius cruris, quod in adeo ingentem creuit molem vt puerum vnius anni æquare potuerit, remedia multa lenientia & anodina aliaque admota fuerunt, sed tandem crus apertum est in parte superiori, sicque cessauit quidem dolor, sed tumor remansit, & materia in fundo vlceris stagnans & ad foramen superius regurgitans partemque quotidie corrodens, in fistulam profundissimam degenerauit. Conuocatis Medicis, dictum fuit, fistulam aperiendam esse cum mundari injectionibus optimè nequiret, at ægra hæc renuente, multa tentauit, imò omnia mulierc ularum remedia, tandemque contra omnium spem optimè curata fuit. Labia fistulæ primò alumine vsto corrodens & postèa vnguento ex alumine, oleo nucum, cera, & cineribus sarmentorum. Quo fistula inferius aperta, sicque facilè euacuata fuit, & tandem aquis vulnerariis mundata, tandemque ad cicatricem deducta, nullo dolore, nec ambulandi impotentiâ remanente. Notandum autem est mulierem hanc olim in hoc crure septem pestiferos carbunculos habuisse, & ab hoc tempore crus illud semper alio maius fuisse, quare autumarem aliquod in hoc crure pestis venenum remansisse, sicq; paruò

illò ictu humores facilè ad hanc partem, ob eius imbecillitatem affluentes, veneni qualitatem quodammodo assumpsisse, vnde insolitus tumor & alia magna symptomata subsequuta sunt.

Alia mulier simili morbo, post pestem ei etiam relicto, solo plantaginis succo, & vrticarum, curata est, folia autem contusa ei etiam admouebat.

Tremores & dolores pedum, vt & de congelatis à frigore.

Observatio LXXXIV.

ÆGrum habui, qui frigore nimio, in dolorem tremoremque pedum maximum inciderat præcipue dum ad ignem accederet: quare cum id à sanguinis inflammatione, & ventilatione prohibitâ clausis à frigore poris, ortum ducere iudicauissem sanguinis missionem in malleolis præscripsi, tanta cum vtilitate, vt pauciſſimis diebus curatus fuerit.

Famulus ciuis Castrensis frigore congelatus, repertus, in fimo positus fuit vt eius calore, calor natiuus sopitus ad externas partes reuocaretur, sed famulus ira percitus vocabula quædam obscæna pronuntians subitò animam efflauit. Quoniam sine dubio, fimi calor frigoris atomos profundius intrudebat, vnde dolor ingens producebatur, vt videre est in manibus & pedibus refrigeratis, & subitò igni admotis. Quare Sennerti consilio potius ægrum in aquam fere frigidam immersissem vt benigne apertis poris, hu-

mores congelati fluidi fierent & calor natiuus excitaretur.

Digiti iuncti à natura, vt & superflui.

OBSERVATIO LXXXV.

VT in pueris post ortum quandoque reperiuntur membranæ, podicem, vuluam, balanum, &c. obducentes, sic etiam reperiri possunt quorum aures, oculi & aliæ partes similiter teguntur, quod fortasse à nemine huc vsque obseruatum fuit, obstetricum incuria, quæ hos pueros pro monstris suffocant, vel sine auxilio relinquunt, cum tamen scalpello curari possent.

Sic natus erat puer digitis pedum & manuum à membrana instar anseris iunctis, qui tamen scalpello optime separati fuerunt.

Alij etiam cum digitis supernumerariis nati sunt, qui sectione curati fuerunt, vt puer D. Born loci d'Assoual, digitum, enim præternaturam prope auricularem habuit, sed in radice gracilem, quem à Chirurgo resecandum curauit, quod feliciter factum fuit.

Audiui etiam à quodam penes quem fides sit, os nimis arctum fuisse dilatatum, & è contra in alio coarctarum remediis glutinantibus, vulnere præmisso, quod non facile crediderim.

Sex digiti de quibus egimus facti fuerunt nimia materia, monstra enim ab hac causa vt à materiæ defectu æque fiunt, sicque legimus in Chronicis sanctis, gigantem extitisse sex di-

gitis in pedibus & manibus præditum.

Tumores genarum cum dentium dolore.

OBSERVATIO LXXXVI.

ANno 1648. tumores quidam genarum cum dentium dolore populariter grassati sunt, à fluxione catharrosa, ob pluuias immodicas. At omnes breuiter curati sunt, qui ficum inuersum calefactum, sæpe renouando interius admouerunt, tumor enim citò, maturatus in ore aperiebatur & cum sputo euacuabatur.

Lapis in tumore humeri.

OBSERVATIO *LXXXVII.*

REs mira & inaudita in Manso Asilij nuncupato nuper accidit, mihique à Domino nobili Dusson communicata fuit, quidam tumorem in humero à longo tempore passus ad Chirurgum se contulit, Chirurgus autem remedia maturantia, vt emplastra è diachylo cum gummis & alia apta adhibuit, sed cum nullis remediis tumor emolliretur, tandem sectione instituta, rem durissimam inuenit, qua extracta, fuit lapis oui instar, isque durissimus, quem curiosis asseruat.

Non solum autem in tumoribus lapides generari possunt, sed etiam in omnibus corporis hu-

mani partibus, vt de vermibus, multæ historiæ comprobarunt: qui autem vermium & lapidum historias in omnibus partibus corporis generatorum legere cupiet. Videat D. Sennerti caput, quod de hac re ex professio in praxi sua Medica conscripsit.

Cerebri substantia sine morte deperdita.

OBSERVATIO *LXXXVIII.*

HVc vsque creditum est cor; cerebrum, & hepar vulnerari non posse quin mors statim subsequatur. At contrarium sequenti patebit obseruatione. Vidi enim cerebri substantiæ portionem absque vitæ amissione deperditam, viditque idem D. Isaac Riuerius Medicus Mazametensis peritissimus, idque Cabrolius etiam obseruauit in libello suo anatomico. Sic non semel in corde lapides reperti sunt, quod quidem mirum sed non sine variis optimorum authorum testimoniis; id autem fieri potest quoniam quæ in corde generantur vt lapilli & ossa, non ei vim inferunt vt externa accidentia. Reperiri enim in eo possunt calculi & ossa, vt reperiuntur ossa, in equorum, boum, & ceruorum cordibus, ad venena vim alexiteriam habentia, & præterea vermes & vlcera in corde reperta sunt, vt apud Sennertum videre est, modo enim capsulæ vel ventriculi eius spirituum officinæ, præcipuaque vasa non sint læsa, potest cordis substantia per aliquod tempus, erosa licet, perdurare, non tamen sine vitæ amis-

ssione, sed non adeò subita, vt huc vsque creditum fuerat, totum enim parenchyma cordis, non vasa magna continet: idem etiam de hepate & aliis nobilibus partibus censendum est, nam in hepate vulnera satis magna visa, imò summitates loborum amputatæ fuerunt absque vitæ discrimine. At continui solutionem cor posse ferre absque vitæ extinctione, Fernelius asseuerat, vt & Cabrolius obs. 26. qui etiam de hepatis & cerebri vulneribus non lethalibus in reliquis observationibus disseruit.

Vermes, alios sibi similes, in corpore humano generantes.

OBSERVATIO LXXXIX.

VErme crassem, ab hominis corpore eductum, forteque pedibus exenteratum, non sine admiratione vidi, vermiculis innumeris refertum esse, quare non mirum si in corpore nostro tanta copia generentur, cum & ipsi generent sibi similes, quod etiam asseruit Hipocrates: animalia enim multa licet à corruptione generentur, tamen postea copulatione propagantur; corpus igitur probe mundandum est & vermes luna decrescente remediis specificis euacuandi, de quibus lege sequentem observationem.

Vermes necantia, & eijcientia.

OBSERVATIO LXXXX.

VT nullo ferè morbo mulieres detinentur, in quo non aliquid doloris vteri, & in pueris dentium immiscetur, sic etiam in adultorum imo & ætate prouectorum morbis vermes vtplumum immiscentur, eorumque semper medicus in curatione rationem habere debet: plerumque enim morbos, quorum causam è longinquo petebant Medici, vermibus multis ejectis curatos vidi. Quare semel in mense, decrescente lunâ, qui vermibus generandis obnoxij sunt, remedium hoc meo consilio accipient, lactis clyster injiciatur vt eius dulcedine vermes inferius alliciantur, deinde per os semen contra, capiatur cum malo cocto, sic è superioribus partibus fugati & ad inferiora allecti, foras facilè euacuabuntur. Vel gutta essentiæ seminis contra vermes vmbilico cum bombace admoueatur, eos enim mire fugabit.

Vidi alium pro tabido habitum & quasi conclamatum, qui potu pulueris corticum arantiorum ad dragmam vnam per tres vices, in vino, curatus fuit, ejectione innumerorum vermium.

Fascinum ad odium.

OBSERVATIO LXXXXI.

CVm vxor Domini de M. Pastoris Ecclesiæ de Sauarat, cibum quemdam à stryge sumpsisset, post conjugij benedictionem, statim amor quo pro marito flagrabat in tantum odium commutatus est vt ne eius quidem præsentiam, ferre posset. Eo vero absente, miseram suam conditionem agnoscens, in se iurgia vertens, valde angebatur, quod vir tanti meriti ab ea adamari non posset, tandem elapso magno temporis spatio, absque vllo à Medicinæ pharmacis leuamine, à quodam mago facilè curata fuit, adeo vt cum marito amice vitam duxerit. Hæc historia, vt certissima, multtos poterit à sagarum negatione & potentia maleficarum reuocare; vt & sequentes historiæ.

Sagarum notæ, vt & historia pueri ab eis rapti & occisi.

OBSERVATIO XCII.

ANnis præteritis, tres sagas Castris incarceratas mihi videre contigit, quæ togatæ, se sagas esse fassę sunt seque mutuo accusarut, noctur-

nos conuentus corã demone choreas, epulas, per aera volatus, vnguenta & omnia alia quæ de iis circumferuntur etiam mihi conceſſerunt, notas præterea à demone impreſſas oſtenderunt, primam in capite, ſecundam in fæmore, in quibus ipſis non animaduertentibus, aciculas immiſit D. Abel Defos Medicus qui mecum erat, nec tamen vllum dolorem ſe percepiſſe teſtatæ ſunt. Notandum autem eſt notam fæmoris in quatuor diuiſam fuiſſe quæ cicatrices ambuſtionis æmulabantur, aiebat autem hæc, dæmonem hanc ei vnguibus feciſſe. Faſſæ etiam ſunt ſe nocte, ſtilos ferreos oblongos puerorum capitibus infigere, vt alibi antea retuli.

Ciuis Caſtrenſis narrauit etiam mihi puerum ſibi à cubili ablatum fuiſſe, eumque in felis foramine reperiſſe, ſeque quaſi mulierem fugientem, puerumque auferentem tetigiſſe.

Fuerunt & combuſtæ plures ſagæ in Manſo Aſilij, quæ dixerunt ſe necaſſe nobilem puerum, & nocte à tumulo ablatum, iuſſu diaboli, iecur eius comediſſe.

Cum igitur ſimiles hiſtoriæ omni ſæculo narratæ fuerint, & ab omnibus nationibus agnoſcantur ſagæ, ipſeque non renuant, omneſque idem narrent, dixerunt enim iſtæ aliæque plures, diabolum forma magni viri in veſte rubra cum iis coiuiſſe, ſeque maiorem cum eo, quam cum hominibus voluptatem percepiſſe, ſed ſemen frigidum extitiſſe, &c. Non dubitandum eſſe de earum realitate concludo. Præcipuè cum ſacri codices leges aduerſus eas tulerint. Diſtinctionem tamen faciendam eſſe inter eas cenſeo, ſagę enim, vel ſunt diabolicæ, vt hæ, vel veneficæ tantum,

quæ philtris, venenis,&c. miros, simulque tristes edere effectus consueuerunt.

Vulnera ob amasiæ præsentiam non curata.

OBSERVATIO XCIII.

A Dolescentem anno 1641. apud Monspelienses vidi, tria ingentia vulnera passum, dum amicam puellam horis nocturnis inuiseret; vulnera vero securi inflicta fuerant, primum in mento, os eius separans, secundum in genu, rotulam frangens, & vltimum in capite, os parietale sinistrum rumpens. Adeo vt vulnera hæc valdè longa & profunda horrendaque essent, tamen opera D. Formij peritissimi Chirurgi Monspelienſis vsque ad 38. diem feliciter deductus fuerat æger, cum maxima futuræ curæ spe, sed adstantium in curia, puella hac visa, eius sanguis amore feruens, antiquas vulnerum vias quærens, magnas produxit hæmorrhagias quibus paulò pòst obiit. Non ergo temerè à vulneratis mulieres amatæ videndæ sunt ne eiusmodi errores. Ægris vitam, medicisque ac Chirurgis speratarum curarum gloriam eripiant.

Hæmorrhagia verbis curata.

OBSERVATIO XCIV.

DDelom Procurator Castrensis, Hæmorrha-.gia narium insigni cruciatus cum nullo remedio curari posset, tandem remedium sibi oblatum in vuæ passæ grano, accepit, quo deglutito, statim cessauit sanguinis fluxus, communicatum vero fuit mihi secretum; sed non sine difficultate, sed spe frustratus partim fui, cum non fuerit remedium naturale, vt sperauerat, sed carmen & verba incognita chartulæ inscripta & in vua recondita; hæc verborum & Characterum vim testari videntur, sed Credo potius ab imaginationis vi, vel pacto implicito diaboli hæc fieri. remedium verò naturale ad eundem morbum specificum, & alia optima in sequenti obseruatione detegam.

Ad hæmorrhagiam remedium mirum.

OBSERVATIO XCV.

EOdem ægro, alia vice, simili morbo detento, remediumque superius enarratum reuenunte, tanquam inter Christianos vetitum, relatum fuit ei quemdam virum, secretum admirandum ad hæmorrhagias insigniores statim sistendas habe-

re, sola herbæ contusæ applicatione, eoque remedio innumeros curatos fuisse, inter quos D. Poncetus Arcarius, à Medicis & Chirurgis olim deploratus, qui non solum fuit curatus sed numquam ab illo tempore hæmorrhagiam passus est. Remedium igitur hoc habendum curauit æger noster, missa ergo fuit herba contusa, & aqua in phiala, herbam plantis pedum, & volis manuum applicandam esse neque 24. horis amouendam scribebat secreti possessor, & mantile aquâ frigida madefactum testiculis inuoluendum, naribusque indendas interioris cepæ partis turundas in aqua supradicta madefactas, naribus primo eadem aquâ mundatis. Hæc omnia facta fuerunt tanto cum successu, vt nihil melius exoptari posset; ego vero remedij addiscendi desiderio flagrans portionem herbæ asseruaueram, qua diligenter explorata, manifestissimè secretum agnoui, folium enim herbæ malè contusum & ferè integrum inueni, aquamque ex eadem herba esse percepi. Vt autem miseris ægris prodesse possim, libenter eam nominabo. Ego enim contra quam alij præstant omnia arcana mea sine ænigmate vllo detego, malo enim proprià meà jacturà, proximo vtilitatem afferre. Vrtica communis hæc herba tantæ virtutis est, hæc enim vt sæpe ab illo tempore expertus sum miros ad hoc produxit effectus, imo in vulnere equi, magni pretij hæmorrhagia peruentis, quod etiam præstat si fronti admoueatur.

Non mediocri etiam vi pollent bursa pastoris & hyosciamus simili modo aplicatæ, vel mantile aqua communi madidum colloque inuolutum, vel ol. rosac. auri instillatum, vel hæderæ succus

ad vnc. 1. epotus, vel asininum stercus naribus admotum, vel pili leporis cum atramento naribus inditi.

Pollicis punctura, & vlcus.

OBSERVATIO XCVI.

CVm forte. I. B. P. M. in pollice à cultro vulnus passus esset, subitoque Balsamo quodam sanatus fuisset, paucis diebus elapsis, rursus adeo acerbum dolorem in eadem parte sensit, vt non solum à cibo & potu, sed etiam somno priuaretur; cumque ob inflammationem & tumorem, gangrenæ imminentis, digitique amputandi instaret periculum. Contra meum & Chirurgorum consilium qui digitum aperiendum esse dicebamus, ne periostium corrumperetur, quod iam corrumpi ob dolorem autumabamus, remedio sequenti vsus est, quo miraculosè sanatus perfectissimè fuit.

Acc. vini albi haustum vnum, mellis albi vel communis vnc. 4. ouorum vitellos numero tres, misce & leniter supra ignem lignea spatula agita, donec vinum in fumum abierit, & quod residuum est vnguenti consistentiam acquisiuerit eoque vtere, sæpe renouando.

Hoc remedio multa vulnera & vlcera desperata curata fuerunt, illudque libenter communico: bonum enim eo magis bonum quo magis diffusiuum est, & obseruationes vtiles cum scribere decreuerim, remedia insolita non reseruanda esse

existimaui, licet alij contrarium in suis obseruationibus faciant.

Vulneratis igitur non subito Balsamis vtendum est, nimisque citò vulnera claudi non debent nisi optime à sanguine extrauasato euacuata fuerint, aliter enim cicatrice obducetur equidem vulnus, sed sanguis intus corrumpetur, & dolores immanes efficiet osque corrumpere, peioraque adhuc symptomata producere poterit.

Cum autem de pollicis doloribus ingentibus hic agatur, notabo breuiter historiam nobilis Iuuenis Castrensis qui in subeth sæpe corruebat, præcedente pollicis dolore ingenti. Quod fiebat ab aura quadã venenata ad pollicem tanquam ad corporis extremitatem emissa, & post circulatione sanguinis ad caput delata. Curatus autem fuit causticò actuali pollici admoto, datâ portâ aurę huic venenatæ.

Puerorum dolores à dentitione curati:

Observatio XCVII.

PVeros multos vidi ob dolores insignes à dentitione, gingiuis valde tumefactis, mortuos, post mortem vero dentes nascebantur: omnes tamen meo consilio curari breuiter possent, si scalpello gingiuę aperiãtur, tunc enim sanguinis fluxu, cessaret tumor & dolor. Viaque aperta dentes subitò prodirent, idque feliciter amicus quidam meus in pueris propriis facere solitus est. Mirorque quod non sæpius hæc operatio celebretur cum

cum leuamen præsens à paruo vulnere in parte ignobili pendeat.

Dentium dolores leuans remedium.

OBSERVATIO XCVIII.

DOlores dentium à causa frigida, subito leuant, guttæ aliquot essentiæ cariophyllorum, buxi, thymi, vel satureiæ, multos etiam sanaui lapide imperiali vocato, cuius frustulum denti dolenti imponendum est, & starim aquas alliciet & screatu frequenti dolorem auferet. Sic autem fit.

Acc. salis petræ & aluminis rochæ ana, puluerentur & simul in crucibulo fundantur addendo parum sulphuris puluerati, vt magis albescat lapis. Postea projiciatur supra marmor, & infrustula diuidatur, ad vsum. Lapis autem iste vires has possidet.

Cerebrum à superfluis humoribus purgat, visumque clarificat, neruos opticos deobstruens. Defluxiones cerebri exsiccat, si mane per aliquot dies in ore teneatur. Ad linguam nigram & pituita oneratam valet si cum iusculo sumatur, ad pulmonis vlcera si cum ouis capiatur, & loco salis tantum immiscetur; ad dentes à gingiuis separatos, & ad anginam si cum decocto hordei & hyssopi gargarisma eo fiat.

Fluxus hepaticus curatus.

OBSERVATIO XCIX.

NObilis mulier cuius nomen tacebo, per totum vitæ curriculum fluxu hepatico vexata, tandem remediis multis frustra tentatis, vsu aquarum Meinensium, prope Bellicadrum curata fuit; post multos annos, eodem fluxu laborans, eodem etiam remedio leuamen accepit, adeo vt adhuc plenaria sanitate fruatur. Multi alij hoc remedio etiam curati ab eodem morbo fuerunt, quare eo vtantur, moniti.

De planta sensitiua nouissimè à me inuenta.

OBSERVATIO C.

VT plurimum quæ apud nos sunt, contemnimus, vt ad peregrina exemplo canis Æsopici confugiamus, qui vmbram carni prætulit, miramur enim multa incerta vtpote agnum scythicum Borametz, & non miramur orchydem antropophoram, nec satyrium florem apum, in quo apes adeo concinne depictæ sunt, vt non majori artificio apes volantes natura formauerit cum nec alæ, nec oculi, nec alia membra iis deficiant. Sic gloriari possum, me primum, motum percepisse in plantæ satis cognitæ flore, quam nominabo, ne mihi debitam gloriam alter sibi arripiat, quod fæ-

pe mihi accidit vt nuper de cura hermaphroditi à me propolita, cum nullus authorum tale quid (vt existimo) adhuc proposuerit; quod tamen adhuc affirmo, existimans quod modo sexus fæmineus sit ei inutilis, viriliſque prævaleat poterunt vulnere inflicto, consolidari labia vuluæ, vt labia à natura fissa, arte quotidie consolidantur, vtque atretarum vuluæ dilatantur vel aperiuntur.

Sed vt ad rem promissam reuertar, Iaceæ aromaticæ flores, dum in statu & vigore sunt & dum quasi flos farinaceus in eis percipitur, si minima herbula tangantur, pappos contrahunt, imo pars sinistra contrahetur contactu dextræ, & è contra, sed in hac actione in eodem flore non repetenda, sedulitas & perspicacitas requiruntur. Idem fere faciunt iaceæ & cardui quidam pratenses, quare non dubito quin multæ talès plantæ reperiri possent si fieret curiosa illius rei inquisitio, imò sensum quemdam obscurum omnibus plantis ineſſe, in vna obscuriorem tamen quam in alia, pro certo asseuero, vt in lib. meo Zoophytorum & Zoolithorum à nemine tractatorum multis exemplis confirmabo.

Cum autem de hermaphrodito egerim superius, non prætereundum est, me plures vidisse hirculos hermaphroditos.

LYON

Appendix ad primam Centuriam Obseruationum.

Ad Obseruationem xlij.

Similem figuram pueri gigantis æri insculptam habeo cuius inscriptio sic se habet.

Verissimo ritratto del bello esmisurato figliolo detto gigante chiamato Andrea Mangone, natta algomaro

ò Antigniano casale de Napoli : à 13. de Febraro 1630.

Nacque il presente figliolo à 13. di Febraro 1630. in Antigniano casale di Napoli, à cui Daniello Mangone suo padre fu imposto il nome d'Andrea, il qual nacque di non differente grandezza, di quella che tutti altri figliuoli portar soglione ma dopo 6. mesi comincio di giorno in giorno ad auanzarsi in guisa che misurato hoggi 14. di Giugno 1631. è de 4. palmi è piu d'altezza, è 4. palmi è piu di grossezza, ha il capo alla sua statura propoportionato, i capelli lunghi, castagnacci è crespi, gli occhi alquanto bianchi, il volto di riguardeuole bellezza, il polso poco meno di vn palmo grosso, la coscia è di grossezza d've palmi, è la polpa della gamba vn palmo è mezzo, il pie longo 3. quarti di palmo, la mane proportionata al piede, il color della carne bianca è vermiglia, à tutti i denti, succhia il latte, è mangia è camina ma non libero in tutto, il cui maestoso sembiante è la cui smisurata grandezza, oltre alla aurora de gli anni produce lo stupore è partorisce la maraviglia tanto piu che di giorno in giorno va crescendo.

Conclusio.

Habes, amice Lector, Centuriam secundam Observationum rariorum, alias non minus raras accipe adhuc, cum has benigne exceperis Peregrinos præcipue alloquior, cum sciam Christi & doctiorum exemplo, res digniores in patria flocci fieri.

IN OBSERVATIONVM Medicophyſicarũ, Petri Borelli, Centuriam ſecundam.

Præfatio.

QVotieſcumque phalangem illam morborum quibus homo obnoxius eſt, apud me perpendo, magnus me ſtupor inuadit. Et profecto valdè mirum eſt, quod animalium Rex, Dei imago, & Deus fere ille terreſtris; tot tantiſque dotibus ornatus, tot priuilegijs inſignitus, tot promiſſis ſtabilitus, qui cum metallis exiſtit, cum plantis vegetat, cum brutis ſentit, & cum Angelis ratiocinatur, ſit quaſi centrum & punctum ad quod omnes malignæ tendere videntur influentiæ: ſed ſic placuit ſummo eius artifici Deo, ob peccatum primi noſtri parentis in eius mandata perpetratum: ſolatium tamen vnum nobis reliquit, Medicinam, diuinam illam artem, à fontibus illis celeber-

rimis Græciæ, Hipocrate & Galeno oriundam, à qua quasi à puteo altissimo veritatem Democriti, & sanitatem, omniaque remedia haurire pleno possumus cornu, non ergo ob tantam morborum multitudinem desperandum, habemus enim clauas Herculeas multas, quibus lernarum harum capita amputari possunt, multorum doctorum virorum libros, obseruationum Medicarum intelligo; in quibus insolitæ morborum formæ earumque ablationes reperiuntur: inter quos fulgent, Donatus, Skenkius, Dodoneus, Amatus, Valeriola, Cabrolius, Ballonius, Faber, Lommius Tulpius, Riuerius, Salmuth, Bartolinus, &c. tantorum virorum igitur vestigia premens hasce lucubratiunculas etiam in lucem edo, meliora parens, si bene accipiantur

PETRI BORELLI MEDICI REGII, CASTRENSIS HISTORIARVM, ET OSERVATIONVM RARIORVM Medicophysicarum, Centuria II.

Vomitus bilis bullientis instar aquæ fortis.

OBSERVATIO I.

QVI ante nos fuerunt, multum quidem egerunt, sed non peregerunt, multum adhuc restat operæ, multumque restabit; neque vlli nato post mille secula præcidetur occasio aliquid adhuc adjiciendi: Dixit optimè Seneca. Naturæ enim perscrutatio occupatio inexhausta est, nouumque aliquod admirationis hominibus quotidie præbet exemplum, eiusmodi autem est quod sequitur.

Noui Doctissimum Medicum, simul & Mathematicum, Delphinatem D. Videl, cuius stomachus tanta bilis copia refertus erat, vt vapores

eius emicraniam tædiosam in eo prodficerent, vtque sæpe vomitu illam rejicere conaretur, quo mire, subitoque leuabatur, dum autem illam in terram ejiciebat, bulliebat instar aquæ fortis, quod certè mirum est & à nemine quod sciam scriptis mandatum, inde curiosi meo iudicio miras possunt eruere observationes, idque erit porta aperta ad majores & altiores perscrutationes. Est autem huiusmodi humoris portio necessaria in omni corpore (quandoque vero nimia est, quæ ejici debet, vel pessima inducet symptomata) sine hoc enim humore non potest in nobis fieri ciborum coctio, nec eorum in naturam nostram assimilatio. Desinant ergo mirari homines, quo pacto, calor stomachi superet ignis calorem, cum nequeat ignis culinarius, panem, herbas, &c. in sanguinem reducere; quemadmodum enim dissoluente regio, seu aqua forti, aliisque spiritibus acribus reducuntur metalla in aqueam substantiam, quod ignis præstare nequibat, sic in nobis est, humor cibos dissoluens & in chylum reducens, & tandem in chymum. Sic sanguis dum glandulis mammarum occurrit, in lac mutatur. Sicque etiam existimo in matricibus mulierum, menstruum sanguinem vim illam acrem, & solventem obtinere, instar spirituum chimicorum, quod patet ex eius veneno, & feruentia, cumque ei semen occurrit, illud dissoluit, vt aqua fortis res liquefacit, & sic aperitur & educitur vel excitatur spiritus aëreus, coagulatus, & in eo quasi sopitus, ad domicilium & machinam humanæ figuræ sibi iuxta suam prædestinationem concinnandam, vt cum Seuerino Dano loquar, sic etiam alia semina, imo plantarum & mineralium (quod

pace negantium mineralium & metallorum animas dictum ſit) diſſoluente quodam, vt pluuiis ſalenitro imprægnatis aperiuntur, antequam plantæ inde & alia producantur. Hic breui nimis oratione fundamenta naturæ detego, nempè vires ſpirituum & archeorum Architectonicorum in ſuis centris delites centium. & quomodo corpora ſibi vnuſquiſque ſpiritus conficiat iuxta ſuam ſcientiam. Sed hic non licet apertius loqui, de hiſce veris veræ philoſophiæ principiis, ignaris ridiculis, Doctis vero, chariſſimis.

Idem vomitus bilis, copioſæ & ferueſcentis extra corpus, nuper D. C. pharmacopolæ Caſtrenſi contigit.

In aqua ferè ſuffocati, curatio.

Observatio II.

NOn immerito verus Medicus ille dicitur qui citò & iucundè curat, mora enim multos ante tempus ad orcum præcipitat, quod præcipue ſubmerſis accidit, qui remedij ſubiti defectu ſæpiſſime moriuntur, quare lubuit hiſtoriam memoratu dignam referre, mihi ab eruditiſſimo, veraciſſimoque viro Ioh. Dantio relatam. Nobilis Dominus de S.P. licet ſub aquis ſubmerſus diu remanſiſſet, & tandem, repertus, pro mortuo habitus fuiſſet, ad vitam reuocatus fuit, diuque in poſterum vixit, admotis cordi panis aſſi micis aqua vitæ calida imbutis, idque ſæpe renouando,

reliquis vero partibus, frictionibus, rubefactis, idque in lecto calido.

Topicorum venenorum noxa.

OBSERVATIO III.

MVlti temeraria quadam doctrina fulti, fere omnia sua remedia à venenis præparatis desumunt, (licet alia multa benefica nobis natura satis offerat,) cum tamen illud in desperatis morbis, frustra tentatis benignioribus iuxta Hippocratis dogmata fieri debeat: cum ex iis, imo etiam à topicis solis pessima symptomata erumpant, & non raro mors. Sic quædam nobilis mulier cum mammas minuere optasset, consilio Medici cuiusdam admouit eis cicutam: & alia, vt variolarum notas è mammis, & à summo thorace deleret, temedium ex arsenico, aliisque venenis parato applicauit, sed ambæ dum pulchritudini nimium studerent, tumoresque ac cicatrices faciei à corporibus auferre vellent, animas proprias corporibus fugarunt. Caute ergo hisce vtantur remediis lectores, imo nunquam, nisi in desperatis morbis, vt in cancro, lue venerea, &c. Si meo consilio vti cupiant.

Suffocatio à musti vaporibus, & à fumo.

OBSERVATIO IV.

HVic obseruationi ansam præbuit historia memoratu dignissima quæ mense Octobri anni 1652. in vrbe Castrensi accidit familiæ Isaaci de la Roque, sericearum denticularum textori, cum enim post vini è cupa extractionem, dum rursus vindemiam in cupa calcandam esse à quodam didicisset ad secundum vinum meliorandum, Ioh. la Roque eius filius, annos 15. circiter natus in cupam ad vindemiam calcandam descendit, sed subito à vaporibus vini suffocatus fuit, cumque Stephanus Sagnes tyro patris eius, illum cecidisse percepisset, patrem subito accersiuit, & ambo ad filium seruandum subito in cupam prosilierunt, sed statim à vaporibus prostrati similiter ceciderunt, vxor vero quæ ad idem venerat, cum nullos redeuntes videret, mariti, & filij seruandi gratia, in cupam descendit, & eodem modo prostrata ruit. Tandem puellâ, vicinorum auxilium implorante, multi accessere, cumque vnus ex iis in cupam descendisset, subito egressus est, se suffocari asseuerans, tandem viribus rursus collectis & naribus obturatis, semimortuam mulierem extraxit, sed non sine auxilio adstantium, vitæque discrimine. Quare reliquos extrahere renuens, Petrus Frontanier fortis baiulus rogatus, rem suscepit, sed statim etiam suffocatus fuit. Tandem hamis ferreis extracti fuerunt, omnes, lectisque impositi, & ego vocatus fui, vt

iis remedia, si adhuc aura vitali fruerentur præscriberem, frictionibus ergo, aquæ perfusione, panisque tostis cordi admotis reuocata fuit sola mulier, omnium oblita, nesciebat enim se in cupam decidisse, reliquos autem omnes plane mortuos esse deprehendi., tum pulsus arteriarum cessatione, tum quod nec candelæ, nec pennulæ ori vel naribus admotæ mouerentur, nec specula similiter admota macularentur, nec sternutatoria effectum in iis suum producerent. Quo pacto autem illud fieri potuerit, nunc breuiter nobis videndum superest.

Suffocatur homo cum aer ventilando calori cordis necessarius non attrahitur, fuligineſque calidæ expiratione non emittuntur, dum viæ aëri attrahendo destinatæ occluduntur, quod fieri potest non solum faucibus obstructis, tumore, vel rebus nimiæ magnitudinis deglutitis, vel naribus muco obturatis, vel veneno strangulante vt fungis vel catharro, vel aquæ submersione, vel fumo vt nuper D. Candio præceptori in eadem vrbe accidit, qui camino, portis & fenestris, ob frigus obturatis, à fumo chartarum casu accensarum suffocatus fuit. Sed etiam illud à malignis vaporibus, tum cauernarum, tum cloacarum & puteorum accidere potest, vt videre est apud, Christoph. Auegam. li. 3. sect. 5. cap. 8. artis Med. & Marcel. Donat. lib. 2. cap. 6. de hist. Mirab. sicque istis de quibus agimus accidit suffocatio à musti vaporibus inclusis: existimo autem cum Donato cerebrum eorum potius quam cor læsum fuisse. Quidam enim similibus casibus post curam delirarunt, & febre correpti fuerunt, & præterea alias percepi, tales vapores cuparum instar

racuum niſi radicem quaſi transfodere, ſic ſulphuris vapore cadunt aues ab arboribus. Si quis ergo ad tales ægros inuiſendos vocetur, aqua frigida eos inſpergi curet, vt vaporum ferocia, mitigetur, diu ſeruentur inſepulti iuſſu Hipocratis, plures enim, licet viui, pro mortuis ſepulti fuerunt, cum ſuffocati fuiſſent tum aqua, tum apoplexia, tum epilepſia, præcipue mulieres vteri ſuffocatione prolapſæ. Sciat præterea lector, eos ad vitam raro reuocari poſſe, quibus ſpuma circa os collecta fuerit, ex Hipocrate aph. 43. ſect 2. regulam tamen non perpetuo veram fuiſſe, & Galenus & Chriſtoph. Auega aſſeruerunt.

Oſſicula cum vrinis educta.

OBSERVATIO V.

NVper in cura vulneris res inaudita obſeruata fuit, quam hic referendam eſſe cenſui, cum res apud nos acciderit. Nobilis Inuenis D. de Carlot Nemauſenſis globulo tormenti bellici percuſſus, in oſſe tamen, licet gangrena & ambulandi impotentia non parum fuerint metuenda, tamen multorum Medicorum & Chirurgorum ope, tandem curatus optime fuit. Sed in eius cura res à nullo alio obſeruata, quod ſciam, occurrit; multa enim oſſiculorum fragmentula cum vrinis ſæpe emiſit, in quam rem & Medici & Chirurgi dixerunt veſicæ poros dilatatos adeo fuiſſe, naturæ conatu, vt per illos & pus exſuctum à vulnere, & oſſicula illã penetraſe, ferrẽt quod ego

(salua eorum reuerentia) haud facile crediderim; vesica enim cum sit pars membranosa & idcirco exquisitissimi sensus, & osticula acutissima, dolores immanes produxisset, imo intolerandos, & præterea non possunt dilatari membranæ adeo vt osticula illas pertranseant, sed potius crederem vesicam vulneratam fuisse, in collo, vbi vulnera pati potest, nisi, vesicam totam habuisse carnosam credere malimus, (eiusmodi enim quandoque visam fuisse, legitur) sic enim vbique vulnerari potuit.

Aquæ magnetice è longinquo agentes.

Observatio VI.

STupendus effectus profecto ex aquarum sequentium pugna oritur, sic autem fiunt. Calx viua in aqua communi extinguatur, & in eam dum extinguitur, auripigmentum injiciatur, (hæc autem fieri debent, calidis cineribus suppositis per diem integram) deinde illud filtretur, & seruetur in vase vitreo bene clauso. Postea lithargyrum aureum tritum cum aceto bulliat in vase æneo per sesquihoram, & tandem etiam filtretur per chartam emporeticam, & in vase vitreo optime obturato seruetur.

Si hac vltima aqua aliquid scribas, penna recenti, inuisibilis erit scriptura cum sicca erit, sed si prima aqua desuper imponatur, statim nigra euadet. Sed in hac actione, non situm est miraculum, aut in eo quod licet innumeræ chartæ,

imo tabula lignea, inter scriptum primum inuisibile & vltimam aquam ponatur, actionem suam tamen peraget & in nigrum colorem scripturam hanc vertet, spiritu suo ligna & chartas sine vllis actionis suæ vestigiis penetrante, quod certè admirandum, sed prauus odor & stercoraceus qui ex aquarum illarum actione mutua emergit, multos à tali experientia deterret, & non parum huius arcani miram virtutem imminuit. Ego autem adhuc existimo quod exquisitiore præparatione chimica, hoc secretum augere potero, adeo vt per transuersos parietes actionem suam paragere possit. Istud autem arcanum à D. I. Brossonio pharmacopæo Monspelienſi curioso simul ac erudito, amicoque meo accepi, ei alia vicissim impertitus.

Scabies facilè & iucunde curata.

OBSERVATIO VII.

MVlti ob fætores vnguentorum sæpe scabiem curare renuunt, quod non facerent si aliquod iucundum, facilè & non fœtidum extaret remedium. Tale autem est sequens, quare sic breuiter illud accipe. acc. olei glandis vnguentariæ vnc. 3. spiritus salis drag. semis. mosci, vel zybethæ gran. 2. cum ceræ s. q. fiat vnguentum. Et eo facilè & iucunde, (cum bonum spiret odorem,) scabies curabitur.

Pauperes autem & milites illam mirè fugabunt sola saponis nigri lotione. At non diu cuti inhæ-

rere debet sed è contra cito abluendus ne cutem excoriet. Decoctio maluarum cum alumine ad libitum, est etiam optima ad scabies curandas, si ter ea corpus abluatur, tepidè.

Rarum & memorabile magni gutturis exemplum.

Observatio *VIII.*

IN vrbe Viuariensi, prope Castra, est textor, tanta gutturis amplitudine, à natura donatus, vt lucanicæ dimidium palmum, porros integros, & oua etiam Gallinarum integta deglutiat, eaque reddat ad libitum per os, exceptis ouis, quæ per anum integra ejcit, eius, autem os dum diligenter inspicitur, videtur fine columella. Historia hæc certissima est, vitaque fruitur homo tali proprietate præditus eumque ipse vidi, eique consilium dedi vt orbem peragret, quoniam sola hac proprietate maximum sibi quæstum compararet.

Plumbi cum corpore humano sympathia.

Observatio *IX.*

SÆpe ob antiqua vulnera bombardarum consolidata, globuli plumbei, qui extrahi, nec reperiri

reperiri potuerunt, tandem proprio pondere descendunt, & ad cutem deueniunt, vnde tumore oborto & maturato, extrahuntur, vel cum osse agglutinantur, sic D. de Fontanes apud Cadurcos per 20. annos talem globum loco dentis habuit se inscio, quo tamen ad esum vtebatur, quod fieri nequit nisi quadam sympathia plumbi cum natura humana, cum reliqua metalla natura nostra non adeo facili ferat negotio, ideo tumuli olim è plumbo fiebant ad corporis conseruationem.

Ad genuum tumores, & dolores podagricos, & ischiadicos.

OBSERVATIO X.

INnumeris fere experientiis comprobatum est, radicem sigilli beatæ Mariæ, probe contusam, & admotam; genuum tumoribus, & doloribus mire conferre, præcipue gonagricis, idque à D. Matheo. Quesnoto experto Chirurgo Nemausensi accepi, verumque esse comprobaui, sed in podagricis, primo corpus euacuandum est, jalapio, & tandem causa conjuncta hoc topico tolletur.

Nimia pinguedo, & crassities corporis.

Observatio XI.

NObilem virum adeo pinguem vidi, vt equo insistere nequiret, quin statim sopiretur, nec loco fere moueri posset: ille tamen nunc, huc illuc, vadit, mole illa deperdita, & pristinum habitum recuperauit, quod sola masticatione foliorum tabaci peractum fuit, vt ipse mihi asseuerauit, pituitosis enim & frigidis corporibus, vtile est, macilentis vero & ad tabem vergentibus, valde noxium. Folium lauri linguæ impositum, aquas multas etiam educit.

Species admiranda carbunculi.

Observatio XII.

IN vrbe Rupecuruensi prope Castra, frequens est morbus, (*Maluat*) vocatus, qui species carbunculi est, quo, nisi 9. dies insomnes traducant iugulantur, vtque id præstare valeant, accedunt, ad illas amici & parentes, ibique genio indulgentes, canunt, tripudiant, bibunt, & comedunt, & quasi orgia celebrant vt ægrum insomnem & sanum reddant, adeo vt tarantulæ morsu, vel chorea sancti viti laborare videantur. Interim circa carbunculum instituitur sectio, &

cucurbitulæ admouentur, tandemque vnguento basilic. curantur. Instrumenta etiam musica pulsant, ea ad curam ægri conferre asseuerantes. Credo autem morbum hunc ibi contrahi, à veneno in lanis ouium contagio mortuarum latente, lanas enim eiusmodi in perpetuis suis lanificiis vsurpant, ideoque tantum in facie, vel manibus, & pauperioribus, vtpote lanificis, illud accidit. Vigiliæ autem omnibus modis excitatæ iis conferunt, quia somno huius mali comite, concentratur aliter versus cor venenum.

Dementia ab embrocatione frigida.

OBSERVATIO XIII.

PVerum dementem vidi, cuius mater interrogata, an sic natus esset, respondit id ei accidisse, ab admotione embrocationis frigidæ, cerebro adhuc tenello, pueruli autem qualitates omnes facile suscipiunt, dum cerebrum non solidum est, habent enim membranulam tantum, seu cartilaginem, iuxta futuræ coronalis & sagittalis intersectionem, figuræ rhomboidis, quæ foramen in cranio defunctorum puerorum relinquit. Ibi est autem porta, per quam, calida, vel frigida, eis nocumentum afferre possunt.

Ad aluum pigram excitandam

OBSERVATIO XIV.

CVm quidam sint, qui non possint nisi purgationibus, clysteribus, suppositoriis, ptisanis, vel aliis irritantibus remediis, aluum exonerare, remedium iucundum & facillimum hic inserere volui, quo alui pigriores benigne excitantur, torreatur mica panis, oleo oliuarum irroretur, & manè deglutiatur, & videbis effectum, præcipuè si bis, vel ter idem facias.

Lacertoserpens.

OBSERVATIO XV.

DVm herbariæ rei curiosus amicus quidam meus, prope Montempessulanum ad locum *Saleneuue* vocatum, exiuisset, in prato serpentulos palmum vnum longos inuenit quorum pedes quatuor non mediocri distabant à se interuallo, duos enim iuxta collum, reliquos vero in caudæ origine habuerunt. Adeo vt animal illud ex lacerto & serpente compositum esse, videretur, quare ei statim lacerto serpentis nomen indidi. Corpus eius erat gracile & digiti minimi crassitiem tantum æquabat, color & os serpentum habuit, & digitos quinque in vnoquoque pede. Horum serpentum vnum dono accepi, illudque seruaui in aqua vitæ per longum tempus, tandem illum

extraxi & exſiccatum ſeruaui.

Spina, per annum integrum in digito latens, aureſque mobiles.

OBSERVATIO XVI.

DAureolus Caſtrenſis Presbiter ſpinâ inter pollicem & indicem compunctus profundiſſime fuit, remanſit autem ſpina, vnde tumor magnus obortus eſt, remediis tamen curatus fuit, ſed ſpina non fuit educta, tactu enim percipiebatur, ſed ſine dolore. Tandem poſt annum & 7. dies, per puſtulam ſponte natam in manu exiuit ſpina facillimè.

Vir idem proprietatem non prætereundam poſſidet, aures enim ad libitum mouet, cuius rei ipſe teſtis oculatus ſæpe fui.

Lapides ſub lingua in baſi maxillæ inferioris.

OBSERVATIO XVII.

DAntonius, Burdigalenſis Hebdomadarius ſancti Andreæ, cum difficultate loquelæ non parum laboraret ob tumorem in baſi maxillæ inferioris, illud anno 1647. Lud. Principi Chirurgo Caſtrenſi communicauit, qui re perſpecta,

durum quid inuenit, & sectione institûta, Volsellis, lapides duos extraxit, quorum vnus nucem iuglandem æquauit, alter vero eam superauit, rugosi autem fuerunt & quasi arenulis acutis constantes, vulnus vero facillime curatum fuit, solo gargarismate ex decocto hordei, & tandem melle rosaceo. Id autem in officina D. Dauan Chirurgi Burdigalensis peractum fuit.

Os nunquã regeneratum post trepanum, item tendo malleoli sine ambulandi impotentia amputatus.

OBSERVATIO XVIII.

TRepano fronti chirotecarij qui ictum passus erat prope palpebram sinistram, admoto à D. le *Iuif* Chirurgo Parisiensi, non solum membranarum cerebri, sed & substantiæ ipsius portio corrupta apparuit, quæ ab eo ablata & separata fuit, & tamen æger curatus remansit, quod testatur partes nobiliores vulnerari posse, vt alibi notauimus. In cura istius ægri res aliæ miræ apparuerunt, quas innumeri viderunt, inter quos D. Ioan. Solegrius decimarum receptor, nam membrana nata rursum est contra Medicorũ omnium opinionem, qui partes eiusmodi nunquam renasci asseuerant: sed quod rarius, nunquam callo obductum fuit vulnus illud, sed licet curatum per 8. annorum spatium sola membrana obductum remansit, sub qua systole & diastole cerebri, oculis percipiebatur.

Vtque membrana hæc regenerata fuit, ſic memoror me legiſſe etiam venam in capite regeneratam fuiſſe, ſicque tendo magnus malleoli dextri ab vlcere corruptus, amputatus cum fuiſſet, Tholoſæ à Fr. Faudryo Chirurgo Caſtrenſi, coram D. de la Laiſſe Chirurgo Tholoſano, tamen æger ſine vllo incomodo ambulauit, nato iterum tendone, vel re alia analoga.

Mirum vulnus in orbita oculi ad cerebellum penetrans.

OBSERVATIO XIX.

FAmulus nobilis Domini *de Monteſpan Gondrin* Toloſæ, in orbita ſiniſtra oculi enſe ſauciatus fuit anno 1636. exiſtimans autem vulnus parum penetraſſe, emplaſtrum diapalmæ tantum admouit, quo admoto, non ſolum ſpatio duarum leucarum ambulauit, ſed etiam cum ſociis geniali-ter vixit, ac ſi ſanus fuiſſet, nullo enim dolore agitabatur, tamen craſtina die, mane, mortuus repertus fuit. Aperto cranio à D. Franc. *Faudry* Chirurgo Caſtrenſi & D. Caſtet Chirurgo Toloſano, coram duobus aliis Chirurgis Toloſanis Titiero, & Caboto, perceptum eſt manifeſtiſſime vulnus orbitæ, ad cerebellum penetraſſe. Quod rem in precedenti obſeruatione aſſertam confirmat.

Cranij fracturæ non apparentes, modusque eas cognoscendi optime: item de crotaphyti musculi sectione.

OBSERVATIO XX.

NObilissimus D. Camillus Sauary Comes Breuiensis, casu retrorsum ab alto, quasi omnino mortuus remansit, nullus tamen tumor nec cauitas apparuit. Quare D. Pimpernelle & D. le Iuif peritissimis Chirurgis (Consilio D. Ioan. Solegrij peritissimi botanici, conuocatis) cataplasma ex farina fabarum admotum fuit toti capiti, deraso capillitio, & quoniam res vrgebat cum æger loquelam amisisset, vt citius cataplasma exsiccaretur, lintea calida admouenda cataplasmati curarunt 6. horarum spatio. Exsiccato cataplasmate, Chirurgi illud remouerunt, & in illo figuras fissurarum cranij latentium optime delineatas percepererunt; cataplasma .n. non exsiccatur in locis fissurarum & fracturarum, sicque arte detecta fuerunt quæ visu percipi nequibant fissura ergo magna in medio crotaphyti musculi apparuit, in quo D. le Iuif (contra tamen doctrinam authorum) sectionem instituit nulla fibrarum ratione habita, quod sæpius, se illud fæliciter feciisse asseuerauit: facta sectione, arteriæ sanguinem in altum valde emittebant, sed pulueribus adstringentibus, & linteis carptis tandem siccatæ fuerunt. Osse autem denudato apparuit ossis

ſquama ſatis magna foras prominens, quam D. le Iuif ſpatula violenter extraxit, dicens non alio trepano opus eſſe, cum illud trepani locum obtineret: inde ſanguis copioſus protinus effluxit, à quo effuſo cerebrum vrgebatur, eo enim euacuato ſtatim æger loquutus eſt, & tandem remediis huic morbo accommodatis penitus curatus, vixitque in poſterum ſaniſſimus & coniugio iunctus multos pueros genauit, tandemque pleuritide periit.

Huic obſ. ſequentem adhuc adiungam. Anno 1651. Caſtrenſis baiulus plumbeis globulis à bombarda emiſſis in capite percuſſus, cranio multis fracturis diſrupto obiit. Aperto cranio à D. Faudryo Chirurgo Caſtrenſi, portio tabulæ ſecundæ duræ matri incumbens & omnino à prima ſeparata reperta eſt, ſine vlla fractura, extra in hoc loco apparente, quod ab ictus repercuſſione factum fuiſſe exiſtimo, ſi autem cataplaſma ſupradictum admotum fuiſſet per eius in eo notam id forſan perceptum fuiſſet, & trepano extrahi, & ſic curari æger potuiſſet; ceciderat autem hæc portio ex angulo à ſutura coronali, & ſagittali conflato.

Miræ in glacie figuræ.

OBSERVATIO XXI.

DVm, Viuariis, de iis quæ abſurde viſa ſunt magica, confabularemur, relata mihi fuit hiſtoria inter argumenta magica, cuius ſubito ſolutionem reperire non potui (de facili autem

aniles magorum historias nunquam credidi, vana illas timidorum terriculamenta esse existimans, non semper equidem, sed vt plurimum, Demones enim esse non dubito, sed dubito quod talia ridicula quæ nobis enarrantur, doctæ hæ creaturæ, facere dignentur, quidquid enim amasij, fures, ventus, mures, aues nocturnæ, feles, & casus in domo producunt ipsis quotidie attribuitur) dicebant ergo à mago quodam, miras figuras instar hortorum floribus decoratorum in glacie fossarum vrbis factas fuisse, adeo vt nihil pulchrius, nec maiori artificio factum cerni posset: sed tandem veram causam percepi, hancque hic inferendam esse existimaui, sciendum autem est, sal esse adipem terræ, quo fertilis quotidie redditur, cum à pluuiis & aliis aquis ad loca decliuiora sal dissolutum defertur, vnde fit, aquam & terram fossarum, terras fertiliores reddere, & montes steriles remanere, fertiles è contra planities. Hincque fit terram à qua sal eductum fuit sterilem per triennium omnino remanere, donec ab aëre vi terræ magnetica sal denuo attrahatur, ideo dixit optime Doctor Doctorum, sal rem optimam esse. & Apostolos ideo sali similes esse assueuerauit. Sal autem petræ dum conficitur (ob spiritus quibus præditus est) certas figuras vt alia salia semper induit, præcipue oblongas & sine ordine, mutuo sese intersecantes, vnde quasi labyrinthi exurgunt. Cum autem conglaciatur aqua hyberno tempore, si sale fere careat est vnita & læuigata vt glacies fluuiorum, si parum vero salis nitri obtineat vt in viis, quasdam figuras habet, sed in fossis in quibus à longo tempore aqua sale imprægnata fuit, miras figuras producit. Vel id ab in-

numeris plantarum salibus mixtis prouenire potest. In sale enim plantæ latet eius figura, vt in lixiuio plantarum vstarum, aceto, &c. congelatis cernitur, vtque de vrticis refert Quercetanus; hi autem sales in aquis confusi figuras suas confundunt. Ab hac speculatione aliqui phantasmata plantarum vtpote rosarum, tulipparum, &c. in phialis sigillatis, calore benigno supposito eruerunt, quod profecto valde admirandum, & animarum perennitatis non paruum est argumentum: de hac re loquuntur Mullerus in miraculis Chymicis, Rosembergius in Rhodologia, &c. alij rem adhuc altius protrahentes è plantæ principiis separatis, aliam similem plantam à qua educta fuerant, in liquore quodam realiter producunt intra paruum tempus sine terra, cuius rei testis oculatus est Stephanus Bressiæus Gratianopolitanus Medicus Chymicus peritissimus, virque acie ingenij non vulgari præditus: sçio præterea multos è sale plantarum in terram proiecto, easdem se posse producere plantas narrare, inter quos est Beguinus, & è fimis animalium herbas similes quas comederunt produci, & alios è seminibus lactucarum, &c. intra tres horas lactucas produxisse aquæ vitæ irroratu, & calore sub terra præparata cineribusque mixta admoto.

Lapides vesicæ ingentes.

OBSERVATIO XXII.

PVella Viuariensis magna dysuria cruciata per longum tempus, tandem lapidem minxit album, durissimum, magnitudinis oui anserini, qui fractus concauus repertus est, illum autem cum ingentibus conatibus eduxit, adeo vt puerperarum dolores æquarent, alium vidi lapidem muliebrem quatuor vnciarum ponderis, & qui figuram vesicæ retinuerat, eiusdemque molis ac oui supradicti. In alio lapide humano, relatum est mihi repertum fuisse serpentem, lapis autem ille felis capitis figuram habuit; nuperque Matheus Quesnotus peritissimus Chirurgus calculum à nobili viro Octuagenario extractum vidit, ponderis 18. vnciarum.

Ad hydropem arcanum.

OBSERVATIO XXIII.

AQuæ vitæ beneficio extrahitur è ialapio puluerato, nodulo incluso, eique infuso, & caniculæ ardoribus exposito, substantia purgans, quæ non extractum eius sed gummi est, sic enim separari possunt. Si aqua vitæ calide filtretur per cartham emporeticam, in fundo relinquet gum-

mi, postea vero aquæ deficcatione, extractum etiam remanebit, sed gummi minori dose vtpote scrup. 1. mitas faciet euacuationes aquarum, est enim specificum ad hydropicos remedium, vnicaque pillula dari potest.

Hydrops à compressione.

OBSERVATIO XXIV.

VXor D. Ioh. Boneti Vivarienſis, cum per tres horas amicam parturientem tenuisset, sensit dolorem circa orificium stomachi ob compressionem, factam à circulo illo tomentaceo quo renes tegunt mulieres vt melius vestes ferantur, dolori tumor ventriculi successit, qui semper auctus illam ad hydropem insignem deduxit, totum enim abdomen in molem horrendam excreuit, adeo vt eius moles vsque ad genua fere descenderet, tandem fæmora oculi, &c. Tumuerunt, nec vllis remediis curari potuit licet multa celebrata fuerint, tum à me solo, tum consilio D. Ioh. Vigierij Medici Castrensis quem vocandum curaueram vt conjunctim videremus an paracentesis celebranda esset, quam valde optabat ægra, quæ satis viuida & robusta erat, sed noluimus eiusmodi tentare remedium ob alium morbum non minorem huic conjunctum, nempe pulmonum vomicam qua suffocabatur, existimo tamen quod si citius vocatus fuissem (morbo enim confirmato tantum vocatus fui) curari facili negotio potuisset tum ialapij gummi supradicto, vel eius

extracto, tum succo iridis cum melle cocto, vel crude propinato ad drag. 1. vt docet Gordonius, quo remedio multi curati fuerunt, sed

Frustra Medicina paratur,
Cum mala per longas inualuere moras.

Ad partum facilem reddendum, & tormina parturientium tollenda.

Observatio XXV.

SÆpius compertum est, quod olei oliuarum potu ante partum, facilitatur mire partus, nec tormina vlla patiuntur puerperæ, vias enim lubricas & molles reddit oleum, debet etiam topicè extra idem oleum admoueri. Pro certo etiam mihi assertum est, aquam ophiogloſſi idem præstare.

Hydrops matricis.

Observatio XXVI.

ACcidit quandoque aquas vel ventos in matrice tanta copia cumulari vt ægrę prægnantes existimentur, sic mulier Caunensis pro prægnante habita fuit, quod molem circa ventrem eius, adstantes motu quodam præditam percipe-rent; tamen aquis ad lib. 2. eductis, tumor ille discessit. Sic D. Petiti D. de Montbrison vxor pro prægnante diu à marito & aliis omnibus habita, vento cum impetu emisso curata fuit hydropę

enim ventoſa matricis qualis eſt in ventriculo tympanites detinebatur.

De cholera morbo.

OBSERVATIO XXVII.

MAximo iure dici ſolet, morbum cognitum ſemicuratum eſſe, ſic optimus opifex Caſtrenſis cuius nomen taceo (nolo enim vllius actiones carpere, ne potius ſatyram nocuam quam obſeruationes vtiles conſcribere videar) ira percitus. Ob litem aduerſus illum à vicinis motam, ſubito magno cordis dolore, vomitu, & aphonia invaſus fuit. Data fuere remedia contra apoplexiam, multaque cardiaca calida, ſed tamen eadem nocte obiit: præſtitiſſet autem frigidam aquam propinare & remedia aduerſus choleram morbum quo ſolo detinebatur vſurpare: qui ſigna enim choleræ eiuſque prognoſtica & ſubitos effectus ſciuerit de hac re non dubitabit. Secum enim ducit conuulſiones, inflationes, Nauſæas Cardialgias, & ſitim quibus ille detinebatur, mortémque ſubitam, quæ etiam eis ſucceſſit ſymptomatibus. Nuper etiam à cholera morbo Ieremiæ Bardini Bibliopolæ vxorem curaui ſolo aquæ communis potu & admotione cerati ſantalini regioni ſtomachi.

Sanguis cristallinus, & congelatus.

OBSERVATIO XXVIII.

RAra quidem fuit illius obseruatio qui sanguinem in venis congelatum instar coralli fruſtorum & ramuſculorum inuenit, corpus diſſecando cuiuſdam qui ob hanc congelationem fato functus erat, ſed non minus rara eſt, obſeruatio hæc mea. Ægrum iuuenem vidi cuius ſanguis, in vaſculis criſtallinus ſemper remanſit, & adeo diaphanus vt fundum vaſculi ſemper vidi poſſet, quod ego à pituita vitrea in maſſa ſanguinis eius dominante proueniſſe autumo.

Argentum viuum ſine noxa deglutitum.

OBSERVATIO XXIX.

CIuis Lumberienſis, ſibi manus violentas inferre cupiens, libram dimidiam argenti viui deglutiuit, ſed tamen ſine noxa, quod tamen contra vulgarem ſententiam eſt, valde enim nocuum creditur. At modo crudum ſit, pondere ſuo ſubito tranſit ad anum, & Catalauni illum ſic puerulis aduerſus vermes quos mirè fugat, propinant. Nocet vero præcipuè cum præparatus creditur, quia eius pori aliquomodo aperti ſunt & venenata eius qualitas (antea ſopita) præparationibus

tionibus excitata, nocet, at crudum nullomodo nocet, si prius butyrum vel pingue aliquod iusculum sumatur.

Dementia à retentione menstruorum.

OBSERVATIO XXX.

DVm apud Ruthenos profectus essem, vocatus fui ad curam mulieris Iuuenis iuxta pagum de la Roque degentis; miro autem morbo detenta erat, cum enim à me interrogaretur eadem verba vt echo repetebat, & nihil vnquam ad quæsita, ob coëundi præterea desiderium semper maritum expetebat. Quare cum ab adstantibus, didicissem menstruas eius purgationes suppressas esse, tactuque obstructiones partium hypogastricarum percepissem, remedia aduersus obstructiones solita & ad menstrua prouocanda præscripsi, vtpote apozemata aperientia, phlebotomiam mal. leoli, &c. Quibus auxiliis curata fuit.

Coitus mirus.

OBSERVATIO XXXI.

ACcidit cuidam mihi noto vt in coitu instar canum iunctus remanserit, quod à nimio ardore partium genitalium tumefactarum, prouenisse existimo, vel quod à zybetho, quo consi-

lio amici cuiusdam voluptatis augendæ gratia, balanum inunxerat, partes hæ calefactæ & irritatæ fuissent oportuit autem clysteribus crebris partes illas emollire, sicque separati fuerunt.

Saxo Grammaticus, à Demone ait factum fuisse in Dania, vt viri more Canum post coitum ligati essent.

Febres malignæ, ab esu carnis animalium ægrotantium.

OBSERVATIO XXXII.

ANno 1648. febris epidemica & maligna grassata est quæ multos è medio sustulit, quam pestis quædam, veruecum maiorem partem auferens præcesserat, multi vero ne peste veruecum morerentur, eos lanionibus tradebant, qui tum sanos, tum ægros vendentes, febres eiusmodi inducere potuerunt; ab herbis autem pruinâ quadam venenata madefactis, morbos contrahunt pecudes, nosque à pecudum ægrotantium esu. Morbi enim sic de corpore in corpus transferuntur, & vbi corruptionem & materiæ dispositionem inueniunt, vires suas magno cum impetu exerunt, lente vero vel nullo modo vbi retundi possunt à bonis humoribus. Multos autem tunc curaui ægros antidotis & vsu moderato phlebotomiæ, cum aliorum periculis cautus redditus, multos huius vltimi præsidij vsu nimio, è medio sublatos vidissem.

Odoris violarum in vrinis ratio.

OBSERVATIO XXXIII.

VRinæ eorum qui therebintinam ſumpſerunt mire violarum martiarum odorem referunt, quod multos torſit authores eius rei veram ignorantes cauſam, multi ſoli therebintinæ id tribuunt, verumque eſt vrinam ſola applicatione eius, teſticulis, in digeſtiuo (quod ipſe vidi), imo ſola frictione manuum vnâ cum illa, eiuſmodi ſpirare odorem, ſed id etiam quandoque in vrinis ſine vllo therebintinæ vſu accidit quare ſciendum id tantum in ſale volatili quodam latitare quod in vrinis reperitur, vt eius percipitur diſtillatione, aſcendit enim copioſe ad retortæ collum, vireſque auri ſoluendi obtinet. Quod vt facilius innoteſcat ſciendum, ſalem gemmeum marinum, ſeu primam ſalis cuticulam vel eius effloreſcentiam, violarum odorem optime redolere, quoniam illud ſal volatile eſt, ſic cum multum ſalis illius (odorum ſcaturiginis) therebintinæ inſit quod patet ex eo quod frictione ſola manifeſtatur, in vrinis autem ſoluitur, proprium-que vrinæ ſalem volatilem auget, ſicque iuncti copia ſua tunc melius patefit odor violarum in ſale volatili latens.

Apoplexia à sanguine.

OBSERVATIO XXXIV.

DIxit Fernelius apoplexiam fieri posse à sanguinis effluuio in cerebrum, cum copia suâ anastomoses venarum aperit, at vt plurimum aqua tantum in iis post dissectionem, ex Columbo reperitur. Quare cum apoplexiam à sanguine viderim illam tacere non potui, post apoplectici enim obitum, aperto cranio, sinister, cerebri ventriculus sanguine plenus repertus est; sanguinis igitur missione, phlethorici talia accidentia præcauere debent.

Bonum prognosticum circa macularum purpurearum copiam cum hæmoptoide.

OBSERVATIO XXXV.

VOcatus ad puellam paupertimam inuisendam hæmoptoide magna detentam (febribus epidemicis grassantibus) illam maculis purpureis omnino refertam inueni, quarum non paucæ denariorum magnitudinem attingebant, subnigræ autem multæ erant, & innumera multitudine, adeo vt puella hæc aspici sine maximo

horrore nequiret, ego autem metuens ne eiuſmodi contagium ad domum paternam puerulis refertam transferrem ei cardiaca remedia præſcribens, eam ad pauperum Medicum miſi, qui non minori horrore percuſſus, vnica tantum etiam vice illam vidit, eadem ei remedia præſcribens, hiſce tamen præter ſpem noſtram curata fuit. Maculis autem his, tam in facie, collo, & manibus, quam per reliquum corpus ſcatebat, adeo vt cum cælo ſtellis multis conſito aliquomodo conferri poſſet, ob variæ magnitudinis maculas. Alios eiuſmodi ægros ab hinc vidi, ſed omnes curatos breuiter, licet per vicos & compita, nulla macularum, nec hæmoptoidis ratione habita, ambularent: difficilius è contra curatos vidi qui paucos & paruas maculas habuerunt, & hæmoptoide caruerunt, in promptu autem cauſa eſt; natura fortis & viuida venenum cum ſanguine tenui, ebullitione quadam, ad os, & cutem, commune corporis noſtri emunctorium demittens. Sic peſte graſſante, qui maiori bubonum & carbunculorum numero ſcatent, citius & fælicius curantur.

Cerebri ſubſtantia per 80. circiter annos incorrupta ſeruata, abſque condimento.

OBSERVATIO XXXVI.

NVper è puteo Dominicanorum Caſtrenſium, ſexaginta circiter hominum olim iugulatorum oſſa eruta fuere, vbi octuoginta circi-

ter annis delituerant, in horum autem craniis cerebri medulla reperta est, adhucque mollis & non fœtens, quidam miraculosum dicebant, cum tamen id ab aeris priuatione, & humiditate putei, factum fuerit, sic ligna sub aquis incorrupta seruantur, & Tholosæ in fratrum minorum Cœnobio corpora humana virtute loci in loco subterraneo incorrupta conseruantur, sicque etiam flores & fructus in puteis seruari asserunt multi, modo in vasis vndique clausis submergantur. Eodem ergo pacto crania cerebri substantiam, instar vasorum clausorum sub aquis conseruarunt.

Bufones, & serpentes innoxiè comesti.

OBSERVATIO XXXVII.

RElatum mihi sæpe à D. Duncano Montalbanensi Medico, se non semel vidisse dementem quemdam bufones innoxiè comedentem: idem vidi ab empyricis bis factitatum, qui postea antidota sumentes venenum eorum à remediis retundi simulabant, sed ab amico accepi bufones innoxie comedi posse, modo eorum sudor, sputum, vel vrina, non deglutiantur, & præcipue si ieiuni aliquandiu remanserint, venenum enim amittunt, vt & serpentes si domi per aliquot dies nutriantur. Est & locus quatuor abhinc leucis distans, vocatus, Bastida, prope Sanctum Amantium, in quo rustici serpentes innoxie comedunt, eosque viatoribus comedendos sub anguillarum terrestrium nomine apponunt, quod à Toparcha

ipſorum pro re veriſſima accepi, nunquam autem eo pabulo vllus eorum ægrotauit, aiuntque mire ſapere palato, caudam tamen & caput amputant, & reliquum comedunt. Frequens etiam eſt vſus adipis eorum, ad ſcabies, imò pertinaciores tollendas, ſi cum iuſculo deglutiatur, quod certè innoxiè ſæpius factum vidi: accepi etiam à viro magni momenti, eiuſmodi eſu ſerpentum, luem veneream, breui curari, imò & lepram, quod vltimum à Mathiolo confirmatur, qui refert leproſos vini potu in quo forte viperæ ſuffocatæ fuerant curatos fuiſſe: lepra autem & lues venerea aliquam habent connexionem, multique eruditi exiſtimarunt vnam ex lepris Iudaicis fuiſſe luem veneream, & ita morbum non nouum eſſe, ſerpentes vero ad vtrumque valent, quia vim habent quandam renouatiuam, quà quotannis ſenectam ſuam relinquunt, ſimilia enim ex Ficino in ſimilia agunt, corda animalium pro corde hominis, pulmones pro pulmone, iecora pro iecore, ſtomachi pro ſtomacho affectis vſurpari ſolent, & ſic animalia longæua ad longæuitatem proſunt, aliaque proprietates ſuas in nos tranſmittunt.

Fulminis effectus in homine, eiusque variorum effectuum vera causa, & quo pacto eius varia à nobis distantia dignosci possit.

Observatio XXXVIII.

Accidit apud Monspelienses vt fulmen cadens in domum Vicarij generalis D. Grassi, pudendorum puellæ ancillæ pilos abraserit, vt Bartassius in muliere sibi familiari olim factum fuisse, eleganti carmine Gallico refert, sic à docto Gabriele Lermeo Volca, fideli latinitate donato.

Vidi equidem, vidi, his oculis puerilibus, olim
Nec res fallit, anum cæli cui lubricus ignis
Abstulit attonsam strictim sine vulnere pubem.

In alia caput in vnico loco tetigit, illudque adeo emolliuit, vt cutis & caro à cranio separarentur, vnde ante & retrò ad anum vsque descendit: fulmen autem ingressum per vitream fenestram plumbum cum vitro confuderat. Curata fuit tamen puella hæc remediis ad ambusta propriis, & phlebotomia. Solus enim homo à fulminis ictu curatur, cum reliqua animalia eo semper suffocentur. Mira autem sunt fulminis effecta quæ à Physicis referuntur, sed hæc omnia superare mihi videtur casus nuperrimus, quo fulmen colum puellæ intactis stupis consumpsit, res raras enim

& poroſas facile permeat, in duras vero vires ſuas exerit fulmen: at inter cætera quæ de eo referuntur, magis miror quod chalybem in guttas abire faciat, enſes enim fuſos aiunt ab illo fuiſſe, cuius rei cauſam caſu veriſſimam comperi, dum enim pharmacopæum, crocum martis conficientem contemplarer, qui ſulfuris fruſtum Chalybis fruſto ardenti iungebat, vnde ſubito chalybs guttatim in aquam ſubiectam decidebat, ſtatim dixi apud me, ſic etiam fulmen in enſes operatur ſuo ſulfure, quo ſemper comitatur; ſulfur enim diù redolent res à fulmine percuſſæ: ferrum vero ab eius igne & motu violento ardeſcit, & ſic croci martis inſtar, guttatim decidit. Qui ſic actiua paſſiuis applicare ſciet miros producet effectus in hoc enim tota naturalis magiæ ſcientia verſatur.

Cum autem de fulmine nunc ſermonem faciamus, non prætereunda mihi videtur obſeruatio noua mihi à doctiſſimo viro communicata, qua ſciri poteſt, quantum à nobis fulmen diſtet, dum à nobis per echo, ſoni eius ſæpe in nubium anfractibus repercuſſi exaudiuntur; non enim fit ſonus ille, vt hactenus dictum, ab extinctione lapidis fulminei, vt ferri ardentis in aqua frigida (cum ſæpius ſine lapide ſit, & ventum vel flammam comites habeat) ſed à frequenti echo, & ſoni eius repercuſſione inter nubes colliſas. Eodem enim modo fit echo, & ſonus repercutitur ac figura in ſpeculis; vt autem diſtantia eius nobis innoteſcat, contemplandi ſunt è certa diſtantia lignorum percuſſores, deinde calculandum tempus inter duos ictus interjectum, ſicque cum ſcies quanto tempore ſonus vnius leucæ ad aures

tuas peruenire possit, facillime ex interuallo temporis quod est inter fulgur & fulminis sonum, eius à te distantiam scire optime poteris.

Est lapis in india Cacaotetl seu Coruinus dictus ex hist. brasiliana, qui calefactus tonitru edit.

Non absimile etiam est, & fulmen & terræ motum fieri à puluere quodam aura fulminanti analogo (fiunt enim varij pulueres fulminantes sine auro) à solis radiis accenso. Obseruaui præterea, & mille historiis illud confirmare possem, fulmen in turres puluere pyrio repletas, vtplurimum decidere, quod etiam casus nuperrimus apud nos confirmauit, in turriculam enim cecidit, in qua puluis pyrius à multis annis absconsus delitescebat: quare existimo sympathia quadam fulmen ab illo puluere allici, vt naphta ab igne, & naues ferro onustæ, à saxis magneticis in mari latentibus, dum eorum punctum attractiuum percurrunt, & non à Remora piscículo saxatili, vt falso huc vsque creditum. Sic & fulmen si è directo copiosi pulueris tormentarij existat, non aliter, alicitur.

Longeui.

OBSERVATIO XXXIX.

RVsticus quidã Bastideæ iuxta Sanctũ Amantium, *Touté* dictus centum & viginti annos natus, viridi tamen & recta senectute fruitur; adeo vt manuum propriarum labore sibi victum, terram fodiendo, comparet. Hoc exemplum me-

moria quidem dignum eſt, ſed ſequens maioris valde adhuc eſt momenti. In eadem vrbe Caſtrenſi nuper viderunt innumeri, vidique ipſe, nouercam D. Graſſi Sacerdotis, quæ annum centeſimum & quinquageſimum ſextum ſe agere aſſeuerabat, & de rebus antiquis rogata optime loquebatur. Facies eius erat rugoſa & muſcida inſtar quercus, qualiſque Sybillæ Cumeæ tribuitur; garrula erat, & abſque vllo loquelæ impedimento, nunquamque à Medicis tractata fuerat (quo minime Medicinæ præiudicatum velim) qui enim ſine Medico, non tamen ſine Medicina vixerunt: Diæta enim, ſobrietas, & aliæ hominum regulæ, imo ciborum & potuum facturæ, quæ olim rudiſſimæ erant, ſunt veteris Medicinæ, ex Hippocrate inuenta; non enim pane & vino, carnibuſque coctis veſcebantur homines, ſed aqua, carnibus crudis, imo & glandibus, nam vt ait Ouidius lib. 1. metamorph.

Arbuteos fœtus, montanaque fraga legebant
Et quæ deciderant patula Iouis arbore glandes.

Et Iuuenalis ſatyra 6. de muliere primi æui ſermonem faciens.

Et ſæpe horridior, glandem rutante marito.

Mulier hæc longæua ſæpe præterea comedere cupiebat, naturâ vt opinor in ea deficiente, nam paucis abhinc menſibus in villa diem vltimam obiit, exiſtimo autem abſtinentiâ hanc attigiſſe longæuitatem, vidimus enim in hiſce tractibus ſenem qui centum ſuperauit annos, ſolo pane & vino vſus, ſemelque in die; idque longæuitas nobilis Cornari, vxoriſque ſuæ, liberque de abſtinentia ab eo confectus, hoc ſeculo mire confirmarunt; poſſem adhuc abſtinentiam & lon-

gæuitatem Democriti, & Essæorum referre, sed breuitati studens, hæc mihi dicta sufficiant.

In insula Iamboli 150. annos viuunt ex Diodoro.

D. L'Agneau Medicus Chimicus, vixit etiam 108. annos.

Ictherus symptomaticus, & ad alui fluxum, & dysenteriam, remedia.

Observatio XL.

VOcatus nuper ad D. Aureolum de Villeuert nobilem Viuarienſem ægrotantem inuiſendum, illum febre maligna detentum, cum ictero inſolito, maculis purpuratis, lingua nigra, ſingultu, & deiectionibus ſanguinolentis, cerebri ſubſtantiam æmulantibus, reperi. Statim mortem prædixi, iuxtaque prognoſticum meum vndecima die mortuus eſt. Prognoſticum autem hoc deſumebam à diuini Hippocratis dicto. Ait enim Aphor. 62. ſect. 4. *Quibus per febres morbus regius ſuperuenerit ante diem ſeptimum, malum.*

Ibidem multi alui fluxionibus, imo ſanguineis cruciati, facillimo negotio curati fuerunt remedio alimentoſo, hoc eſt, ſumpto ſæpe lacte vaccino recenti, ouorum luteis in eo ſolutis. Fit etiam panis biſcoctus cui ſemen ſambuci miſcetur, qui ad dragmam vnam ad idem in vino propinatus valde celebratur.

Panis ex farina ſiliginea cum ſucco ſambuci optimus eſt ad fluxus omnes.

Mulier abſque dentibus.

OBSERVATIO XLI.

MVlier Lumberienſis nata ſine vllo dente, ſic per ſexaginta annos remanſit, nec vnquam vllum dentem habuit, quod teſtatur non eſſe ſemper verum, vt hactenus creditum, paucitatem dentium breuem, vel languidam vitam portendere.

Podagra curata, & teſticuli tumor.

OBSERVATIO XLII.

D. I. B. amicus meus per multos annos teſticuli tumorē paſſus eſt, quo curatus, eoidem tidem affligebatur, fluxumque humorum in fæmore deſcendentem percipiebat, præcipuè tempore humido imminente, pars autem hæc à longo tempore debilitata hos recipiebat humores, vnde tumeſcebat cum rubore, & inflammatione, quibus non mediocriter angebatur. Tandem optime curatus fuit, demerſione fæmorum in vindemiam calidam poſt vini extractionem.

Alius verò qui ad podagram à cauſa frigida nulla remedia vtilia experiri potuerat. Simili remedio mire leuatus fuit, imo fere curatus, ſed ſe-

mel in an anno illud vsurpandum est.

Pruritus cum ebullitione à veneno, item linguæ tumor subitus.

OBSERVATIO XLIII.

ANcilla D. de Bonne D. de Gouriade, cum tantillum mentæ nocturnis horis degustasset, subito lingua eius adeo intumuit vt vix loqui posset. Curata fuit tamen frictione eius cum theriacâ vnâ & vino, theriacaque etiam intus assumpta. Venenum illud sine dubio à sputo vel vrina bufonis in mentam effusis processerat, solent enim physicorum relatu ad saluiam vel mentam conuocari, quare nullæ herbæ illotæ comedantur. Vide Mizaldi Cent. & Bocatium de saluia venenata.

Multos vidi etiam qui erucæ, salamandræ vel rei alterius venenatæ contactu, subito paruis pustulis scaterent præcipue in manibus. Hi autem solo fumo olei oliuarum in prunas effuso, manibus ei impositis, vel earum lotione aqua in qua frustum monocerotis cornu infusum fuisset, curati sunt.

Herbæ odoratæ ab animalibus venenatis petuntur, vt fæniculum à serpente & saluia à bufone. Misaldus in 1. Centuria loquitur de quodam qui saluia sic venenata gingiuas fricauerat, qua non benè se habuit, quod scholæ Salerni contrarium fuit dum dicit. Cur moritur homo, cui saluia crescit in horto.

Octo fœtus ſimul editi.

OBSERVATIO *XLIV.*

ANno 1650. vxor nobilis D. Darre vnico puerperio octo fœtus enixa eſt probe conformatos, quod valde in hiſce regionibus inſolens eſt. Vxor N. FRIGOV loci BEDARRIEVX, quatuor ſimul viuentes pueros enixa eſt.

Capitis tremor diuturnus à phlebotomia non neceſſaria, & à purgatione intempeſtiua, mors.

OBSERVATIO *XLV.*

LIcet inter remedia, phlebotomia, & purgatio remediorum primaria merito habeantur, tamen non ſolum peſſima poſſunt excitare ſymptomata, ſi intempeſtiue adminiſtrentur, ſed etiam mortem vt hiſce patet obſeruationibus. D. D. Patronus, Caſtrenſis, dum Lutetiæ degeret, aliorum exemplo, verno tempore ſibi venam tundi curauit, nullo licet morbo detineretur; ſed ſtatim capitis tremore correptus fuit qua per annum laborauit, inanitione enim nimia & non neceſſariâ (cum ſanguis nullus ſuperfluus in eo eſſet) natura debilitâ valde fuerat.

Sic presbiter quidam Caſtrenſis, (ſanus licet)

purgatione vti voluit cuiusdam consilio, sed statim humores eius adeo perturbati fuerunt, vt mors paucis ab illa diebus successerit, cum enim humores praui in corpore coaceruati non sunt, bonos perturbant hæc remedia, quare iis nunquam nisi necessitate vrgente, & probatorum vtendum consilio.

Quod autem sanis medicamenta purgantia non sint propinanda Aphorismo Hipocratis confirmatur. Ait enim Aphor. 26. Sect. 2. qui salubritatem corporis habent, per medicamenta euacuati cito exoluuntur. Idemque adhuc stabilitur eiusdem Aphor. 16. Sect. 4.

Verrucę curatæ.

Observatio XLVI.

VT subito verrucæ omnes manuum curentur, lotio tantum earum instituenda est, ex aqua communi, in qua sal armoniacum solutum fuerit quod à D. Videl Medico Delphin. qui millies expertus est cum felicissimo successu acceptũ teneo.

Idem telæ aranearum præstant ex Mouffeto, si admotæ accendantur, sic enim radicitus auelluntur, adeo vt non amplius redeant. Alij fuligine tegunt illas & eam accendunt & paulatim patiuntur vt crepando prosiliant.

Nuper famulum Domini præclari legati Hollandiæ curaui qui innumeris verrucis à duodecim annis scatebat nec ab vllo curari potuerat. Curatus autem fuit sola aqua cum sale armoniaco sæpe fricando vt dictum est.

Sympathiæ

Sympathiæ miræ.

OBSERVATIO XLVII.

MVlier quædam (vt à fidei dignis accepi) dum socias, sanitate plena, alloqueretur, subito de ingenti in fronte ictu conquesta est. Paucis autem ab illo tempore diebus, auditum est maritum eius eodem momento in remotis plagis occisum fuisse, ictu bombardæ, in eodem frontis loco. Cuius rei vt ratio reddatur. Existimo spiritus amicorum & inimicorum immisceri, quod patet in occisis coram occisoribus & parentibus sanguinem fundentibus, dum spiritus occisorum, vel parentum, & amicorum, in occisum ingressi, ad eos redire per vulnera conantur, accedente corpore seu magnete ex quo manauerant, à quo rursus alliciuntur : sic horrore commoti sumus in locis in quibus lupus, aliaue fera, vel siccarij nobis insidiantur, spirituum inimicorum eorum, cum nostris occursu, qui nobis fremitu illo peregrinum spirituum in nos aduentum communicant: sic fuit puella apud Ruthenos quæ dum pater, factionis dux, à carnifice se inscia laniaretur, & rotæ imponeretur, eodem tempore ingentibus conuulsionibus distorta fuit. Eodem etiam pacto amicorum longe à nobis distantium, Mortem, vel redeuntium accessum signo quodam percipimus, quæ omnia ab iisdem spiritibus in nobis pereuntibus post totius à quo pendebant

obitum, vel ab eorum motu, eiusdem accessu, procedunt.

Animalcula in vlcere.

OBSERVATIO *XLVIII.*

VIdere non semel contigit mihi in emplastris vlceris fistulosi animalcula, acaros ceræ referentia, quorum non figura sed motus tantum percipiebatur, sic multis morbis tum externis, tum internis detinemur, qui ab animalibus inuisibilibus fiunt, tales sunt cyrones dicti, pruritus, herpetes &c. vt engyscopiis percipi potest: sicque alia majori in nobis animalia generantur, vt alibi ostendi de vermibus in tibiis Indorum, & in dorso puerorum. Vt autem Morbi ab animalculis qui pruritum semper habent comitem curentur, vtendum est aloë, & mercurio butyro immixtis.

Abscessus cerebri cum lethargo & tandem phrenitide.

OBSERVATIO XLIX.

FIlius Iacobi Foulrassij mercatoris, in lethargum incidit, cui febris, huicque phrenitis successit; qui morbus, ingens licet, intra tres dies à me curatus fuit, phlebotomiis frequentibus, iuxta doctrinam Pauli Æginetæ. lib. 3 cap. 7. & Auicennæ, lib. 3. fen. 1. tract. 3. cap. 4. qui asseuerant morbum hunc esse abscessum cerebri ex sanguine putrido commissuras capitis aperientem, & intra tres dies iudicari, sed venæ sectionibus mitescere.

Saga in gehenna dormiens.

OBSERVATIO L.

PAucis abhinc annis in vrbem Castrensem à Fuxo adducta fuit saga, quæ cum equuleo imponebatur, statim in profundum somnum, (spuma ad os collecta) incidebat, sicque nihil ab ea, Iudex (alias in confessionibus ab ore maleficorum auellendis aptissimus) eruere potuit. Talia apud Vueckerũ in secretis suis reperies l. 15. cap. 23. qui plura similia refert exempla, ea Dia-

bolo earum linguas retinenti ne crimina fateantur tribuens.

Narium & mammarum cancri cura.

Observatio LI.

RVsticus quidam à cancro narium curatus fuit solo succo plantæ vulgaris sibi ab aliq edoctæ, qui plures eius ope curauerat, hanc cum maxima difficultate ab amico qui eius nomen, & vtendi modum ab eo acceperat didici: sed quoniam omnia clare docere cupio vt posteris prodesse possim, illam sincere nominabo. Hæc igitur, nihil aliud est quam Onopordi contusi succus, qui sæpe admoueri debet, imo & herba contusa. Plantago etiam non inutilis est si mammarum cancris applicetur.

Vsus specularum concauorum in Medicina.

Observatio *LII.*

NOn adhuc me vidisse vel legisse memoror, Medicum vllum vel Chirurgum concauo speculo vsum esse in vlceribus quæ visum effugiunt, cernendis, licet non parum vtilia sint, cum enim vlcus in nisi radice interna cuiusdam obortum esset, nec vllo pacto percipi posset eius locus, vel magnitudo, ego ope speculi concaui,

quo ſpecies valde augentur, omnia optime percepi ac ſi externa fuiſſent, vtque res melius pateret, radium ſolis ope ſpeculi illius, mutuatus ſum, eumque ad vlcus detuli, ſicque eius, figuram, magnitudinem & omnia deſiderata optime vidi, & deinde remedia ſtili ope ad illud delata fuerunt. Sic in aliis partibus, vtpote, oris profundo, ano, vulua, &c. vlcera, aliaque latentia, percipi poterunt, adhucque melius quam vulgarium inſtrumentorum ope ſpeculorum nomina ſortitorum.

Hydropis cura.

OBSERVATIO LIII.

HYdropica mulier cum nullis remediis leuari potuiſſet, ſola ptiſana herbæ ceretach curata fuit, eius autem ptiſanæ valde coloratæ præ copia plantæ tres hauſtus mane quotidie ſumebat, ſic enim iecur, vbi fons & origo hydropis eſt corroboratum & ad priſtinam temperiem deductum fuit, adeo vt non aquoſum amplius ſed bonum ſanguinem produxerit. Alios epoto ſucco ſatureiæ curatos fuiſſe pro certo mihi relatum fuit, & ſuffumigio ſpiſſamenti ceræ.

Veronicæ aqua mane eporta ad vnc. 6. per tres dies, ad hydropicos curandos valde etiam vtilis eſt.

Ægri variis linguis loquuti, item ecstatica, mulier.

OBSERVATIO *LIV.*

POst Ioh. Fernelium. lib. 2. de abdit. Rerum causis, refert Carpentarius Episcopum Græcè, & Latinè in morbo locutum fuisse, licet græcæ linguæ ignarus esset.

Ludouicus Guyo in variis suis lectionibus narrat etiam famulum Henrici quarti (ignarum licet) græca in febri lingua locutum fuisse, idem de saga Boaistuæus asseuerat in historiis suis prodigiosis. Multi de re eadem locuti sunt, ea ad animam naturaliter omniscia, reuocantes, Pythagorei qui metempsychosim affirmabant illud animæ reminiscentiæ vitæ anteactæ in aliis corporibus memori tribuerunt Nuper mirandam de hac re historiam retulit author Doctissimus, quique iure Bibliotheca viuens dici potest, (Plutarchusque Gallus vt ab egregio viro semperque illustri Gabriële naudeo, nuncupatur in Dialogo suo de Mascurat.) LA MOTHE LE VAYER, qui in opusculis suis narrauit & testimoniis confirmauit D. LE FEVRE ciuem Rothomagensem, dum interrogaretur in somnis, omnibus linguis responsa dedisse, imo, Græce & Indice. Sic ego nouam de hac re tibi historiam communicare volui. Domina de Pile Mansi Asilij in Vasconia morbum passa est, perque totum eius curriculum Hispane optime locuta est, licet illius linguæ ante &

poſtea ignara fuerit, & præterea exſtaſim tantam paſſa eſt vt pro mortua haberetur, cumque remediis reuocata fuiſſet, aduerſus adſtantes indignata non mediocriter fuit quod à loco miro & delitioſo reuocata ab iis fuiſſet, dixit autem inter multa ſe vidiſſe ſenem qui dixit ei fratrem eius in bello mortuum eſſe, patremque in cubiculo remoto pſalmum certum legere, cuius verba retulit, hæcque omnia vera fuerunt. Quæ teſtantur, animam in Ecſtaſi quodammodo à corporeis impedimentis ſeparatam aliquid ſcientiæ quam poſt mortem habitura eſt acquirere, ſic moribundis idem contingit, cum anima iamjam ſeparari debet. Hiſce euertitur eorum ratio qui variarum linguarum locutionem ad id ſolum referunt quod hæc tantum quæ olim audiuerunt proferant, quia ſpecies rerum in nobis ſopitæ aliquandiu remanent, & vocabula obliuioni tradita deinde in memoriam reuocantur, & expergefieri poſſunt à febris ardore nimio, vt ruſtici qui Gallicè cum vino caleſcunt loquuntur: concedo quidem quædam vocabula hac ratione proferri poſſe ſed non ad quæſita reſpondi Indorum lingua, vel Græca vt retuli.

Eiuſmodi referunt hiſtorias Pomponatius qui lib. de incantationibus ait ſe Mantuæ vidiſſe vxorem Magreti ſutoris quæ varia idiomata in morbo loquebatur & tamen à Galgerando Medico curata fuit. Additque Cardanus ex Eraſmo in encomio Medicinæ à Calcerano quodam Medico poſtquam ægro Germanice loquenti, qui antea nunquam eam linguam didicerat, potionem dediſſet, cuius vi hic magnam vermium copiam dejecerat eundem ſtatim liberatum eſſe, & integre

mentis habitui restitutum, ex quo Cardanus morbos esse demones male concludit.

Ictus, & paralysis manus, curata.

OBSERVATIO LV.

ICtum à pede equino in manu amici, vt & alterius dolorem & impotentiam manuum curaui, præscribendo, vt sæpe manus totas in recens iugulati bouis vulnus immitterent, quo peracto, bene se habuerunt. Calor enim ille naturalis, nostrum excitat & expergefacit, vel benignitate sua poros aperit, & humores torpidos fluxidos reddit, qui aliter quasi coagulati residebant vnde corrumpi & gangrenam accersere potuissent.

Lachrymæ sanguineæ, & sudor viridis.

OBSERVATIO LIV.

AMicus quidam meus, ira percitus, lachrymas fudit sanguineas, quod cum satis insolens sit, casum hunc hic inferere volui, potuit autem id fieri à vena quadam capillari ob iram aperta, & sanguine ad oculos ope glandulæ lachrymalis delato.

Septimus inca peruuiani regni lachrymas fudisse etiam sanguineas legimus.

Sudorem etiam viridem ab axillis, manatum,

in linteis vidi, in Medicinæ ſtudioſo, A bile portacea ortum, vt exiſtimo.

Quare non mirum eſt ſi capilli virides reperiantur nuper enim omninò virides vidi in Iuuene.

Monſtrum biceps, & teſtudineus tumor mirus.

OBSERVATIO *LVII.*

ANno 1628. Martij die 12. natum eſt monſtrum biceps in vrbe Villefrancæ Albigenſium, quod ego nunc in muſæo meo inter alia multa curioſa à me curioſis aſſeruata habeo. Inter duo capita habet manum probe efformatam, vt & capita quæ ſeparata omnino ſunt. Ab vxore autem Maurelli enixum fuit, poſt nouem menſium geſtationem ſolitam, mortuum natum eſt, & in eius diſſectione corda duo reperta ſunt quod duas illud habuiſſe animas teſtatur, apertum autem fuit in domo Bonefouſſij Chirurgi Albienſis, viſumque fuit ab ab illuſtriſſimo Principe Condæo, & ab innumeris magnatibus. Omnia reliqua parenchymata & partes probe conformatæ fuerunt excepta ſpina dorſi quæ duplex fuit in ſuperiori parte, craſſiſque inteſtinis quæ ſolitam conformationem non habuerunt, caruit etiam foramine in podice, & pubis loco caudulam digiti tranſuerſi longitudinis habuit, en autem eius figuram.

Felem bicipitem etiam seruo : vt & cranium gallinæ cui quasi aliud cranium informe adhæret.

Hæc mihi in memoriam notandam reuocant historiam, quæ sic se habet. Vir quidam Nemausensis, rumorem in occipiti tantæ, molis habuit, vt monstrum biceps à multis haberetur, quod

ægre valde ferens maluit anceps experiri remedium, quam ſic vitam tranſigere, quare ad D. Roux Chirurgum acceſſit & coram Matheo Queſnoto Chirurgo Nemauſenſi eruditiſſimo, collegiſque eius ferè omnibus, tumorem illum ſibi amputari iuſſit, quod peractum cum feliciſſimo fuit ſucceſſu, cauterio actuali poſt amputationem admoto, vixitque in poſterum ſanitate plenus vir ille. Tumor autem ille ſine dubio, fuit is qui teſtudo vocari ſolet. Oſſi parietali adhærebat, & aliud caput magnitudine æmulabatur, duoque foramina habuit quæ oculos, vt melius caput referret effingebant, cauitatem intus habuit, ſubſtantia cartilagine circumdata refertam. Sed in radice mollior erat, fuitque cute & capillis obductus tumor iſte contra naturam, baſis trium digitorum craſſitiem æquauit; nullum ferè ſenſum poſſidebat, & nutriebatur ramis venæ iugularis externæ & quibuſdam paruis arteriis, vtque tumor is, eſt vt plurimum pericranij excrementum, ei etiam adhærebat.

De veſicatoriorum vſu.

OBSERVATIO *LVIII.*

VNumquodque agens ſuum patiens habet, ſicque vnumquodque venenum certæ corporis noſtri parti tantum aduerſatur: ſic lepus marinus pulmonem & cantharides veſicam exulcerant, licet topice & procul ab illa admoueantur, ideo non amplius miror quod Fabritius ab Aquapendente veſicatoria tanto odio proſequu-

tus sit, cum tanta mala ab iis oriri possint, (quod de iis quæ cantharidibus constant intelligendum est) si ergo iis opus sit parari è rebus non venenatis poterunt, vtpote ranunculo thapsia,&c. vidi enim ægrum qui à vesicatoriis nimio tempore in occipiti relictis mictum sanguinis passus est, à quo tamen semicupio & potu lactis curatus fuit.

Phthisis puerorum causa.

OBSERVATIO LIX.

ERror notãdus quotidie ab obstetricibus committitur, in puerulorum fasciatione, vt enim recti stent, adeo fasciis eos comprimunt vt eos fere suffocent, vnde fit vt tenera membra distorqueantur, costæ comprimantur,& pectus acutum reddatur, eiusmodi fuit in vrbe Castrensi obstetrix quæ omnes pueros quos ab ortu sic inuoluerat vel tabidos vel languenti & imperfecta sanitate præditos reddiderat. Ideoque pro saga à vulgo habebatur,licet macies puerorum ab ea fasciatorum à nimia tantum compressione ortum duceret. E contra videmus rusticos pueros amplis pectoribus præditos quia eos illigatos vel saltem largo modo relinquunt. Sic etiam puellæ quæ nimis pectora comprimunt vt graciliores videantur, vel tabidæ moriuntur, vel gibbæ fiunt nutrimento, magis ad superiora ob ligaturas arctiores vergente.

Simili Errato quandoque caput comprimunt & nutrices semper in eodem gerunt illos brachio,

vnde sceublæ fiunt, vel per crura tantum, vnde Claudi.

Sic studiosi multi tabidi fiunt, à studio nimio vt creditur, sed id à fumo candelarum hausto in musæolis vndique clausis; vt à celeberrimo nostro Placæo prof. Salmur. obseruatum vtilissimè fuit.

Testiculi tres, item vnicus.

OBSERVATIO *LX.*

VIrum noui cuius pater & filius tres testiculos habuerunt. Alium adhuc tribus etiam testiculis præditum nosco. Et è contra monachum vnicum habentem testiculum. Eiusmodi exempla refert quidem Sennertus, sed majori numero obseruationes confirmare bonum est, cum vnica experientia rem non satis stabiliat.

Lapis sub cranio repertus, & arista in collo.

OBSERVATIO *LXI.*

MIhi à perito Chirurgo Castrensi relatum, esse Lumberiensem quemdam virum curasse cui bellicum tormentum cranij portionem ademerat, cumque diu ab illo, remedia admota vulneri fuissent, exiuit inde tandem cum omnium admiratione, lapis magnitudinis fabæ qui sub cranio diu delituerat, natura illum foras ejicien-

re, fuerat autem à tormento bellico lapis ille huc intrusus, quod si in alia parte corporis contigisset, potuisset insciis omnibus carne regi, & tandem post mortem in dissectione cadaueris reperiri, tuncque omnes existimassent illum ibi genitum & non ab extrinseco venisse. Sic in arboribus quandoque reperiuntur lapides qui ligno obducti sensim fuerunt, postquam in earum rimas intrusi fuissent.

Chirurgus idem puerum vidit qui tritici aristam deglutierat, quæ tandem, tumore in collo oborto, collum perforauit, & post puris copiosi ejectionem, exiuit, contra omnium spem qui illam ibi latitare ignorabant.

Despica farris ecollo sponte educta libellus extat.

Calculi vesicæ rari, & cochleæ in saxum conuersæ.

Observatio LXII.

DAti mihi fuere duo calculi à dissectore perito, in quorum primo à me rupto, nucleolum lapideum inueni, quod Fernelij sententiam comprobare aliquomodo videtur qui asserit calculum in renibus formari, & postea ad vesicam deuolui, vbi cuticulatim augetur, vt alibi antea à nobis declaratum fuit.

Alter formam habet admirandam, nam instar cochleæ lapidefactæ effigiatus omnino est, & in centro quasi crystallum habet, quod à semine

oſtreiformi, vi lapidificæ iuncto, proueniſſe exiſtimo. Inueniuntur etiam cochleæ eiuſmodi in variis locis à mari valdè diſſitis, variis formis & coloribus, vt in hiſce regionibus obſeruaui: imò & non procul ab vrbe Caſtrenſi, vt in Gallico meo antiquitatum Caſtrenſium libro deduxi, quod à peculiari aſtrorum influxu vel ab antiquo diluuio, vel tandem quod maria ſedem mutauerint procedere veriſimile eſt, apud nos enim in variis locis littora maria mutarunt, nam magis nunc à Foſſis Marianis, &c. quam olim diſtare nemo negat. Deinde terra in ſaxum versâ, cochleæ ſic etiam cum terra commutatæ fuerunt. Vel eiuſmodi ſpecies lapidis cochleiformis extat in natura, animâ ſuâ ſic effigiati vt alij qui formas ſtellarum, linguarum, roſarum, cornuum, dentium, &c. habent.

Cum de calculis miris veſicæ egerimus, hiſtoriam ſequentem notatu digniſſimam, de renum calculo admirando recenſendam eſſe exiſtimaui D. Niuelle procurator Caſtrenſis, annum octuageſimum attigit, ſine vllis ferè renum doloribus, nec vrinæ ſuppreſſione, & tamen, cum febre periiſſet, in cadaueris diſſectione, ren ſiniſter repertus eſt luto refertus, in dextro vero lapis cineritius obſcurus, ponderis ſeptem vnciarum inuentus fuit, à Ioh. Riuerio Chirurgo; lapis autem ille figuram valdè irregularem habuit: fuit enim inſtar caſtaneæ mar. cui appendix adhærebat.

Anatomicæ observationes.

Observatio LXIII.

Naturæ thesaurum nemo vnquam exhauriet, quotidie enim nouam nobis admirationis materiam præbet. Cranium enim vidi, in quo futura coronalis omnino rotunda fuit, vt verè coronalis dici posset, intersecabat autem sagittalem & coronalem vulgarem, adeo vt crucem in circulo referret. Aliud sagittali carens vidi, aliudque multo maius vulgaribus craniis, quod à Domino Auturio Perito Chirurgo Sanctafricano asseruatur. Aliud tandem vidi cranium, magnum etiam & innumeris ossibus quasi squamis conflatum, istud autem vltimum apud Dominum Estanouum Chirurgum Monspelienſem me vidisse memoror.

Linguam etiam duplicem & bifidam in puero visam fuisse mihi obstetrix retulit.

Vidi præterea oculos in duobus hominibus colore varios, adeo vt eorum alter cæruleus alter vero niger fuerit. Mihique assertum à veterano Chirurgo Monspelienſi, D. Formio, se puerum vidisse in cuius iride oculi, hæc verba Gallica, Love soit Dieu, legebantur. Id est, laudatus sit Deus. Cranium etiam animalis instar canis seruo, cuius futuræ omnes cristatæ & eleuatæ digitis transuerso fere sunt.

Cranium etiam cuiusdam piscis habeo cuius totum

cum os, infra & supra dentibus obtusis multis se mutuò tægentibus constat.

Sic populi quidam extant vt legitur, binum simul edentes sermonem.

Macies ab hypecatharsi.

OBSERVATIO *LXIV.*

D. Eleazarus Campdomercus vt ab ipso accepi cum apud Monspelienses olim Medicinæ dignissimè operam daret, satisque pingui habitu, plenoque vultu præditus esset, tamen cathartico quodam medicamento vehementiori ei à Professore quodam propinato, hypecatharsis tanta sequuta est, vt post ejectiones octuoginta circiter, tanta macies subsequuta fuerit vt nunquam pristinum habitum recuperare valuerit; potuisset tamen assumpta Theriaca sisti vis illa nimis purgatoria pharmaci.

Ad dentes dealbandos, firmandos, & carne tegendos.

OBSERVATIO *LXV.*

OPtimum est remedium, & sæpe experientia comprobatum ad dentium radices carne obducendas, dentesque firmandos & dealbandos opiata sequens. Parum aluminis in olei sulfuris

vnc. 1. Pone, adde conseruæ buglossi vel rosarum vnc. sex, & detersо dentium tartaro ope scalpelli lignei, admoueatur opiata & intra quindecim dies si hæc sæpe fiant, dentes firmabit dealbabit, & carnem gingiuarum producet.

Ad suffocationem, & cruciatus matricis.

OBSERVATIO LXVI.

ACc. rutæ, artemisiæ, matricariæ, tanaceti, lauendulæ, mentæ, & melissæ ana, siccentur ad vmbram & tandem crassiusculè conterantur: ex illis autem sic pulueratis sacculi parentur, qui vmbilico & naribus mulierum suffocatione matricis laborantium admoueantur, aliisue partibus doloribus cæcis cruciatis. Ex iisdem herbis cum oleo oliuarum fit etiam sola ebullitione oleum optimum ad eadem, si eo tempora, nasus, cor & stomachi regio invngantur, in pertinacibus etiam doloribus aliquot eius guttæ deglutiendæ sunt, mirosque ad vteri suffocationes, eiusque tormina, ac reliquos dolores producet effectus.

Succini essentiæ guttæ 5. vel 6. epotæ, vt & si ea inungatur vmbilicus, mira in vteri suffocationibus leuandis facient, quod sæpe fæliciſsime mihi succesſsit. Hæc autem essentia facillime retortæ ope, educetur ex succino albicãtiore pulverato, & arenæ immixto, intra enim tres horas ignis gradibus succesſsiue adhibitis, copose satis fluet ni vas recipiens subiectum.

Ad cancrum, fistulas, & scrophulas.

OBSERVATIO *LXVII.*

MIra duo remedia ad cancrum gratis accipe, quorum primum sic se habet, acc. arsenici albi non splendidi vnciam vnam, pulueretur & aqua vitæ per quindecim dies irroretur de die tertia in tertiam eam semper renouando, aqua autem vitæ arsenico supernatare debet, & vnaquaque vice tanquam inutilis proiici. Postea acc. radicis serpentariæ maioris, mense iulio. Vel augusto collectæ, & in taleolas sectę, & exsiccatæ ad vmbram, vncias duas, & fuliginis splendentis dragmas tres, hæc misce & in marmore læuiga & serua: vtilis autem tantum post annum elapsum erit, virtus enim eius semper vetustate augetur; puluis ille bombaci impositus admoueri debet, bombace prius saliua ieiune madefacto, cancroque ex vlcerato tantum, quem totum eo tegere oportet, absterſa prius sanie, & nunquam cadet bombax nisi frustulo cancri secum adempto, nec adimendus erit licet dolorem pariat, sed rosaceo oleo circumliniendus, non potest enim sine dolore radicitus hęrentem cancrum auellere.

Fit etiam è foliis chelidonij maioris & nicotianæ, ana, contusis, in oleum oliuarum infusis, & ad vmbram seruatis donec corrumpi videantur & cuticulam producant remedium optimum ad cancrum, scrophulas & fistulas, si colentur, & ad vsum seruentur, vt inunctione admoueantur, vel sum

ceræ parua quantitate in cerati formam redigantur.

Ad fistulas optimum est etiam sequens remedium, quo fistulas pedum sæpè curatas vidi, & ossa ab iis educta. Fistulas primo sarmentorum lixiuio laua, & deinde, vtere vnguento ex sacchari, olei oliuarum argenti viui, & vini ana partibus æqualibus conflato.

Vir qui nunquam sputum, vel mucum emisit, aliique duo olfactu carentes, & alterius à potu mira abstinentia.

OBSERVATIO LXVIII.

MEdicum Milhauensem familiariter noui, qui nunquam sputum neque mucum eiecit, licet temperamento pituitoso & obeso esset, & tamen optima fruebatur sanitate, quod ego miratus sum, & existimaui sputum & mucum gutturis viam ob obstructionem quãdam narium accepisse, quare etiam siti raro torquebatur ob laryngis à putuita irroratum, & ob eundem loquelæ difficultate laborabat radicis linguæ nimia irroratione vidi: præterea N. Pratum tincturarum confectorem, & alium cuius nomen taceo, quorum primus olfactum morbo amisit, vltimus vero sine olfactu ab ortu & per totum vitæ curriculum remansit. Simulat tamen se res odoratas olfacere, sed fassus est mihi se nullum vnquam odorem nec suauem, nec fætidum, imo neque stercorum per-

cepisse, quod à cerebro frigido, vel meatuum olfactorium obstructione prouenire autumo.

Virum præterea noui qui octo dies sine potu transigit, etiam æstate, cumque in via longinqua licet, & sub caniculę ardoribus existit; nunquam tamen bibit, sed silices in ore paruulos tenet qui ei pro potu sunt, motu enim eorum illam sedare consueuit necesse est autem cerebrum fauces eius pituitę defluxu irrorare, silices autem illam motu suo & frigiditate allicere possunt.

Scintillæ in indusio.

OBSERVATIO LXIX.

RES profecto hęc valde memoranda est, quam sępissimé oculis propriis videre mihi contigit, in subucula & indusiis egregię & nobilis Dominę, dum Monspelij Medicinę operam Nauarrem, cum enim munda sumeret indusia, iis quæ exuebat scintillę igneæ erumpentes, & in plures subdiuisione sua abeuntes percipiebantur, eodem modo quo ignis carbonum scintillare, & in multiplices scintillas subdiuidi solet, vnde autem hęc procedere potuerint? ego existimo vapores calidos per totam diem è corpore mulieris temperamento calidiori præditæ exhalatos, in subucula reseruatos fuisse, cumque aer frigidus hyberno tempore eis occurrebat, ei tanquam inmice & cõtrario resistentes lucta hac accendebantur, & vires sumebant, adeo vt tandem motu hoc accenderentur sic enim in macrocosmo meteora ignita fiunt,

cum calidi vapores, frigori regionis mediæ aeris opponuntur.

Bartholinus lib. de Luce, Cassandram Veronensem memorat, scintillas sic crepitantes discurrentesque emittentem. E Theodorico Rege fulgurationes exibant cum artus fricabat. PETRVS FABER Med. Castrinouidarienſis idem vidit in puella dum pecteretur. Hæc dici possunt Phœnomena nec terra ac fulgetra & coruscationes microcosmi. Relatum etiam fuit mihi mulierem mihi notam flammas in morte euomuisse sed res non propalata fuit, id autem accidisse in vini ac aquæ vitæ nimiis potatoribus leges apud Bartolinum de Luce & Eusebium Nierembergensem in hist. nat. peregrina.

Refert etiam ignem ex osculo & pudendo mulieris ejectum fuisse ego vero certo scio, mutum esse apud Ruthenos cuius veretrum cum rigidum est fumum manifestè emittit.

Ventrale mulieris scintillans vidit etiam Baco vt refert in scriptis suis de naturali & vniuersali Philosophia.

Gangrena, vermesque curati, & vngues renati, item vermis hirsutus, & Macrocephalos.

OBSERVATIO *LXX.*

DDe Tirefort senior Chirurgus Castrensis mihi sæpè narrauit, se puerum vermium & dentium dolore magno detentum curasse, cui

præterea cubitus rota phalanges digitorum omnes confregerat, adeo vt gangrena eadem die qua ictum passus erat apparuerit, hanc autem remediis solitis & vulgaribus curauit, tandemque vsu balsami Christi è vino & oleo oliuarum conflati, caro & vngues renati sunt, tandem aqua theriacali propinatâ, multos vermes eduxit, sed cum adhuc æger lypothimiis cruciaretur, frigidusque & clausis dentibus per quatuor horarum spatium remansisset, dentibus vi, apertis, nempe admotione pollicis & minimi digiti ad oris latera (sic enim, modo comprimantur hisce digitis oris latera facile aperiuntur) & noua aqua theriacali propinata, vermem hirsutum & instar erucæ euomuit: alios eiusmodi vermes è naribus exiuisse mortis prænuntios narratum est mihi.

Anno etiam 1651. vxor Ioh. Artheſij Sutoris Albigensis vermem longissimum cum capite maximo ejecit.

Luxatio costarum à phlegmone.

OBSERVATIO *LXXI.*

PRoxhmi mei puerum pectoris phlegmone laborantem curaui, eius tamen costæ diu luxatæ remanserunt, tanta est naturæ vis in nocentibus rebus expellendis, tale quid etiam obseruauit olim Fernelius, ait enim se vidisse costas à cordis palpitatione luxatas, aliique adhuc disruptas fuisse asserunt. Vidi & puellam empyemate detentam, in cujus latere opus stas cluxauerat

Medicus tamen, illud non puris vomicæ sed pra-uæ cuidam & naturali conformationi, cuius vitium accusabat, imputare ausus est, donec ab alio Medico aperta fuit vomica & cum tanto successu, vt sanam adhuc puella vitam traducat.

Vermes in scabie & variolis.

OBSERVATIO LXXII.

NOtatu dignum est, tantam quandoque putredinem scabiosos contrahere, vt vermes in scabie generentur. Memini enim me vocatum fuisse ad scabiei dolorosæ capitis curam, sub qua Chirurgus vermes obseruauit latitantes. Vidi etiam vermiculos in puerorum variolis, qui cum adsunt magnam denotant humorem corruptionem, & non paruum mortis indicant periculum.

Stultitia ab ictu.

OBSERVATIO LXXIII.

NObilis quidam vir, apud Montalbanenses, ab equo cadens, ictum in capite passus est, quo subito & mutus & fatuus euasit, animalis facultatis organis, neruisque septimæ coniugationis, tum compressione, tum humorum ad partem dolentem effluuio obstructis; incisione tamen cruciali celebrata loquelam quidem recuperauit, sed

tamen per totam vitam fatuus remansit. Res mira profecto est, quod licèt animæ æquales ab ortu sint, in quibusdam tamen adeo debiles producant effectus, & quod qui artes calluerunt deinde casu & ictu solo infatuari, & in obliuionem rerum omnium, imo & literarum, ac proprij sui nominis decidere potuerint, vt magno olim Rhetori, ictum in occipiti passo, accidisse & pueri sciunt, & econtra quod qui nullum adhuc, vt pueri, testati sunt ingenium, miros tamen deinde producant eius effectus. Illud sane non potest aliunde nisi ab organis procedere, quorum concinna vel praua dispositione, anima suas melius vel peius exercet functiones, quod instrumentorum musicorum exemplo comprobari potest, iis enim praue conformatis, non similis ab iis ac è probe compositis, harmonia exurget.

Falsi basiliſci, dracones volantes & radices mandragoræ figuram humanam referentes.

OBSERVATIO *LXXIV.*

MVlti in musæis suis ostendunt basiliscos, dracones alatos, mandragoras figuram humanam referentes cornua monocerotum, &c. quæ multos ad horum realitatem asseuerandam mouit, licet certo sciam arte hæc omnia parari, si enim existerent, rariora reperirentur. Vidi enim ex mure excoriato & exsiccato basiliscum confectum, ex

piſce vero raya, exenterato, collo obloſgato & corona inciſionibus facta fit draco volans coronatus, qui ab aliis etiam baſiliſci nomine inſignitur. Multos eiuſmodi vidi apud Italum quemdam qui iis ſibi victum quærebat, curioſi enim eos ab illo emebant; ipſe autem oſtendit mihi modum eos conficiendi. Falſitas præterea eorum numero magno & pedum carentia conuincitur quod ad mandragoras antropomorphitas attinet, certum eſt fieri ab agyrtis radice bryoniæ vel arundinis, cultro ad formam humanam accommodata, quæ tandem auenis transfoſſa, vbi pili deſiderantur & defoſſa, radices ibi agit, & denique vernice quodam coloratur; quod ad vnicornua attinet, vtplurimum ſunt cornua piſcium, quorundam, Groenlandiæ vel pacos Indici, igne vel aliis modis recta effecta ſi curuata fuerint, vel foſſilia, qualia in variis locis reperiuntur.

Sic ex Ionſtono circulatores falſos etiam conficiunt bufones quos vorare credunt adſtantes cum pelles ſint tantum vino plenæ.

Ignis mirus.

OBSERVATIO LXXV.

LIcet in meo antiquitatum Caſtrenſium libro hiſtoriam retulerim de igne admirando, tamen eam etiam hic (cum liber Gallicus fuerit & ad exteras nationes peruenire non potuerit (inſeram. Fuit ruſticus prope vrbem Caſtrenſem, loci Bracadelæ incola, cuius omnia lintea, fila cannabina, &c. licet humida forent in arcis repoſita, vel ſuper

baculis ad aerem, statim ignem concipiebant, quod ab innumeris visum est, multi id ad vim magicam referebant, sed ego existimo illud à vaporibus bituminosis qui ab aere accendebantur proueniſſe, visa enim sunt stabula & putei alibi, è quibus flammæ cum terra mota erumpebant, & in hac vrbe, ex aquæ ductu aperto flammæ prosilierunt.

De paracenteſi.

OBSERVATIO LXXVI.

ILlustrissimæ dominæ Castrensis filiæ, hydrope detentæ, eius Medici paracenteſim instituerunt sed tamen errore operantis, mors in proximo fuit, vna enim nocte omnes aquæ euacuatę fuerunt, quia eas cohibere non potuit, quod tamen non fieri debet ex authorum omnium monitis, ob insignem spirituum de perditionem quæ in omnibus fit euacuationibus, curata tamen fuit, quasi miraculo, ob iuuentutis robur. Aquæ autem licet subtiles & facile omnia permeantes retineri potuissent spongiæ frustulo, vel, catapl. ex albuminibus ovorum, pilis leporinis & bolo, (quod etiam in magnorum vasorum hæmorrhagiis vtiliſſimum est) vel volsellis ligneis si labia vtraque vulneris amplexa fuissent.

Vini potio in oculorum morbis.

OBSERVATIO LXXVII.

TRes nobiles viros noui antiquis oculorum doloribus & ruboribus adeo cruciatos vt nulla remedia intentata, cumque magnis expensis relinquerent, sed omnia sine vllo fructu semper experti sunt; tandem aquæ potu abstinentes, quo Medicorum quorundam consilio vtebantur, vini potu, imo meracioris, curati quasi miraculose fuerunt. Quod profecto Hipocratis aphorismis congruum est, dixit enim aph. 31. sect. 6.

Oculorum dolores, , meri potio, aut balneum, aut fomentum, aut venæ sectio, aut Medica mentum purgans exhibitum soluit. & Aphorismo 46. sect. 7. *Oculorum dolores, exhibita mei portione, & copiosa aquæ calentis balneo, venæ sectione curato.*

Venæ autem sectio non vtilis est iis nisi adsit plethora vt obseruauit Galenus, in comment. suis in aph. Hipocratis: nisi ergo plethora, vel vel cacochimia adsint (in hac enim vltima purgatione vtendum erit) vini instituemus vsum, præcipue si venulæ oculorum crasso & pituitoso humore repletæ fuerint, vt annotauit Hollerius in eosdem aphor. si autem vini potio sine his cautionibus admoueretur, disrumperentur oculorum tunicæ, & visus amitti posset, vt magno olim viro, Petro Ramo, Maximo philosopho, Sennerti

relatu, poſt Zuingerum accidiſſe memoratur, Iacobi Saluij Medici præſcriptis.

Epileptici cranij apertio.

OBSERVATIO *LXXVIII.*

FAto functo epileptico quodam, à Chirurgo mihi noto apertum fuit eius cranium, Medicis illud ei preſcribentibus, quo aperto, inter cerebri uentriculos magnam materiæ adipis æmulæ copiam reperit. Hæc autem materia ſine dubio, vel ventriculos comprimebat, vel vaſa, adeo vt obſtruerentur, nec ſpiritus animales facile ea permeare valerent.

Inſectum horrendum ab homine eiectum.

OBSERVATIO LXXIX.

VIrum noui qui cum phlegmate, magno conatu, poſt ingentem ſtomachi dolorem, inſectum per os eiecit, pollicis craſſitiei, eiuſdem pollicis dimidiam longitudinem attingens, colore leucophæo, ſine cauda, paruo capite, & vtrinque pedes variæ magnitudinis & figuræ vt cancrorum habens. Aſſertum etiam mihi Medicum erucam viridem è corpore ægri expuliſſe.

Eclypsis, & cometæ observatio.

Observatio LXXX.

NObilem virum cognoui qui semper dum eclypsim Sol patiebatur, se etiam pati asseuerabat, alij etiam multi se idem percepisse in seipsis mihi nuper affirmarunt, in notanda eclypsi solari anni 1652. cuius rei causa manifesta est. cum enim à sole proueniat non solum lux, sed etiã occultus vitæ cibus, quem explicaui in obs. mea de carne noctu lucente, animalia, solaria præcipuè in eclypsi, illo cibo retento pati necesse est.

Anno 1654. 12. Augusti mensis die obseruaui Eclypsim etiam solarem capitis dolorem omnibus ferè intulisse, & ægris adeo nocuisse vt multi obierint & inter alios Hostenius Princeps.

Cum de Eclypsi agatur dicam in gratiam curiosorum optimè per helioscopia cerni si per tubum Galilæi immobilem trajiciatur in quo vitrum coloratum addideris, vel chartam cum foramine aciculæ, vel eius reflexione in vola manus, charta, &c, sic enim videbis solem quasi cœlo deductum in terras vt de luna à sagis fieri ferunt Poetæ videtur etiam, per speculi reflexionem, aut in vase aqua pleno.

Idem anno 1656. in Eclypsi solari etiam obseruaui die 26. Ianuarij hora meridiana Lutetiæ.

Anno 1652. & Decemb. die 11. Apparuit cometa paruus albus, quibusdam radiis ornatus, qui primo inter leporis pedes, postea in sinistro pede

Orionis, deinde inbalteo eiuſdem, & tandem ad hyadas, pleiadaſque intra 14. dierum ſpatium occidens peruenit. Curſum à ſudeſt ad nordoueſt præter curſus ſolitos dirigens, quia ibi vapores quibus nutriebatur copioſe reperiebat omnes enim cometæ ob id verſus ſeptentionem vergunt; quia ibi copioſiores vapores ob ſolis radiorum obliquitatem cumulantur. Curſum habuit velocem, quia non ſublimis fuit (ſpheræ enim in qua exiſtunt motu rapiuntur) & quia magnam oſtendebat parallaxim: cauſa eius fuit ſiccitas magna autumnalis præcedens, quæ, ei materiam præbuit: effectus eius parui, vel nulli me iudice erunt, cometis enim vires nullas tribuo, ſed tantum cauſæ quæ eos produxit, vtpote ſiccitati nimiæ quæ humana corpora, aliaque, exſiccando, & inflãmando humores eorum accendere, & ſanguinem eorundem in bilem conuertere ſolent. Multa hic de cometis curioſa referre poſſem, ſed nunc breuitatis ſtudioſus, ea ſilentio preterire decreui, ad plenum de iis in Democriti mei philoſophia acturus.

Hoc vnicum nunc addam, nimirum, coniunctiones Saturni, Martis, & Mercurij, vel malignos eorum aſpectus, circa eclipſes, præſertim ſolares, eaſque magnas, cometas ex Aſtrologis, relatu Origani portendere; quæ hoc anno extitere: adfuit enim eclypſis magna Solaris, & coniunctio Martis cum Mercurio & Sole, quadratuſque Saturni cum Sole aſpectus.

Cometulam vidi infima aeris regione, qui lunæ magnitudinem attingere videbatur, globus eius ceruleus erat, & ab illo cauda ſatis longa angulum acutum effingens prodibat, è cuius ſum-

mitate multæ manabant scintillæ : motus eius velox fuit, quod testatur cometas inferiores velociores habere motus, duratio vero eius parua fuit.

Dentes in senectute nati & in palato, item visus, & aliorum sensuum in senibus, recuperatio.

OBSERVATIO LXXXI.

VEtulam vidi, cui cum ingenti dolore dens molaris natus est, quod testatur omni tempore dentes nasci posse, neque adeo facile in adultis, ob gingiuarum duritiem nasci ac in pueris: aliam etiam vidi in cuius palati medio, dens natus erat.

Cum de senibus sermo nobis nunc sit, obseruaui, multos, sensus amissos, rursus recuperasse, quod sic fieri existimo; quemadmodum in luminibus deficientibus fiunt quidam naturæ insultus, quibus lumen magis solito clarescit, sic etiam in corpore humano, calidi innati pabulum, seu humidum radicale deficiens, conatus similes facit, quibus ad tempus, quasi renouatione quadam, senes, sensuum deperditorum vsum, denuo acquirunt. Multos enim vidi senes qui auditum, visum, & ambulandi potestatem, à lõgo tempore cum amisissent in decrepita tamen senectute, hisce omnibus, quasi iuuenescentes fruebantur, adeo vt nec conspicillis, nec baculo egerent.

Dysenteria,

Dysenteria, & cachexia rhei vsu curatæ.

OBSERVATIO LXXXII.

NObilem puerum vidi qui à quarto ad sextum annum cachecticus, remansit, & dysenteria fere perpetua cruciatus, eaque violenta fuit, adeo vt rursus ad lactis vsum deueniendum ipsi fuerit, hic tamen frequenti rhei vsu, tum in substantia, tum ptisanis ex eo compositis, me prescribente, optime curatus fuit.

Monstra, & hermaphroditi.

OBSERVATIO LXXXIII.

ANno 1642 natum est monstrum in pago *de la Sarrete* in vicecomitatu *de Panat* quod duabus tantum horis vixit, in cuius pectore fuit caput aliud præternaturale probe efformatum.

Anno immediate vero præcedenti, in pago, *De la Maionoue* canis triceps natus est, adeo vt ethnicorum Cerberum referre optime potuisset. Alium vidi canem cum sex tibiis natum. Quod ad hermaphroditos attinet, in Xenodochio Castrensi visus est adolescens, vuluam sub pene imperfecto probe conformatam habens; visa etiam ibidem

puella duas vuluas habens vnam alteri subiectam. Obseruaui etiam cochleas terrestres vtroque sexu pollere, si enim in coitu reperiantur, & separentur, opime vtrumque eorum sexum percipies.

Oris spasmus.

OBSERVATIO *LXXXIV.*

DCragium Scotum, Edimburgensem, Iuris professorem Patauinum & tandem Middeburgensem noui, qui ex nimio Cambreti potu in otis spasmum incidit, quo abstinens, postea curatus fuit. Cambretum autem est quidam Scotorum potus.

Dentes draconum aduersus venena.

OBSERVATIO *LXXXV.*

IN antiquis speluncis, reperiuntur, lapides dentiformes, dentes draconum vocati, qui in aquã proiecti bullas excitant, & aduersus venena valere feruntur. Eiusmodi autem multi reperiuntur in spelunca vocata, *de Seneuieres*, apud Cadurcos, casuque reperti sunt, quoniam cum saxa quibus hærebant in aquam fontis forte decidissent, illam medicatam adeo reddiderunt, vt bos ægrotans ea curatus fuerit; quid autem sint hi dentes nunc nobis videndum: quod sint draconum, vt fertur illud

nego, ob abundantiam, ſed exiſtimo, potius eſſe piſcium quorundam dentes vtpote; Delphinorum, vel Cetorum, qui diluuij tempore in his antris reconditi remanſerant, maxillæ enim integræ quandoque dentibus ornatæ ibi reperiuntur: in oſſibus autem, cornibus, & dentibus omnibus, vis quædam ineſt alexiteria, vt in dentibus Elephanti, Rhinoceroti & Ceruorum cornibus, oſſibuſque cordi cerui paret, quæ quotidie à Medicis præſcribuntur ad morbos venenatos; dentium autem & cornuum ex Ariſtotele eadem eſt materia, cum animalia cornigera dentibus in maxilla ſuperiori careant, earum materiâ in cornua transmutatâ. Reperiuntur & alij dentes lapidei alibi, dentes humanos referentes imo quandoque giganteos, ad venena etiam aptos, qui ab igne in gemmas cæruleas, Turcheſias nouas dictas, mutantur.

Abceſſus mirus.

OBSERVATIO LXXXVI.

D. Tirefortius ſenior, eruditus Chirurgus Caſtrenſis, vocatus fuit ad curam tyronis cuiuſdam D. Puioli mercatoris etiam Caſtrenſis, qui tumore & dolore magno femoris detinebatur: poſt multa remedia autem fruſtra admota, apertum fuit femur, ope cauteriorum, & ab illo pus copioſum primo exiuit, & tandem fruſtula quædam materiæ cuiuſdam obduratæ quæ & pilorum globos, & ranulas, & piſa cum ſiliquis retulerunt,

hisque emissis, sanatus æger, vlcusque cicatrice obductum fuit. Hæc autem omnia naturaliter facta fuisse, & non magice, vt alij crediderunt, existimo.

Hæmorrhagia perpetua.

OBSERVATIO *LXXXVII.*

DOminus Claudius de Balde, à Bellacuria, verbi Dei minister, vsque ad annum trigesimum hæmotrhagiis narium cruciatus, adeo debilitatus & emaciatus fuit vt mors in propinquo esset, quotidie enim sæpius sanguinem effundere solitus erat, vnde non parua spirituum fiebat deperditio, curatus tandem vero fuit, vino moderatè sumpto, (abstemius enim erat (sicque ad viridem senectutem deuenit, hepar enim eius nimio aquæ potu, & sanguinis effusione, non parum refrigeratum fuerat.

De magnete, & succino.

OBSERVATIO LXXXVIII.

VEteres naturæ inquisitores dixerunt, alij succo magnetem vim suam attractiuã amittere, sed expertus sum rem hanc falsam esse: retulerunt etiam succinum non attrahere ocimi folia, sed omnia attrahere, expertus etiam sum, imo ra-

menta omnium metallorum, vitri terræ, &c. Quæcumque, quod existimo à succino fieri, quia fricatur vt attrahat & calore frictione excitato aer succinum ambiens dilatatur, deinde vero cum refrigeratur & constringitur, vicinum aerem vacui metu allicit, & cum eo rerum leuium fragmentula, vt in cucurbitula videre est, quæ eadem ratione carnem, &c. allicit. hæc referre volui ne amplius falsa eiusmodi vt vera à doctis viris referantur, neu amplius mentes suas torqueant vt causas eorum inueniant.

De ægrotum facie mutata.

OBSERVATIO *LXXXIX.*

INter signa lethalia recensetur ægrorum facies adeo immutata vt proximorum, parentum, vel maiorum faciem subito referat, licet eam antea non retulerit, quod semel videre mihi contigit in puella, quæ matris faciem accepit, & paulò post mortua est: vnde autem illud proueniat accipe. Certum est rem minimam mutatam, faciem immutare posse, vt in picturis videre est in quibus minima linea hominum vultus mutat, sic etiã in viuis hominum corporibus accidit, licet enim aliquid vultus parentum retineant, tamen hæc, vel bono habitu, vel prauo, superficiei faciei auctione vel imminutione mutatur, adeo vt parentum repræsentatio in iis vitietur, sed cum morbo habitus eorum natiuus mutetur, subito naturalem formam ad quam nati erant quandoque re-

cuperant, & sic tunc parentes referre possunt: sed hæc subita immutatio nil boni auguratur, cum subitam naturæ consternationem, & morbi victoriam testetur.

De hominum naturali proprietate.

Observatio XC.

Nihil est in rerum natura proprietatibus destitutum, nam excrementa etiam animalium omnium, nobis prodesse possunt ex iis enim remedia ad omnes morbos olim desumebat Xenocrates Medicus, cum autem hæc ita sint, satis mirari non possum, quod nemo, animalia integra, & viua homines præcipuè, proprietates varias Medicas possidere adhuc perceperit: sunt tamen homines qui naturali quadam virtute quosdam morbos præsentia, & tactu suo, curare possunt, effluuia quædam è corporibus suis emittentes, (possunt enim cuiusdam plantæ vel mineralis vires ab ortu possidere (& econtra alij qui venenatis suis qualitatibus teneros pueros, agnos, pulloſque recens natos, &c. interficiebant, nouique virum hoc veneno, se inuito, præditum, adeo vt ipse antequam domos ingrederetur mulieres moneret vt pueros & animalcula remouerent. Sic Vespasianus ophthalmiæ medebatur, & Pyrrhi digitus lienosis proderat, sicque Aurelianus, & Hadrianus multos hydrope detentos, & cæcitate, ex Dione, Vopisco, & Ælio Spartiano, curarunt.

Itaque non dubito quin vnusquisque, vires suas possideat (alias minor fuisset hominis quam reliquarum rerum benedictio (indeque fieri Medicos quosdam, doctos licet, Medicinam infeliciter facere, cum in se vires naturæ inimicas gerant. Hæc omnia proposui, vt fidem facilus adhibeat lector historiæ quam sum iam narraturus D. de Gout, Scriba Iudicis conuentionum Nemausensis innumeros curauit, & adhuc curat febricitantes, sola brachiorum frictione, hancque ipsum habere percepit proprietatem, dum omnes curarentur quibus pericarpia admoueret, & tandem, pericarpiis non admotis, eodem pacto eos etiam curari animaduertisset.

Gangrena à pericarpio, aliaque mire in femore curata.

OBSERVATIO XCI.

QVoniam febre detenti potius ad agyrtas quam ad Medicos accurrunt, vt sibi pericarpia admoueantur, hanc nolui tacere historiam, vt deinceps adeo temere lectores hisce non vtantur. Senator quidam amicus meus, cum febre detineretur, sibi pericarpium applicari permisit, è sinapi, pipere, aceto, fuligine, &c. conflato. Quo in brachio inflammatio producta est, cui gangrena successit, quæ non sine magno vitæ periculo curata fuit, oleo quodam miro, quod ex mercurio conflatum fuisse existimo, cum hanc nuper audiuerim habuisse proprietatem in Domina

Maria de Fontaines, Domini de Paucheres ciuis Castrinouidarienſis vxore à D. Dauide de Puechmeia Medico Podiolaurenſi Galenico Chymico curata, cum ab omnibus reliquis derelicta fuiſſet Medicis, digitorum, & pedis amputatione frustra celebrata, fæmoriſque inſuper extirpatione præſcripta: illud autem oleum, ſubito carnem ſanam à mortua ſeparat, verumque eſt illius morbi, ſpecificumque remedium.

Frictio ſcabiei cum aqua ſublimata.

OBSERVATIO XCII.

CVm multi temere aduerſus ſcabiem variis remediis venenatis vtantur, hanc eis proponere volui hiſtoriam, vt ſaluti ſuæ in poſterum conſulant. Amicus quidam meus, cum nimio ſcabiei pruritu vrgeretur, cuiuſdam conſilio, infuſione ſublimati corpus lauit; at intra paucas horas veſicæ per torum corpus excitatæ fuerunt, & Paulo poſt lipothimiis & ſyncopis laceſſitus adeo fuit, vt mors proxima fuerit, ſed theriacà aſſſumpta, corporeque confectone alxermes & aliis cardiacis fricato, curatus fuit. Alibi autem remedium facile ad ſcabiem edocui.

Soles duo visi, eorumque ratio.

OBSERVATIO XCIII.

RElatum mihi sæpe fuit à veracissimo quodã amico meo, se dum summo mane iter faceret, solem valde pallidum in oriente percepisse, dumque hæc cum admiratione contemplaretur, subito solem illum cadentem, aliumque nouum, cum solita maiestate orientem vidisse: ego autem existimo, verum solem cum prope ortum suum fuisset, speciem suam in nubem proximam aqua grauidam vibrasse, & in eam debilem sui figuram depinxisse; postea vero sole ipso ad nubem accedente, falsum solem euanuisse.

De astrologiæ certitudine.

OBSERVATIO XCIV.

DVbitant multi de veritate astrologicarum prædictionum dubitabam ipse etiam olim, ob Pici Mirandulani aduersus hanc artem argumenta, sed postquam mira multa hac arte variis prædicta fuisse viderim, imo ipsi Pico, cui astrologi vitam 33. annorum, pro responsis ad argumenta sua, ore Lucij Bellantij Sienensis prædixerunt, cumque ipse me hac arte, varia euentu comprobata prædixerim, artem veram credidi, sed falsos

operatores, si enim errata in horologiis, calculoue astrologorum, vel Ephemeridarum non inessent veraque axiomata omnia Astrologiæ iudiciariæ possideremus, mira multa quotidie vaticinaremur. At hic referre non possum quæ prædixerim, cum in scririo cordis me hæc seruaturum esse promiserim, res tamen hæc pro certa haberi debet, me in figuris genethliacis non pauca maximi momenti sæpe ante euentum dixisse, & euentuum tempus coarctasse.

Notanda est etiam historia quæ Castris accidit, gemellæ natæ sunt quæ non solum omnino similes fuerunt, sed etiam eadem die coniugio iunctæ, virisque eandem artem profitentibus, quod ab astrorum influxu simili prouenisse non vero absimile est. Sic legimus apud Valerium Maximum, Polistratem, & Hypoclidē, eodem die natos, eundem præceptorem, nempe Epicurum habuisse, idem patrimonium possedisse, senectutem attigisse, & eodem obiisse momento.

Ad epilepsiam remedia, item quæ curari possit, deque eius ortu à digitis.

Observatio XCV.

PRo certo habeo ab amico, quemdam Epilepticum, valdeque hoc morbo cruciatum, innumeris frustra adhibitis remediis, esu Iecoris Lupini perfecte non solum curatum fuisse, sed &

alios multos similiter curasse, fungus quercinus idem præstare dicitur. Alia Epilepsia est quæ pollicis inustione à cauterio actuali curatur, à pollicibus autem pedum & manuum incipit, inque iis quasi ebullitionem quandam producit, quà factà, aura venenata ad caput ascendens Menynges feriens, tandem ægros prosternit ait autem Hipocrates eiusmodi epilepsias curari posse 98. prædict. lib. 2. de morbo sacro sermonem faciens. His verbis. Hæc autem inter se differunt, ex his namque molestissimi sunt qui à capite originem trahunt, deinde ex latere, qui vero à manibus ac pedibus, præcipue sanitatem recuperant.

Lues venerea absque sudore, vel ptyalismo curata.

OBSERVATIO XCVI.

LVe venerea affecti tantis cruciatibus olim vexabantur, vt morbus fere remedio præstaret, nunc vero facile sequenti remedio curari possunt absque sudoribus, absque pryalismo, absque inunctionibus licetque nec cubili nec cubiculo immorentur. Modus autem eiusmodi est acc. antimoni & zarzapatillæ ana vncias. 6. antimonium nodulo incluſum in sex aquæ amphoris, in quibus sit zarzaparilla cum 40. nucum putaminibus, & hylis, suspensum coque, ad tertias, eiusque decocto vtatur æger, capiendo ter in die, nempe mane, meridie, & vesperi haustum eius sumendo,

longe à cibis. Antimonium autem quater vtile esse poterit.

Oculi à febre & peste eruti, item de oculorum, venarum cauteriis.

Observatio XCVII.

TAnta est aliquando febris violentia vt cranium & costas ab ea fractas mihi relatum fuerit, quod etiam apud authores legi. Sic tanta fuit in muliere quadam febris vehementia vt mihi assertum fuerit à Medico, oculos ex orbita eius eruisse idemque alteri pestis veneno accidisse certum est.

Tandem notandum est quemdam Medicum ophtalmicũ magnas sibi diuitias Lutetiæ comparasse, cauteria actualia venis oculorum debilium, & rubrorum admouendo, quod sepe ei feliciter succesſit, proque nouo habetur remedio, sed non tacendum esse existimo, me remedium illud antiquissimum esse percepisse, in libro enim Hipocratis, de visu, describitur, quod testatur pauca esse quæ vir ille magnus non agnouerit, sed meliora negligentiâ quadam contemnuntur, ideo laude dignum existimo Medicum qui illud renouauit remedium.

Circa idem adhuc monitos lectores cupio, Cornarium Hipocratis translatorem, in hoc libro de visu, 20. circiter lineas necessarias, in-

feliciter omisisse, quæ in græco textu reperiuntur.

Aborsus mirus.

OBSERVATIO XCVIII.

MVlier quædam cum sæpe Camphoræ pyxidi insedisset, aborsum passa est; Camphora enim vim miram habet, ad matricis quasi vomitum, (si ita loqui liceat) excitandum, sic multa sunt quæ extrinsecus admota miras operationes producunt, vt crocus qui equis, eius copiam ferentibus, mictum sanguinis inducit; & cantharides quæ in hominibus eundem, sola admotione, sæpe produxerunt effectum.

Nimius fletus, & mæror, curati.

OBSERVATIO XCIX.

NObilis quædam mulier mihi nota, tantâ melancholiâ, mæroreque adeo acerbo conturbata fuerat, vt perpetuo flendi desiderio teneretur hisce tamen curata facillime fuit, nimirum, gestatione croci supra cor.

Ephemera febris trium annorum periodum habens.

OBSERVATIO C.

MIrum quidem est, febres iuxta humores à quibus ortum ducunt, varias habere periodos, quartana enim duos relinquit dies, tertiana vnum, quotidiana nullum, sed maiori admiratione dignum est, cum quatuor tantum sint humores, reperiri febres quintanas, sextanas, & quæ septima, imo quindecima die recurrant, quod sepe me legisse memoror. Sed in admirationem maiorem rapior, dum nobilis amici cuiusdam mei, Castrensisq; causidici melioris notæ, febrem perpendo. is enim Ephemera febri, singulis trienniis eodem tempore detineri solebat. Quod ego fieri existimo à certa corporis temperie, quæ ita se habet, vt humorem intra vnum, duos, tres, 4. 7. 25. imo intra triennium cumulet; quo cumulato, natura grauata ad eum expellendum insurgens, febrem excitat.

Peroratio ad lectorem.

HAnc centuriam melius claudi non posse existimo, quam hisce maximi Zacuti verbis, multa ardua, & mirabilia rimati sumus, non ambigo plurimos esse qui postquam legerint, ea Tironiano dente incessant, vel odio Vatiniano pro-

sequantur, invidi, alienæ famæ detractores, quorum virulento morsu conuulnerata plerumque exarescunt omnia: at si crabrones, scarabeos, asilosque, hæ producant historiæ, spero eos vnguentorum, quæ in iis continentur odore, facile perituros:

Deo, optimo, maximo, & trismegisto, sit laus honor, & gloria, in æternum.
Amen.

APPENDIX,

Ad Secundam OBSERVATIONVM CENTVRIAM.

AD Obſeruationem 38. Idem Lutetiæ accidit, anno 1655. & in nuntiis ludicris publicis conſcriptum fuit & Typis mandatum carmine Gallico.

PETRI

PETRI BORELLI MEDICI REGII, CASTRENSIS HISTORIARVM, ET OBSERVATIONVM RARIORVM Medicophyſicarum, Centuria III.

OBSERVATIO I.

Oculorum radij vitra perforantes. Item oculorum ſtrabiſmus & motus inſolitus.

MVLIERES quaſdam eſſe legimus quarum viſus, recens natis animalibus noxam infert, vt & ſerpentes quorum aſpectus Lethalis eſt. Aſſeritur etiam quod ſi lupus Prior hominem viderit raucum illum efficiet, aliaque non pauca de oculorum efficacibus radiis, paſſim occurrunt, vt de morbis oculorum & ictero qui aſpectu commu-

nicantur. Hæc autem esse posse, sequens observatio (admiranda omninò) satis superque comprobat, quà etiam probari potest visionem partim emissione fieri. D. Le Favchevr, vir insignis pietatis & probitatis, & Ecclesiæ Carentonensis Pastor, sanctioris ærarij Tribunum sæpissimè vidit Lutetiæ, cuius oculorum acies tanta est, vt conspicilla sua paulatim perforet, adeò vt ea sæpè mutare & renouare cogatur: idemque audiui à sene mihi cognito, & non dubito idem multis contingere si observaretur: at si vitrum quod adeò difficilè soluitur, radiis oculorum perforetur, cur non in pueros, agnosque tenellos agent; hæc tamen præcipuè in mulieribus observata fuere vnde pleræque pro sagis habitæ sunt quoniam sic multis noxas inferebant, cum tamen id naturaliter fieret, & à corruptione menstruorum, qua etiam specula fœdant, & arboribus plantisque reliquis & vino acetoque nocere queant;

Obseruaui præterea circa oculorum morbos, strabismum per totas & singulas prægnationes durantem, idemque vidit vir supra memoratus in Senatoris subsidiorum Lutetiani vxore, quæ vt in tertiana febri vnicam diem tantum liberam habebat, morbus autem ille insolitus Caustico seu cauterio potentiali occipiti admoto curatus fuit.

Recurrentes etiam motus conuulsiuos animaduerti in D. Soultz Castrensi, & in domina de Drvillet, sæpe in die autem intermittebant, sed in Domino Bonello insigni Mathematico Monspelliensi, motum inuoluntarium musculi versus tempora obseruaui per plures annos, quod ab humore quodam molestè musculis oculorum

incumbente oriri existimo, qui fotu quodam calido, vel aqua vitæ, per insensibilem transpirationem dissipari debet.

De puluerum vsu ad capillos exsiccandos, vt & de eorum denigratione.

Observatio II.

Hic in gratiam nobilium dominarum quibus canities importuna est arcana quædam non negligenda ad denigrandos capillos referam, primum mihi à D. Vignaueto eximio & Doctissimo Pharmacopæo Regio qui illud expertus est communicatum. Sic autem se habet. Nota etiam me illud experientia comprobasse. Acc. cinerum clauellatorum vncias duas, builiant ebullitione vna tantum cum libris quatuor aquæ puræ in vase æneo, postea ab igne remoue, & in hac decoctione extingue calcis viuæ vncias quatuor, calce extincta adde plumbi vsti & Lithargiri aurei ana vnciam vnam, bulliant adhuc omnia simul duas aut tres ebullitiones & serua vsui, vnica autem vice non denigrabit: sequenti etiam vti poteris, mihi etiam pro optimo communicato & pro sæpissimè experto.

Acc. Lithargiri argenti & luti molarum in quibus acuuntur cultri ana, vt & calcis viuæ, misce & puluere, deinde cum cineribus sarmentorum misce & ex hac pasta capillos fricabis & sic iis inuolutis dormies & pectine deinde munda-

bis & sæpe repetendo tingentur. Vel aqua Gallarum illos frica & deinde puluere vitrioli tandemque olei oliuarum momento eos manu perfricando illis nitorem conciliabis.

Notandum etiam est non parum noxam iis impendere qui nimiis pulueribus capillos ornant, vt vidi in quodam amico meo, in cuius capite post mortem quasi tegumentum testudineum, ex pulueribus quibus frequentiùs vtebatur quam necesse erat conflatum repertum est, creditum autem & non absre, hæc mortem eius acceleratsse, capitis impedita transpiratione, quare melius est radere capillos, & falsis vti capillitiis.

Monstra quædam rara vtpote, cyclops, &c.

Observatio III.

In Carthusia Vallis Clatæ (*Vauclair*) in Occitania superiori, Pullus Equinus monoculus & labio inferiori oblongo natus est, vt mihi à R. Don Chatardo Docto & curioso Carthusiensi Castrensi oculato teste mihi communicatum est.

Vidi præterea nuperrimè apud D. Tamponetum peritissimum Chirurgum Parisiensem, anatomicumque clarissimum, puellam cyclopem, monstrum profecto admirandum & pro quo ei. 25. Dupliones obtuli frustra. At notandum quod natura benigna de more suo monstris multiplicationem denegans ne bis errasse videretur vt in mulis & aliis animalibus hybridibus

videre est, nostro etiam Cyclopi non concessit ossa enim pubis eius ita conformauit vt licet concepisset nunquam parturire valuisset.

Apud eundem visitur puer qui Cerebro Caruit & collo vultumque quasi in pectore habet vt de blemmis vel bleptis, Plinius & Stephanus retulerunt aduersus veritatem cum à solertissimo D. Guil. Boreello meritissimi Belgij vniti legati fratre qui orbem curiosè peragrarat obseruatum fuerit esse viros tantum qui capita intra humeros, quos attollunt recondere soleant, & cum magno delectentur capillitio, caput cum pectore confundi videtur & acephali apparent.

Vidi etiam suem, bicorporeum cum vnico capite, & nuperrimè apud D. Rousseau Chirurgum Paris. Vitulum cui caput vnicum, corpora duo, caudā tamen vna erat imperfecta & duobus pedibus posterioribus carebat, sex enim erant tantum in duobus vitulis per fœmora coniunctis caudā vnam etiam habuit perfectam aliam vero imperfectam, spinas dorsi sinuosas quæ instar Y conjungebantur, duplices omnes partes vitales habuit vt ante dissectionem prædixeram, sed renem, & intestinum rectum vnica habuit, reliqua omnia duplicia habuit, excepto iecore, cuius tamen moles solito maior extitit, duplexque fellea Kystis.

Hæc autem à nimia seminis copia orta esse verisimile est, natura enim semen inutile relinquere non cupiens alia molitur iuxta eius quantitatem & cum deficit ei, opus etiam imperfectum relinquit, sed mirum est quod non adeo à scopo abertar vt oculum in manu vel pede, vel in dorso

ponat, nec sic partes omnino è contrario transferat.

Alium adhuc nuperrimè venalem vitulum vidi cui duo capita à latere coniuncta visebantur.

Insecta baleniformia in sanguine humano.

Observatio IV.

REs huc vsque inaudita & certè stupenda est, naturæque lusus vel prouidentiæ eiusdem admirandum argumentum. Ceti, seu baleni morpha animalia in sanguine humano tanquam in rubro Oceano natant, & quemadmodum muscilionibus elephantorum proboscides Deus concessit, sic istis Syphones retro capita ad sanguinem eructandum tanquam balenis non denegauit, cucurbitæ semen vel myrti folium æmulantur venis etiam scatent, ita dispositis vt neruos foliorum referant.

Existimandum est hæc insecta (pedibus enim carent) ad vsum corporis animalium perfectorum creata fuisse, vtpote ad prauum sanguinem hauriendum vel, &c.

Si illa cernere cupias, accipe iecora veruecina vel bouina, seca illa frustulatim & in aquâ projice, ea manibus mulgẽdo & attrectando, & videbis multa talia animalia ab illis manare quæ motu non destituta erunt si iecora recentia fuerint manent autem in magnis venarum truncis, & credo esse

Vermes illos cucurbitinos in stomacho quandoque repertos qui sedes quandoque mutant, amicus quidam mihi asseruit in omnibus animalibus reperiri,& se in hominibus porcis,&c.eos vidisse. Nota quod non facilè animaduertuntur quoniam statimatque à sanguine separantur flaccescunt adeo vt membranam tantum referant, instar sanguisugarum adhærent carni. Rusticis innotescunt & eos (dalberes) vocant à nomine cuiusdam herbæ eiusdem nominis & figuræ à cuius esu prouenire animalia hæc somniarunt.

Multi alij obseruarunt alios vermes in sanguine deliteſcentes & non semel venâ sectâ sanguinis exitus impeditus à verme fuit, Mouffetus enim animalia lumbriciformia oriri in sanguine ex Plinio retulit, & Ioh. Ianin de la Manse, apud D. Rambovillet Lutetiæ manens vermem eiusmodi post venæ sectionem à vulnere prorumpere vidit vt mihi ore proprio retulit, idemque ab aliis mihi confirmatum est.

De Cassiæ vsu in febribus popularibus.

Observatio V.

GRassante apud Castrenses populari & pestilenti febri, obseruaui ægros non parum Cassiæ potionibus & ptisanis, vt & tamarindorum leuari, putredini enim resistunt, bilem euacuant & ardorem temperant, idque ex aliorum Medicorum mecum consultantium sententia nempe, Eleazari de Campdomerc, & Lacauxij. D. Cada-

leno ea febri grauiter detento, felicissimè successit, aliisque non paucis.

Vis febrium curatrix amissa.

OBSERVATIO VI.

D. Franc. Henricus Patritius Lugdunensis innumeros curauit Febricitantes. Trium pomorum medietatibus quibusdam vocabulis inscriptis quas deglutiendas dabat, in prima scribebat, *Christus pro vobis natus est*, in secunda, *mortuus est*. In tertia resurrectus est. Sed tandem hæc vis in eo extincta est nec febres amplius curare potest, quidam id ad pactum implicitum eius qui eum id docuerat reuocare volunt, ego vero ad virtutem naturalem eius quæ ætatis mutatione vel temperamenti mutata etiam & extincta est. Aliud exemplum simile olim recensui, & profectò, si magnete & aliis remediis periaptis & topicis leuamen accipiant agri, vt & ab iis quæ à mineralium, vegetantium, & animalium mortuorum familiis depromuntur cur non etiam à viuis animalibus & ab ipso homine sibi similiori.

Ab aciculæ punctura, gangrena.

OBSERVATIO *VII.*

BVrdigalæ Nobilis Matrona acicula seipsam in indice digito læsit, vnde secuta est

gangrena, digituſque amputatus fuit, ſic è minimis vulneribus magna viſuntur prodire ſymptomata, vel ratione partium vt de quodam puero qui ſic acicula diaphragma alterius pueri tetigerat, quo obiit, vel ratione temperamenti, quidam enim facilè gangrenas, &c. concipiunt, vel tione inſtrumenti, ſunt enim aciculæ & acus venenatæ vel caſu quod rem venenatam tetigerint incautè, vel de induſtria vtpote ſic à veneficis italis paratæ ad cuiuſdam necem vt de eorum acubus miſſilibus per arculos aſſeritur. Hoc ſic ſine dubio in matrona noſtra contigerat, acicula enim omnes mercatoris à quo ſuas emerat venenatæ repertæ ſunt & in ignem projectæ. Huius rei D. Fraiſſinetus Chirurgus Caſtrenſis teſtis eſt oculatus.

Dolor dentium horrendus.

OBSERVATIO *VIII.*

RVſticus quidam loci dicti (LABECHONIE) prope Caſtra Albigenſium, tanto dentium dolore detentus fuit, vt poſt phrenitidem in Syncopen etiam incideret adeo vt pro mortuo ſæpe habitus fuerit, nullo autem remedio leuari potuit vnquam præter tandem betonicâ naſo inditâ, qua curatus fuit & in priſtinum ſanitatis ſtatum reſtitutus.

Anus perforatus.

Observatio IX.

AGnus absque podice natus in villa podij, sancti Iacobi Carthusianorum Castrensium, ab Anton. Desplas. Curatus fuit apertione, adeò vt vixerit. Duos etiam tales pueros vidi, quorum vnus etiam adhuc viuit. Membranis enim tantum, scalpello amouendis teguntur vt alibi retuli.

Variolæ recurrentes & in ætate prouecta, Item Senectus rara.

Observatio X.

NVlla est regula quę exceptione nō careat creditur.n.eos qui semel variolis laborarūt non amplius eas cōtrahere posse,easq; esse tributum semel soluendum in vita ob illuuiem à matris vtero contractam.Sed multos vidi qui nnquā iis laborarunt, alioſque qui duo vel tria eius grana habuere vidi etiam qui bis & ter imo in senectute ea cruciati fuere, sed nil adeò circa hæc notandum occurrit ac mulier quædam Bononiensis Galla quæ septies eas passa est & anno-centesimo & decimo-octauo tandem eodem morbo periit.

De glacie.

Observatio XI.

VSus glaciei nunc à multis laudatur, in potu, ego vero illum non parum vitupero experientiis edoctus, quaſdam enim puellas, torminibus, colicis doloribus, imò & diſenteriis & obſtructionibus fato functas vidi quod delitij gratia glaciem deglutiſſent. Hæc tamen à quibuſdam imò à multis laudantur Medicis. Heus quanto dolore angor, dum video Naturæ miniſtrum Medicum, hoſtem eius deueniſſe, & remeeij Authorem loco ſanitatis mortem inferre, certum enim eſt numerum ægrorum à medicis, curatorum non attingere (in Gallia ſaltem) illum eorum quos adorcum pompoſa cum latinitate, deducunt, farragine herbarum & aromatum quæ ſine vlla ratione præſcribunt, quæq; ipſi proſeprocul abigunt; alios fame necant, victu nimis tenui quandoque præſcripto, vnde debilitato cerebro ſequuntur deliria; alios vero ferro publicè iugulant, nimis frequenti venarum ſectione qua ſanguinem ad vltimam guttam cum pecuniis exhauriunt, licet nobiliſſimum illum naturæ theſaurum ſedulò conſeruare poſſent, cum leuibus remediis calor eiuſq; nimia quãtitas minui poſſent. Sed peſtis hęc perpetua, ſemper iam regnum iſtud populabitur iam adeò inualuit vt arceant bona conſilia & ſapientibus inſolenter dominentur illi ſanguipetæ & ſanguiſugæ, ſanguini-ſemper inhiant, venæ

sectionē imperant antequam ægrorum statum viderint, imò pro Crastiuis diebus, & si qui sint qui eorum canibalinas effugiant manus, per longissimum tempus emaciati decumbunt & vix tandem vnquam sanitatem perfectam recuperant, hæc quandoq; cuidam vtilia quidem esse possunt vtpote viro cuidam sanguineo, vt & in inflammatione quadam vrgenti sed isti ad omnia idem præscribunt nec opus est eleganti, vlla consultatione dum quis laborat morbo quodam, possunt ægri marsupiis parcere, sciunt enim omnes quis qualisque erit finis consultationis ac exitus antequam fiat, nimirum phlebotomiam instituendam esse, quid tot ergo verbis opus est, quid etiam Medicis, sufficiunt Chirurgi si nulla, alia sit Medicina quam venæ sectio, sic & sufficiet Pharmacopęus vel Pharmacopola si sola senna ad purgandum opus sit. Hic est miser celeberrimæ Academiæ Medicæ status, ad hoc redacta est nunc ars diuina Medicinæ, & metuo ne ad illud deueniat vt iuxta merita crimina, obque perpetua homicidia in exilium sicut antiquitus à Romanis arceatur, ni Deus opt. max. rationem hominibus restituat. Possem hic viri semper lugendi mortem dolorosam toti Europæ imo mundo recensere, nimio illo remedio sanguineo, & verba ab eius ore deprompta referre quibus ante obitum fassus est se nimio obsequio periisse & cum heroë suo, ad inferos cum viridi adhuc & stante senectute descendisse. Sed præ nimio dolore, nimis ab instituto sensim recessi de glacie agens, non tamen adeò vt videtur cum mortis glaciem & frigus æternum corporibus expulso natiuo eius calore cum sanguine inducant, non enim tribus

vel quatuor contemti sunt sectionibus. 25. vel 30. imo quandoque vsque ad 50. pro vnico morbo celebrantur, visique sunt ægri quibus tres vna vice præscriptæ fuerãt phlebotomiæ cum prima obiissent, solaque ad vitam eorum languidam eripiendam sufficere valuisset, nec parcunt vlli sexui, nec temperamento, imo nec iis qui pulmonis detinentur affectibus & quibus sanguis ipse si fieri posset infundendus non euacuandis esset. Taceo quod Crisium adeo à galeno decantatarum nullam rationem faciunt. Sed ad glaciem veniamus. Aqua congelata si probè inspiciatur, ostendit quasdam lineas quibus noctes suas earumque numerum dicere poteris, sic in alpium montibus glacies antiquas cernes in quibus etiam dies & annos varios distinguere poteris. Sic lineis arborum, cornuum, cochlearum, imo & lapidum quorumdam incrementa patent.

De frigore notandum idem quod de calore caniculari quod gelu non à majori frigore quam à diebus precedentibus procedit, sed à longiori eiusdem frigoris impressione, vt calor culinarius æqualis licet, carnem quam primo tantum calefaciebat, tandem assabit, hoc pacto fit caniculæ æstus potius quam ab astro vllo.

De glacie etiam notandum quod plantarum figuras ostendit si earum sale impregnata aqua fuerit præcipuè sale calidarum herbarum. Notandum præterea ex glaciè conspicilla fieri posse facillimè iuxta figuras omnes quibus per aliquot horas curiosi experiri poterunt quæ cupient & si benè succedat vitro rem deinde experientur.

De erucaranea & vermibus serici.

Observatio XII.

MVlta noua natura diues, è locupletissimo suo penu quotidiè in lucem emittit quo suam eximiam mortalibus potentiam patefaciat, sic nuper in natura insectum vidi cui Erucaraneæ nomen do quod eruca sit parte anteriori, aranea vero posteriori, nec sericum vel filum instar aliarum facit, vel in papilionem mutetur, sed filo tantum pendula remanet. Nec somnia sunt cum adhuc videri possit apud solertissimum papilionum ac erucarum naturæ rimatorem D. Morinum, Lutetiæ degentem. De hisce animalibus, aliisque rebus medium inter species tenentium curiosè egi in catena mea aurea seu tractatu de rebus omnibus in omnibus. Sic piscis est à Dlepuit dictus qui ranæ aliquid habet, de quo Consule Obseru. 91. ad oculos. Est & in noua Hispania animal, tapayax dictum quod lacertus etiam orbicularis vocatur ex lacerta bufo quia semibufo est vocari potest. Notandum præterea serici vermes sericum non & ore vt creditum fuit eructare, sed tantum è mammulis quibus corpus eorum ornatum est. Vidi præterea virum illos vermes viuos deglutientem sanitatis ergo.

Dentes sapientiæ.

OBSERVATIO XIII.

NAscuntur Dentes hominibus non solum ætatis anno septimo sed quandoque in ætate satis prouecto. Sic D. Henrico anno vigesimo primo ortus est dens post nimium tabaci vsum, & alios vidi adhuc prouectioris ætatis imo ad senectam vergentes quibus idem contigit. Hi autem dentes, sapientiæ dentes vocari solent quod in ætate qua homines prudentiam quamdam habere debent oriantur. Nec abest ab illis dolor ob gingiuæ duritiem quare non mirum si pueris dolores magnus in dentitione accidat prima.

Magnes per manum transuersam vim suam communicans, & sine tactu Physico ferri, vim suam per aëris medium ei tribuens.

OBSERVATIO XIV.

CErtiora dogmata ab hominibus, peste & præ-occupatione falsæ Magistrorum suorum doctrinæ imbutis repudiantur ac rejiciuntur, vt dum radios solares, odores, lucem, idœas rerum, emissiones corporum & alia, corporea esse non

credunt quoniam corpuscula eorum atoma cernere nequeunt. Contrarium tamen innumeris confirmare possem argumentis, sed hoc in alium locum remittens, hoc vnico contentus ero. Magnetem habuit amicus quidam meus qui absque contactu Physico ferro vires aliud ferrum trahendi dabat adeò vt dum in manu eum teneret, cultri pollici fricandi tantum essent vt vim attractiuam ferri adipiscerentur. Idque verum esse in alio magnete vidi apud D. La Nouium Lutetiæ, qui omnium rarissimum mineralium Musæum cum sedulitate insigni congregauit. Trans enim aureum nummum & chartas crassiores vim suam communicat, quod fieri existimo ab atomis magneticis circa magnetem volitantibus ad certam spheram, & sic ferro occurrentes vim suam ei tribuunt eadem enim qua magnes totus virtute præditæ sunt. Sic agunt periapta, pericarpia, & alia præstant admiranda ad occultas ab ignaris tributa qualitates cum res manifestas cernere renuant, vt quidam Medici mihi noti facere solent qui aduersus autopsiam seipsos obcæcantes, rerum nouiter in Physica & Medicina detectarum experientiam, dictis & scriptis lacerare moliantur, indignè ferentes à cæno ignorantiæ mentes suas obtenebratas reuocare.

Est & magnes, Lethalis vocatus qui si alteri magneti admoueatur virtutem ei accipit adeo vt per longum tempus sine virtute trahendi remaneat, tandem tamen vires recuperat. Illud mihi D. Bressieus vir subtilis ingenij mihi pro vero communicauit, ab eodem etiam habeo saxa omnia quæ in orbe sunt in situ naturali venas suas habere

ita diſpoſitas, vt ad mundi axem ſecandam tendant. Vide obſ. 96.

Ad Epilepſiam.

OBSERVATIO XV.

PAui ſtercoris puluis cum vino ad dragmam vnam luna ſilente deglutitus præſtantiſſimum eſt remedium (ſi ſemel in menſe ſumatur per aliquot menſes) ad ſacri morbi paroxiſmorum ſæuitiam compeſcendam imò ad curandam omninò.

Ani fœces per penem eductæ.

OBSERVATIO XVI.

MErcatorem Lutetiæ noui qui alui fœces diù per penem emiſit, quo affectu tandem anno 1654. obiit. Credendum eſt caſum adeo inſolentem proueniſſe vel à calculo quodam, vel à fæcibus induratis, vel vlcere quodam inteſtini & veſica, aut alio naturæ vias impedimento obſtructas fuiſſe. Sic viſi ſunt pueri imperforati, fœces liquidas micturientes. Conſultatus ego de morbo huiuſce Mercatoris papyri; (LE GOVT) vocato, conſilium dedi vt cibis liquidis veſceretur vt facilius per viam hanc quã natura, aliis occluſis, ſibi quæſiuerat emitti poſſent. Eo vſos conſilio

non fuisse autumo, audiui enim mortuum esse paucis ab hinc diebus, verum quidē est quod cum senex & debilis esset difficilè erat tanto morbo & adeō insolito eum diu posse resistere, poterant & vti multis enematibus emollientibus & simul consolidantibus ac ad vlcera accommodatis.

Munditiei necessitas.

OBSERVATIO XVII.

SAlis quidam custos ob nimium frigus in carcere morbum contraxit, cumque fæces sub se debilitatis ergo facere coactus esset nec ab vllo mundaretur gangrena clunes eius occupauit, D. PERROY Chirurgus Castrensis ad eius curam accersitus, clunes ei & scrotum iteratis vicibus abstulit & amputauit seruatis tamen testiculis nudis, sed cum ignis ille gangrenæ nimias egisset radices mortem vitare nequiuit.

At D. FRAISSINET etiam ibidem Chirurgus scrotum sic amputauit in D. PRAT coriario, seruatis testiculis, & scrotum renatum est illi.

Sed vt ad munditiei necessitatem redeam multos ægros ægrosque etiam nobiles, sic mortuos vidi clunium gangrena, quod incautè non mundarentur vt necesse erat.

Erucæ innumeræ.

OBSERVATIO XVIII.

INnumeras vidi non semel erucas & tanquam è Cœlo pluuia delapsas, quibus terra, Syluæ, imò & tecta domorum scatebant, quæque vna nocte Syluæ magnæ omnia folia vorarunt. De hisce multa refert valeriola, idem enim non semel visum est, vt & de papilionibus ab iis generatis qui solem obumbrabant, idemque de locustis è quibus fames quod omnia vorarent, & pestis ab earum morte processit. Nota autem quod genista fugantur viridi eruæ omnes si arbores eâ inuoluantur.

Aranea mira, vomitu viua reiecta, &c. rara de araneis.

OBSERVATIO XIX.

DFontaugerius procurator Castrensis anno 1611. Dum se opiparè cum amicis in horto suo sub vite exciperet, cecidit casu araneola ferè inuisibilis in eius vitrum vino plenum, jam iamque hauriendum, dixit ille tunc, nil refert, deglutieris, & hausto potu nullum hinc malum sensit, sed duobus ab hinc mensibus ægrotare cæpit, sed cum causa morbi ab omnibus ignoraretur,

nullo remedio leuabatur, ignotâ enim causa non apprimè admoueri queunt remedia vt sublatâ causâ, cessent effectus, tandem naturæ indiuidui conseruationis anxiæ conatu, tussi cum ingenti araneam eiecit tantam vt vel corpore vel pedibus patinam mediocrem tegeret, huius rei testis est D. Vignauetus pharmacopæus regius & doctissimus & celeberrimus.

Fuerunt & puellæ quarum fœdis coloribus appetitus inuersus fuerat quæ araneas innoxiè vorarunt, idemque legitur de puella Alexandro magno oblata vt eius concubitu periret consuetudine enim cum veneno non toxico lædebatur & halitum venenosum fundebat, consuetudo enim secunda natura est. Quare de Mithridate crederem econtra corporis eius auram Medicatam fuisse quod longo tempore Mithridatio suo vsus esset, vnde etiam factum est vt non veneno, mortem sibi accelerare potuerit, se optante & ad ferrum recurrere coactus fuerit. Quare dixit Iuuenalis.

Sed tamen & ferro, si præguſtarit Atrides
Pontica ter victi cauti Medicamina Regis.

Visa est etiam heroina Anglica quæ araneis inter cibos delectabatur. Vorantur etiam ab auibus innoxiè, & à simiis.

Sed sciendum est, varias esse araneas, multas enim earum species recensent Plinius, Aldrouandus, Mouffetus, & Ionstonus. Suntquæ aliæ aliis

venenoſioros. Licet enim aues vt plurimum non earum vſu pereant, vidit tamen D. Catterius Medicus eruditiſſimus Pariſinus Gallinam quæ ſtatim ab araneæ eſu periit. Vidi ego aliam mortuam ſponte in cuius corpore duæ ſalamandræ repertæ ſunt.

Cum de araneis agatur nunc, non latebit lectorem me multa de iis obſeruaſſe ſatis memoranda in centuria mea obſer. microcoſpicarum quæ cum libro meo de Teleſcopio edita eſt Hagæ apud Hadr. Vlack. inter quæ nota me octo oculos in araneis quibuſdam optimè & diſtinctiſſimè percepiſſe meo microſcopio, multiſque doctis & curioſis videndum præbuiſſe, in quibuſdam vero ſex oculos tantum vidi.

Vulnus mirum.

OBSERVATIO XX.

De Sauines equitum Vexillifer D. de Leſdiguieres, in obſidione Chiuacenſi apud Pedemontanos, tormenti bellici ictu petitus fuit adeo vt ei omoplatas cum tota dorſi carne abſtulerit vſque ad oſſa, adeoque profundè vt halitus è pectore ſuo emiſſus cãdelas admotas extingueret, cordiſque ſyſtole & diaſtole oculis cunctorum cerneretur is tamen curatus fuit, vnde lector debes colligere nulla vulnera negligenda eſſe, ne ab aliis quæ negleximus curentur, ſicque dedecus incurramus vt olim Cabrolius anatomicus qui vulnerum quorundam horrendorum ſuſcipe-

re curam renuerat & eadem à rustico solo laridò in aqua erraso curata fuere cuius rei non parum illum puduit.

Fallaciæ Chimicæ.

OBSERVATIO XXI.

VT olim fraudes eorum qui dentes tactu fusi &c. se auellere simulant detexi, sic non paucas Chimicorum auro alienò inhiantium dum aurum promittunt detexi. Et primo occurrit mihi, Baro de Beau-Soleil dictus qui projectionem mihi & amico cuidam meo ostendere promisit, ego illi omnia necessaria ministraui, & fecit ex argento viuo, argentum optimum apud me, nobis presentibus se vero remoto, sed tandem percepi id à Carbone quo crucibulum tegeram proueniisse quem ille dum ego illi auersus essem subtiliter inter carbones meos posuerat, cuique argentum limatum indiderat, & quoniam latus erat carbo & aptissimus ad tegendum crucibulum eo vsus eram se præscribente, & hinc delapsa materia pici incorporata argentum produxit post fugam mercurij.

Idem ipsum Romæ feciisse ait Campanella, quod illi dixi, renuit tamen & promisit se iterum idem facturum, sed discessit.

Alij argentum condunt in aqua forti qua vtuntur, vel in argento viuo, vel in baculo arundinaceo quo fusam materiam mouent, alij ad latera crucibuli vel fundum, &c. sed fuit quidam Gene-

uæ ſubtilior qui aurum limatum cum aliis rebus incorporans & ex illo paſtam conficiens, fruſtulatim pharmacopolæ eam paruo pretio dedit ſub nomine pharmaci cuiuſdam indici, deinde auri confectionem promiſit dicens ſe nolle ſummam eorum niſi ſe abſente decies ſi vellent rem experti eſſent, & in deſcriptione rerum neceſſariarum paſtam ſuam nomine nouo inſignatam poſuit, quam illi emendam curarunt & rem veram cum multoties percepiſſent, pactam dederunt pecuniam, ille vero receſſit vt hamo ſuo aureo alibi piſcaretur, iſti vero paſtam reliquam emerunt & aliam à pharmacopæo petierunt qui promiſit ſe eis breui daturum ad libitum vt ei ab agyrta pollicitum fuerat, ſed non amplius eam habere potuerunt at in reſidui fruſtulo tandem aurum latere cum dolore inuenerunt. Fuit etiam nuper Lutetiæ ſimilis circulator qui tamen à quodam curioſo rei Chimicæ pro magno Alchimiſta habebatur, quare illum apud ſe accerſiuit ſub ſpe quod ei aliquando quędam reuelaturus eſſet, cum vero nil poſſet ab eo extorquere poſt annos dùos, de eo conqueſtus eſt, ipſe vero dixit ei, quod iuſtum erat vt ei tranſmutationem oſtenderet ſed quod patientiam eius tentare voluerat, quare illi eam oſtendit argentum optimum ex plumbo conficiens, at cum ab aurifabro cui oſtendit argentum negatum fuerit arte fuiſſe confectum & eſſe argentum cupellatum aſſeruiſſet, illeque agyrtæ ſuo etiam aſſeruiſſet, agyrta faſſus eſt ſe argentum illud effuſo ſubito plumbo per cineres crucibulo indidiſſe, idque feciſſe vt animum eius recrearet. Hæc dico vt caueant curioſi ab agyrtis

istis, non tamen vt aliquid ab alchimiæ veritate derogetur.

Lapides decem in kystide fellea, item arcanum ad calculum.

OBSERVATIO XXII.

ANnno 1653. Aprilis mensis diè decima-octaua, Castris Nobilis Dominus FERRAND Vcetiensis apoplexiâ mortuus est, apertum fuit corpus & in Kystide fellea decem calculi nitentes, coloris flaui sub obscuri & aliquomodo triangularis figuræ, fabæ magnit. Reperti sunt, quorum duos ego in musæo meo curiositatum asseruo.

Nota ptisanam fructus cynorrhodi seu rosæ sylueſtris in furno siccat. Et puluerat multos à calculo liberasse, & inter alios D. Amatum Gagnerium negotiorum Sereniſſimæ Duciſſæ Lotharingiæ Domus præfectum quem honoris causâ nomino ob laudandam suam Doctrinam & curiositatem. Sed diu eâ ptisana vtendum est.

De limacibus.

OBSERVATIO XXIII.

IN limacibus vnicum foramen quod aurem crediderim ab vno tantum latere percipies,

oculos vero in cornibus vt cancri marini habent, eosque ductitios, eorum enim pupillas nunc in capite condunt nunc extra cornua mittunt ad libitum quod nemo antea perceperat licet oculis absque conspicillorum iuuamine illud percipi possit. Nota præterea quod solis ardor vel modicus perdet limaces, & mortem recipiunt à sole, à quo reliqua animantia vitam mutuare solent adeo frigidi sunt temperamenti quare etiam, latibula, saxa & vmbras semper quærunt. Omphacij præterea infusione pereunt reiterata.

Gangrena à frigore.

OBSERVATIO *XXIV.*

N. Daragon à nimio frigore perculsus tandem quadrupes imo & super genub. ambulans apud quosdam peruenit vbi calefactus fuit, sed tamen gangrenam vitare non potuit qua digitos pedum ferè omnes amisit. Eius tamen cura feliciter à D. Perroy, Chirurgo Castrēsi susceptа fuit, qui vnguēto ęgyptiaco aliisq; remediis solitis vsus est.

Vulnera citius quam decet clausa vnde gangrenæ metus.

OBSERVATIO XXV.

VOcatus fui ad Saluiæ Barbesæ Virginis Castrensis curam, cultro ei magno vulnus in-

flictum in brachio fuerat quo citius quam necesse erat balsamo quodam clauso, brachium intumuerat, mirum in modum, & rubedinem ac inflammationem tantam conceperat vt semper fumum emitteret, & lintea omnia quæ madida admouebantur citò exsiccaret, curata tamen à me fuit Chirurgis, D. Perroy, Tiresortio & Fraisslineto ministrantibus, vulnere rursus aperto quod sanguis extravasatus non ejectus fuisset. Et deinde vt vulnera vulgaria curatum fuit, inflammatio vero paulatim sedata fuit lactis cum pane catapl. & aceto cum vng. ros. deinde digestiuis cum oui luteis terebintina & ol. ros. ad curam, deducta est.

De butyri vsu.

Observatio XXVI.

NOn semel obseruaui butyri vsum prægnantibus noxium fuisse, vt & iis quæ matricis suffocationibus frequentibus obnoxiæ sunt quare ab illo abstinebunt consilio meo.

Ad dol. dentium.

Observatio XXVII.

BVrsa pastoris contusa & auribus indita auellanæ magnitudine optimum est remedium &

sæpe expertum, est enim quidam aurium cum dentibus consensus. Allium etiam contusum cum salis momento & pollici admotum, vesicas efficit è quibus apertis, aqua fluit, qua fluxio à dentibus deriuatur & dolor eorum tollitur quod non minus mirum est quam cum galenus è contra digitorum impotentiam motus, admoto in dorso emplastro ad neruorum origines, curauit.

Podagræ leuamen.

OBSERVATIO XXVIII.

CErtum est animalia infirmiora & tenetiora mala citius suscipere morbosque transplantari, quare, pueri cum senibus dormientes halitu suo maciem contrahunt. Sic podagra mirè leuatur si catelli cum podagrico recumbant, morbum .n. contrahunt adeò vt vix incedere queant, æger vero leuamen suscipit. Cum etiam ignoratur malum internum cuiusdam, quæue pars in eo laboret, cumque fenestra careamus vt momus olim optarat qua possimus partem affectam deregere, illud in alieno ac ignobiliori corpore percipere valemus. Capiendi sunt catuli & cum per quindecim dies cum ægro decubuerint, & ciborum eius reliquias & sputa deglutierint, morbum similem contrahent tuncque si aperiantur pars eadem quæ in ægro affecta reperietur & sic cognito morbo, & remedia admoueri legitima poterunt.

Facilis purgatio.

OBSERVATIO XXIX.

GVttę duo olei nuclei pinei indici, seu ricini americani prælo educti instar illius behen vel amigdalarum purgationem hanc facilem si potui infundatur vel iusculo procurabit. Alij eo obeliam fricant & sic etiam incautè ægrum purgant.

Delirium simulatum & mictus sanguineus, &c.

OBSERVATIO XXX.

SÆpe occurrit Medico vt ægros morbos simulantes inuisat quod non facilè aliquando dignoscitur vel quoniam nulla est illius suspicio vel quod rem apprimè simulent. Quidam enim paupertate moti morbos multos simulant, vt majorem sibi pecuniam alliciant, captiui, vel famuli vel scholastici idem faciunt vt à carcere, dominisque liberentur, idem quandoque monachi faciunt vt mihi de Carthusiano contigit mictum sanguineum fingente vt melius exciperetur meque sæpius videre posset, vidi & impudicam mulierem ac prægnantem quæ delirium optimè simulabat vt remedia ei adhiberem quibus fœtum ejicere posset. Quare sedulò debent Medici om-

nia perpendere hæc, non enim adeo parui sunt momenti cum de morbos simulantibus Galenus librum conscribere voluerit.

Sic erat puer quidam quem pater quotidiè folle tumidum reddebat & quasi hydropicum hæcque à magistratibus punienda relinquo.

Serpens eiectus ab ore hominis.

OBSERVATIO XXXI.

ANdreas Desplos Carthusiæ loci de Escossens prope Castra Villicus dolore ingenti colico cruciatus imò tanto vt humi jacere pronus coactus esset, serpentem tandem vomitu magnum ejecit teste Dom Chatardo doctissimo eiusdem Carthusiæ scindico, credendum est serpentem illum cum potu dum paruus esset deglutitum fuisse, vel in viri, illius os dum ore aperto ruri dormiret, post lactis potum quo serpentes alliciuntur irrepsisse.

Congelationes digitorum hybernæ.

OBSERVATIO XXXII.

SÆuiente frigore rubores pruriginosi seu congelationes, in manibus & pedibus oboriuntur qui quidem importuni & dolorosi sunt & quandoque aperiuntur & valdè molesti fiunt, ad hos autem nullum æquè pollet remedium ac fri-

ctio frequens fragorum tempore verno, circâ manus & pedes, quod quidem mirum cum hæc enim verna fiant tempestate, futuras illas congelationes hybernas impediunt ne oboriantur, nescio qua ratione.

Vermis hirsutus in hepate canis.

OBSERVATIO XXXIII.

MAgnus canis solitariè viuēs & magis quam alij canes melancholicus fuit qui ob calorem quemdam internum pluuiosum amabat tempus, adeò vt à pluuia nunquam recederet, seque madefaciendum præbeter, dissectus fuit à D. Tardin Medico Turnonio, & in eius hepate vermis hirsutus repertus est cuius rei testis etiam est idem Chatardus antea memoratus. Sic legitur historia de serpente in corde humano apud anglos reperto. Et alia similia quibus comprobatur nobiliora parenchymata vulnera & vlcera ferre posse modo vasa eorum præcipua illæsa remaneant.

Hydrops ab epilepsia.

OBSERVATIO XXXIV.

MVltæ causæ hydropis, ac epilepsiæ symptomata recensēri solent, sed nusquam legisse memini quæ iam dicturus sum mulierem vidit

D. Vignauetus ſupra memoratus quæ dum epilepticum paroxiſmum pateretur inſtar dolij intumeſcebat. Curata tamen fuit & ab importuno hocce liberata morbo vſu ſalis abſint. Corall. & perl. ad grana viginti quatuor, in juſculo.

Abſtinentia mira.

OBSERVATIO XXXV.

DOm Antonius Carthuſianus Ruthenenſis id eſt vrbis de RHODEZ vocatæ per duos menſes ægrotauit & abſque cibo vllo remanſit, omnia enim reſpuebat oblata ad nutritionem & ſi cogeretur & vi aliquid deglutiret illud rurſus euomebat, aliquando enim à D. Rigalio pharmacopæo ad ſumendos cibos cogebatur ſed fruſtra, tandem cum illum D. de Feldes Medicus inuiſiſſet; eum ventre omninò deſtitutum inuenit adeò enim venter eius receſſerat & euanuerat vt oſſium dorſi veſtigia in ventris cute impreſſa eſſent.

Hinc colligendum eſt naturam eius mutatam eſſe, eumque exhumore quodam Viſcoſo & inſtar eius limacum victum ſibi comparaſſe, manens enim abſque cibo per ſex menſes, quoniam à calore ſuo tenui difficillimè coquitur hic humor pituitoſus, nota præterea quod non deperdunt tantam ſubſtantiam inſtar aliorum virorum, imò ferè nullam ideò cibo non indigent cumque cibus nullus ad inteſtina perueniat, inutiliaque remaneant, flacceſcunt paulatim & adeo attenuantur, vt ad nihilum ſenſim deueniant, vel de-

fectu nutrimenti, vel alia de causa nobis ignota, Non hic miras abstinentias referam, licet multas de ea non ignorem historias vt de puero quodam circa Senones qui per quindecim annos absq; cibo fuit, sed videant curiosi Citesij abstinentem Confolentaneam & Sennertum de longa inedia vbi plusquam triginta exemplis hæc confirmata reperient à 7. diebus ad annos sexaginta.

De periaptis.

OBSERVATIO XXXVI.

MEMORANTVR multa curiosa de vi amuletorum & periaptorum, ferunt quidam corallum, Iaspidem, pæoniam, alces vngulam, viscum quernum, &c. ad varios morbos & asserunt non parum ad hæc conferre, præcipue leuantur mulieres magnete ab vteri suffocationibus, & ætite in brachio ab abortu, vel eadem in fœmore à partus difficultate. Fuit & lapis Lutetiæ cuius vi si Manu teneretur fugabatur melancholia. Sed nemo adhuc obseruauit quod de arsenico dicturus sum, ferebat aliquis in pera sua arsenicum aduersus pestem, & tandem percepit quod ischiadis insolito dolore tenebatur, quo semper perseuerante & causam ignorante nunquam leuari ab hoc dolore poterat, deposito vero arsenico curatus est, quare credendum est noxium esse, non forsan omnibus sed quibusdam temperamentis.

Hæc mihi in memoriam reuocant Helmontij historiam

hiſtoriam egregiam de Cathedra cuiuſdam podagrici, quæ podagræ dolorem alió inferebat à mumiæ podagrici in ea remanente & infixa cuius emanationes ei inſedentes iuxta diſpoſitiones ſuas lædere poterant.

Deplantarum & metallorum nutrimento.

OBSERVATIO XXXVII.

AQua ſola nutriri & augeri poſſe plantas vix credidiſſem, ni per ſex menſes in phiala aquæ plena Ocymi ſeu Baſilici plantæ ſurculum vidiſſem & ſeruauiſſem, vbi radices multas, imò innumeras egit, ſurculos & flores, ſed aqua renouanda ſæpe eſt. Obſeruaui etiam arbores magnos ſatis, imo tibiæ craſſitiem æquantes, in terrea parua olla Vegetaſſe ſola irroratione, terra eiuſdem ponderis remanente. Quare credendum eſt ab aëre & aqua nutrimenta capere: ſunt & plantæ quæ ſolo aëre diu perdurant ſi parietis vel ligni indantur foraminulo, vbi florent, tales ſunt craſſula maior, ſemper viua, aloë, &c. Aliæque ſi tantum filo ad aërem ſuſpendantur vt aloë & cœpe. Quare exiſtimandum eſt eas magneticè aërem attrahere & coagulare vel eius atomos allicitas ſibi vnire. Sic etiam crefcunt metalla ab aëre & aqua, ſi enim terra aëri diu exponatur concipit, plantas, vermes & calculos ac rudimenta metallorum. Viſumque eſt plumbi cathena quæ cum tempore incrementum accepit vt terram attigerit, viſumque cranium humanum eſt ab excel-

lentissimo viro D. Guil. Borel legato Belgij vnici dignissimo, quod plumbum ramificatione sua vndique perforauerat. Ego illud quidem de Corallo vidi in cranio, sed non de metallo, vidi tamen ramificationes naturales omnium metallorum multoties.

De canis rabidi morsus curatione, &c.

Observatio XXXVII.

NOtatu dignissimū est, multos pro cura morsus canum rabidorum ad nobilem D. Bergerium apud Brigenses se conferre quotidie quod innumeros curauerit; ab ipso petij quo pacto il os curatet, dixit mihi illud vi peculiari & proprietate naturali familiæ suæ, vt de scrophulis aliisque morbis fertur, vtque de febre alibi retuli. Ego vera curam potius referem ad tria oua frixa dura, cum multo oleo cocta quæ siue potu iis deglutienda præbet.

Obseruandum præterea D. Martinum Medicum Parisiensem celeberrimum canem habuisse morsu alterius rabidi rabidum factum, qui calidissimus fiebat, & tandem in hydrophobiam incidit si vero ei aqua tantum admoueretur, imò nocturnis oris, ad terram concidebat sese circum agendo. Accidit quandoque hydrophobia seu aque metus ex morbo sine vllo morsu vt vidi in Verderij domina, Castris quæ nequidem iuscula vlla, nullaque alia liquida cernere tantum poterat, sicque obiit.

De Thea.

OBSERVATIO XXXIX.

IN duabus tantum Chinæ prouinciis arbor Thea dicta reperitur ex Alex. de Rhodes peregrinationum hiſtoria, quæ bellidis folia habent & vna aliâ maior eſt. Magnis curis colliguntur hæc foliola ſemel in anno, (vtq; nos hic vuas colligimus) ex arbore myrti folio prædita, bullitur in aqua (& tunc extendi poteſt & eius forma percipi) ad dragmæ pondus, & calidè aquæ illius vitrum deglutitur, vapores autem ſomniferos adeo cohibet vt impediat quominus vigiliis fatigeris, aut ſomnum cupias, roborat præterea ſtomachum, renes purgat & calculo vtilis eſt.

D. Vignauetus Pharmacopæus præſtantiſſimus ea feliciſſimè ſæpe vſus eſt, eaque multi vtuntur Magnates & viri literati à longo tempore, quorum nomina recenſere poſſem, idque cum ſucceſſu fæliciſſimo.

Emplaſtrum ſtellatum.

OBSERVATIO XL.

FVit Chirurgus in exercitu Gallico omnia curans vulnera cum emplaſtris figuræ ſtellæ, nullo admoto vnguento, ex ſolo enim linteo ea

faciebat. Quod ego non ad magiam vllam refero sed ad solius naturæ effectum, vt olim Cæsar Magatus facere solitus erat, solo enim fasciarum vsu omnia curabat vulnera negotium Naturæ remittens vt ait Sennertus.

Meteora noua.

OBSERVATIO *XLI.*

AVtumni tempore obseruaui instar telarum aranearum Albissimarum & longissimarum aërem refertum esse in agro Parisiensi quod ab aëre quodam vel à substantia in eo existente coagulata orrum ducere percepi.

Vidi præterea spumam mense maio pratorum herbis insidentem in qua locustæ generabantur. Aliamque in salicetis è qua muscæ exibant.

Vidique Nostoch seu florem Cæli, speciem muscí, terræ Friabili & Monticulosæ, incumbens tanquam gluten, post pluuias, à quibusdam Chimicis decantatam, illam enim pro vniuersi spiritu capiunt, & ex ea spiritum dulcem sed maximis præditum viribus aurumque soluentem educunt.

Tandem multarum figurarum niues obseruaui, nunc stellas exangulas, nunc foliola mauuæ, nunc rosulas aliaque multa referentes, quas alibi describemus.

De ouis.

OBSERVATIO XLII.

MVlta curioſa de iis dicenda habeo quæ ſub hoc titulo referam. Primo notandum eſt quod in germine pulli parumper incubati, tota pulli forma apparet ſi ſedulò aſpiciatur, imo animata & ſenſu prædita, ferro enim calido admoto recedere & moueri videtur. Sic in germine Nucleorum vtpote amygdalarum, &c. Parua ebullitione præcedente, acu totam plantam reperies, quod præcipuè in Phaſeolis animaduertes. Notaui alias ni fallor, me Gallinam monſtrifœtam vidiſſe cuius oua omnia rara & figuræ miræ erant, nunc ſinuoſa, nunc quaſi duo iuncta, nunc acuminata valdè ſicque ſemper figuræ nouæ. Talē Nardus ſe habuiſſe ait. Vidi etiam tres vitellos in vnico ouo, & ouum Galli ſine vitello in quo quaſi ſerpens generatus fuerat. Notatu præterea eſt quod ouum concuſſum rectum ſtare poteſt alias nullo pacto, quod pondere Lutei quod fundum petiit fieri certum eſt. Præterea obſeruandum oua gallinarum nigrarum colore externo vt domeſticarum colore lutei deprehendi poſſe. Oua etiam recentia ruditate ſua, etiam in tenebris diſtingui poſſunt, alij perſpicuitate ad Solem, lacteque ſuo & majori repletione ea diſtingunt. Sic olim Democritus lac Capræ nigræ & primiparæ ab alio coram Hipocrate diſtinxit, hoc enim viro ſæpe rem guſtu experto facilè eſt. Sunt enim differentiæ notandæ etiam in rebus quæ nobis ſi-

miles omnino videntur, sic vir quidam fuit qui ouum quoddam ab aliis omnibus distinguebat, licetque aliis immiscceretur semper idem eligebat. Tandem sciendum est testæ oui materiam separatam in gallina reperiri vt à Fabricio & Harveo lib. de ouo, obseruatum fuit.

Monstrum & nasus duplex.

OBSERVATIO XLIII.

DDe Lasplanes, D. de Castel-Franc anno 1633. Retulit mihi se vidisse in Vrbe dicta insula Iordani, monstrum quindecim annos natum cuius ventri iunctus erat puer alter per ventrem, sed à latere, cuius caput maximum erat, quodque solummodo sputa ejiciebat. Primum vero perfectum erat & loquebatur. Aliud vero imperfectum, vnico enim fœmore præditum erat, viriliumque partium rudimenta tantum habebat. Duas in hoc monstro fuisse animas existimo, quoniam si vnum pungeretur, alterum non punctura percipiebat, erat tamen linea quædam diuisionis in iis, quæ tanquam linea Æquinoctialis duos hos microcosmos separabat, è qua ambo punctura sentiebant. Hic inter monstra iungam fabrum esse lignarium in Vrbe Buch apud Normannos, qui nasus duos habet seu Nasum duplicem quare vulgo vocatur Mauritius duorum Nasorum.

Sepultura nimis accelerata.

OBSERVATIO XLIV.

FAmulam Noui in patria mea, quæ apud Regium montem viua incautè ſepulta eſt, quod ſuffocationem hyſtericam paſſa pro mortua habita eſſet, audiuerunt enim in tumulo vocem quamdam, quare rurſus è terra eruta eſt & inuentum eſt eam pannos ſuos manuſque, eroſiſſe ſed mortua erat, quare non ſunt ſepeliendi ægri niſi iam corruptio incipiat præcipuè ſi ſuffocatione vteri vel apoplexia obierint. Idque ex Hipocratis monitu. Sic ex Zacuto poſt Pareum Medicus quidam Gallus in Hiſpania mulierem diſſecans, eam ſuſpirium fundentem audiuit, quare maximo horrore percuſſus ſimulque pudore, diſceſſit, nec amplius viſus eſt. Fertur etiam Lutetiæ virum ſuſpenſum & in collegio anatomico repoſitum, craſtina die viuum repertum fuiſſe.

Vermes naſicolæ.

OBSERVATIO XLV.

MVltorum animalculorum ſedes homo eſt, in eo tanquam in alio mundo hoſpitantur, & ſic nos in mundo, qui etiam iuxta quoſdam magnum animal eſt, ſicque inſecta alia in aliis quandoque reperiuntur vt in obſ. meis microſco-

picis videre est. Vidi ergo in naso multorum iuuenum vermes nigro capite qui tanquam aranea in poris nostris latitant & capita quandoque exerunt, tuncque Volsellis eruuntur. In capillis etiam quandoque reperiuntur vt & in Syronibus, vlceribus, imo in scabie, variolis & aliis multis locis.

Curæ Sympatheticæ & Magicæ ad fracturas.

OBSERVATIO XLVI.

MVltæ fiunt curæ nunc verbis, nunc leuium rerum & inutilium vt videtur admotione, nunc herbæ ad caminũ exsiccatione vel sub fimo repositione & dum putrescunt vel exsiccantur, malum etiam quod tetigerunt curatur. Quo remedio quidam Lutetiæ fœliciter vtitur, relatum mihi est à viro veraci illum febrem curasse sola caryophilli febricitantis irroratione, nescio an vrina ægri illud faceret sed cum exsiccabatur etiã curatus fuit æger. Hæc & Fernelium & alios perturbarunt, ego etiam nisi ad Sympathiam recurram & ad mumiæ & morbi transplantationem de quibus Tenzelius & Rhumelius optimè disseruerunt. Vidi enim rem satis miram & non semel à Villulæ meæ rustico peractam, omnes alios rusticos curabat qui doloribus vel fracturis detinebantur, ad fracturas & luxationes non ægro remedia admouebat sed scamni sui pedi, ad dolores colli, Iugum vaccarum mulieribus, boum vero viris imponebat & sic curabantur. Aliaque sic ri-

dcula adhuc facit & tamen multi curantur vel imaginatione vel fide ſua, adeo vt magnus ſic ruſticorum & famoſus Medicus.

Mulier hypochondriaca & incendiaria.

OBSERVATIO XLVII.

IN manſo Den Paul, iuxta Vrbem Lauaur vocatam in Occitania ſuperiori fuit mulierculaquæ ſe à diabolo vexari aſſeuerabat, qui ei ſemper vt omnia combureret ſuſurrabat. Cumque ignem domibus admouerat, ſe ab igne interno quo Vrebatur leuari dicebat, multas autem Domos ſic conflagrauit clanculum, adeò vt à nemine detegi potuiſſet. Tandem lapides in Eccleſiã etiam clanculũ projiciebat, quod omnes demonibus vel mago tribuebant, ſed dum hæc ita ſe haberent acceſſit hunc locum amicus quidam meus qui mulierem hanc ſubdolio latitantẽ inuenit extra Eccleſiam & inter murum alium ei Eccleſiæ proximum, vnde lapides proiiciebat, quare hinc pulſa & à toto loco, alibi multas conflagraſſe domos audiuimus. Hæc autem ab inſania quadam vel hypochondriaca affectione prouenire non dubito, cum ſibi animo finxerit ardorem ſuum internum ſic tantummodo mitigari poſſe.

Fit etiam idem ab aliis quandoque alias ob rationes vtpote vt Domum quandam deſertam & inhabitatam reddant vel, &c. Sicque in Anglia accidit in domo in qua homines lapidibus petebant

tur nec cernere poterant vnde mitterentur, sed tandem amicus meus ipsum Dominum hospitij id facientem vidit dum enim curiosos in cubiculum introduceret lapidem à tergo jaciebat ad lacunar quo ipsi petebantur vt plurimum. Tales sunt maxima parte Demonum præstigiæ quæ nobis narrari solent.

Horrenda matricis Symptomata.

OBSERVATIO XLVIII.

NDe Pont Nobilis mulier apud Xanthones matricis suffocatione valde cruciabatur, & in medio paroxismi tanquam globum versus stomachum ascendere sentiebat quo suffocabatur, curabatur vero, si arctissimo cuiusdam amplexu comprimeretur, siue viri siue mulieris.

Præterea si quis nimios coram ea cachinnos funderet, statim in eadem incidebat Symptomata tuncque ridere vi cogebatur, licet ei noxium valdè esset.

De nævis maternis insolitis.

OBSERVATIO XLIX.

NEmo est qui ignoret rerum à matribus grauidis excupitarum, vel odio habitarum, vel aliter visarum, figuras in puerorum corpore im-

primi de his enim multa apud authores leguntur, præcipuè apud Cornel. gemmam, Veinrichium, Lycoſthenem, Geſnerum, Leuinum Lemnium & alios naturæ admirandæ rimatores.

Sed cum quædam viderim ab iis non relata quæ memoratu mihi digna videntur, ea hic referre non pigebit, vidi enim vuæ figuram in gena viri, ſoleæ marinæ etiam cum ſquammis ſuis figuram in tempore Siniſtro. Tulipam in fœmore. Habeoq; amicũ qui florum ſertum cum vitta in cute puellæ vidit, in alia caryophillum florem cum majorana. Et in viro ceraſum, ceraſorum tempore rubeſcens, ego vero morum nigrum in fœmore vt mater mea in brachio fero, quod mororum etiam tempore augetur. Soror mea lentes etiam circa cordis regionem habet.

Muſciliones euomiti.

OBSERVATIO L.

DEmens fuit in loco Rupecuruæ iuxta Caſtra patriam meam qui vomitu innumerorum muſcilionum ſe curatum fuiſſe D. Celarerio amico meo affirmauit, hæc incredibilia multis videbuntur ſed tamen ſi rationem ſuam meaque ratiocinia conſulant, ea non tam à ratione aliena quam ſibi prima fronte finxerant reperient. Generantur enim inſecta varia ex omnibus ferè rebus & tam plantis quam animalibus, vidi multoties muſcas ex ſalice, muſciliones ex veſicis vlmi generatos, &c. Sic referunt nobis ex arboribus

nasci aues in Scotia, tũ ex corruptiõne nauiũ tum ex conchis ab arbore productis, quarũ vnam apud me seruo. Chimicos vidi qui sperma & sanguinẽ m humanum coctione in pediculos muscasque conuerterunt. Notaui alibi manasse etiam ex vlceribus, sed quod magis nostræ rei facit iam audite. Asserit Scaliger sudoris humani guttas in muscas cõuersas fuisse. Et in Dariene regione non solum in muscas sed in bufones ex Mouffeto conuertuntur, & alibi ex Hug. Linschotto dracunculos in tibiis hominum enascuntur, si ergo animali perfectiora ab homine manauerint cur non insecta & muscilliones, præterea scimus ex vermiculis apes & muscas omnes nasci, vermes autem & vermiculi passim in hominibus generantur qui si non necarentur forsan alas in senectute formicarum instar adipiscerentur. Sed retulit Mouffetus l. de insectis idem alteri olim ac nostro dementi accidisse, animalcula enim in pulmone vt muscilliones eiecta fuisse ait quæ tussim ægro faciebant. Horum quoque meminit Abinzoar Abhomeron. l. 1. tract. 11. c. 3. & Platerus de fellea vesica. vt & Gentilis de lienes & iecore, &c.

Sanguis frigidus.

OBSERVATIO *LI.*

DE Vignoles equitum Dux Nemausensis. sanguinem frigidum in morbo Phlebotomatus emisit.

Hæc prima fronte impossibilia esse videntur,

ſed tamen vera eſſe probabit ſequens ratiocinium Sanguis iuxta veritatem & autopſiam in corde fit à Chilo qui illic defertur, vidi enim propriis oculis Chylum in corde fluentem, ſe ſanguini immiſcentem, à quo velut à fermento tranſmutatur, hinc per arterias per totum corpus ad nutritionem corporis tranſmittitur, deinde cum partes ſatis eo irroratæ ſunt, venæ ſanguinem ſuperfluum & refrigeratum, ac carnis ſenioris putrefactione inquinatum excipiunt vt rurſus illum ad ignis humani culinam referant.

Arcanum ad partum facilem reddendum.

Observatio LII.

IOan. Vidales accerſiuit me ad vxorem ſuam inuiſendam quæ iam à quindecim diebus, doloribus & torminibus parturientium cruciabatur illi Clyſterem primo iniiciendum curaui cum plantis ad hæc propriis vtpote artemiſia, ſabina, &c. Poſtea peſſarium è Galbani vncia. 1. myrrhæ dragma. 1. & croci ſcrup. 1. admouendum præſcripſi, ſed cum hæc inutilia fuiſſent, tandem eſſentiæ ſuccini guttas ſex in vino propinaui, tuncque aucti ſunt eius dolores poſtea filiam breui peperit.

Cimicum origo.

OBSERVATIO LIII.

CReditum est è sudore humano Cimices producì in cubilibus, ego tamen crederem in ligno ipso nasci, vidi enim fagum in sylua è quo innumera Cimicum copia exibat, quare si è fago fuerit cubile, sub certa Luna resecto poterit cimices generare.

Memorandum etiam est, caluariam mulieris cimicibus plenam ex Mouffeto repertam esse. Si autem in cuiusdam cranio Scorpius generari potuit, cur non & cimices.

De tamarisci ac filicis seminibus motu præditis, & de eorum germine.

OBSERVATIO LIV.

DVm Lutetiam cum curiosissimo Domino Saporta Aduocato Monspelienſi & D. Bressieo Medico-Chimico Gratianopolitano contenderem, recessit à nobis D. Bressieus, deinde rediit & nobis semen plantæ cuiusdam ostendit quod saltibus crebris à mensa decidebat, quod diù mirati sumus causam ignorantes tanti miraculi, sed tandem aperui quædam semina & in iis vermiculos delitescentes inueni qui instar illorum caſei & ascaridum arcum è corpore facientes

ſuo ſaltitabant, reuelauit autem nobis ſemen eſſe tamariſci, idemque facit ſemen filicis, quare qui Magiam profitentur multa ignaris ſperare faciunt motu illo percepto. Sic in Kali geniculis quaſi ſerpentulos me inueniſſe memoror, vidique plantas duas ſemina ſi tangantur vel minimum procul mittentes, ſeminumque alueolos mirè contorquentes poſt ſeminum emiſſionem, talis eſt clandeſtina, & nolimetangere ſeu balſamina fœmina perſci folio. Quod ad Germina nucleorum & ſeminum certum eſt acicula vel ope acus plantæ totius rudimenta cerni vt alibi notaui ſed manu ingenioſa opus eſt & præcedere debet coctio quædam. Ita in bulla oui coctione quædam pulli forma ex Harueo cernitur.

De hæmorrhagia cum febre ardenti.

OBSERVATIO *LV.*

FRater meus Abel vocatus anno 1641. vigeſimum tantum menſem agens, febre ardenti & Epidemica cum tuſſi correptus fuit, paruáque hæmorrhagia narium quæ vſque ad vigeſimum diem perdurauit, alij Medici aiebant tundandam eſſe venam, naturâ monſtrante viam, ego vero naturæ beneficium illud turbare nolui eique totum committendum negotium cenſui quod feliciſſimè ſucceſſit, ſine vllo enim alio remedio curatus fuit, Medicus enim non minus eſt qui remedia ægris admouere quam qui vtiliter amouere ſcit.

Ad febres tertianas.

OBSERVATIO LVI.

ACc. vini albi opt. haustum vnum, bulliat ad dimidiæ partis consumptionem, & sic hauriatur, & multas tibi vomere faciet aquas, &c. sic multos curaui.

Salamandræ & bufones ab homine eiecti.

OBSERVATIO LVII.

NAussaresse loci de Semalens non procul à Castris à mago quodam vt ferebatur venenum hauserat, & ab eodem deinde curatus fuit herbæ cuiusdam vsu. cuius ope quatuor Salamandras multosque Bufones vomitu eiecit. Id autem ex iis pulueratis & propinatis generari vel ex eorũ semine potuit, vt embrio in stomacho generatus fuit ex irrumatione vt in Sambuci obser. videre est, vtque alibi retulimus de pisce, serpentibus, &c. in stomacho generatis.

De

De inſufflatione.

OBSERVATIO LVIII.

QVemadmodum legimus Deum in corpus Adami animam inſufflaſſe, ſic etiam animalibus inſufflationem vitalem conceſſit, ideoque quædam eſt in India Medicorum ſecta quæ morbos omnes ſola curat inſufflatione. Sicque ſolent apud nos Gallinæ ano admoueri ægrotantium, ibique detineri donec ſuffocentur & quaſi animam in ægri corpus expirauerint, vnde aſſeritur ægros conclamatos ſæpiſſimè reuocari ad priſtinum habitum. Sed magis memoranda eſt hiſtoria famuli cuiuſdam qui cum è rure rediret & Dominum mortuum inueniſſet iamq; ſepulturæ condendum, voluit illum diutiſſimè exoſculari, dumque ſupra illum flens & halitus fundens in os eius eſſet, paulatim illum ad vitam tanquam propheta reuocauit, ſic enim Prophetæ olim in mortuos reſupinos ipſi proni in eos inſpirantes recumbebant.

Nymphæ apparitio.

OBSERVATIO LIX.

IN Caſtrenſis Vrbis hiſtoria antiquitatum, à me conſcripta Gallicè, hiſtoriã Nymphæ, ſeu puellæ magnæ, alba veſte indutæ, quæ abſque inceſſu

accedere viros videbatur, à teste oculato recensui, idque in loco de Bouissason de Meruiel accidit, teste D. Seue Castrensi, at pauci ei fidem tribuere voluerunt licet à multis idem feratur testimonium, rem igitur hic rursus confirmabo & testimonio Eusebij Nierembergensis in historia sua peregrina roborabo qui multas earum vt & Syrenarum refert historias. Legati enim Vlyssiponenses eas ex eod. viderunt. Bartholinus etiam Syrenem pingit. Ego vero hinc collegeram hominum varias esse species vt voluit Paracelsus, quidam enim terrestres sunt vt nos, alij Aquatici vt Syrenes & Tritones sæpe visi, alij aërei vt forsan illæ Nymphæ, alij credunt cum Diodoro & aliis multis lacus esse quosdam & Syluas è quibus homines Syluestres oriri possint instar insectorum vt de se ipsis quidam Indiæ populi asseuerant; multa hic de hisce sed nimis curiosè forsan recensere possem sed præstat ea silentio obruere.

Curæ miræ quo pacto fieri aliquando possint.

Observatio *LX.*

In quibusdam morbis maxima ægri viuendi modi habenda est ratio, aliàs difficillimè curabuntur, sicque multæ optimæ & admirandæ curæ factæ fuere. Fuit enim quidam stercorum mundator qui cum bonos nimium odores excepisset ægrotauit, à nullo autem curari cum non potuisset, tandem solitis odoribus admotis curatus est. Sic Zacutus alium maris incolam in arena collo-

auuit & ſepeliuit vt illum feliciter curaret.

Amicum etiam Maſſiliæ habeo nempe D. Cheneum Medicum qui ruſticum quem alij deſeruerant curauit illi ruſticam vitam præcipiendo, legumina nimirum, panem ſecalinum, &c.

Quod autem Regio in qua viuimus multas faciat in nos impreſſiones quarum habenda eſt ratio, obſeruaui quod quemadmodum nos in nauibus Nauſeas patimur quæ ceſſant ſi ad terram ſolitam reuertamur ſic virum maris incolã, Venetum ſcilicet vidi, qui equo inſidens nauſeas eaſdem quas nos in mari patiebatur.

Cataractæ obſeruationes inſolitæ.

OBSERVATIO *LXI.*

CAtaractam inſolitam vidi quare illam hic inſerendam eſſe credidi, erat enim vir qui omnia quę aſpiciebat perforata percipiebat, quod à certa cataractæ diſpoſitione proueniebat.

Inſolita etiam cataracta in puero Ioh. dagaſſat, textore loci de Rabaſtens, obſeruata fuit puer Nouimeſtris enim cum tantum eſſet, perfectam tamen habuit Cataractam, cuius tamen curam, peritus ad illas curandas vir D. de Mons noluit in hac ætate ſuſcipere.

Tabes verbis curata.

OBSERVATIO *LXII.*

DIximus aliquando verbis multos morbos curari, sic vidi amici cuiusdam mei, filium tabe maxima detentum cui nulla profuerant remedia, tandem vero à quodam solis verbis curatus est optimè, nescio an verbis illis vim dare debeam, an vera fidei & imaginationi eorum.

Arbor vocifera.

OBSERVATIO *LXIII.*

ANno 1653. in loco Caumont dicto, iuxta Tolosam, obseruatus est vlmus qui vocem quamdam edere videbatur, quod pro tanto miraculo habitum fuit, vt innumeri è longinquo locum illum accederent vt propriis oculis & auribus illud perciperent. Ego vero nullum in eo miraculum inueni quoniam percepi arborem esse concauam & in eo fieri echum vocis accedentium ad illam vnde murmura & voces edere videbatur, echo enim ex Blancano & aliis fit etiam in Syluis & arboribus vt in saxis vnde Virgilius.

Saxa sonant, variisque offensa resultat imago.

Tales sine dubio erant arbores Syluæ Dodonæ

oracula reddentes; sic in littoribus quibusdam marinis miri audiuntur sonitus, tales sunt sonitus prodigiosi littoris Bothnici & Heclæ montis voces eiulatus æmulantes ex Vueckero, Fasello, &c. vnde orta est Fabula hic esse inferorum adytus. Posset & vox mirè contorqueri vel speculis concauis, vel Syphonibus longissimis vel flexuosis & spiralibus adeo vt longinqua audirentur deque his consule echum Cathoptricam, & Magiam Phonocampticam seu de reflexæ vocis mirandis effectibus, de quibus Kirkerus. Cum hic de echo egerimus obiter dicere non pigebit vocem instar pilæ ab objectis retrudi & repercuti, eodemque pacto quo imago in speculo. Quomodo vero ter quater, imò & septies &c. Echo quædam repetat verba, sciendum est quod quo magis accedes Pontis latera eo magis repetentur, è medio enim Fornicis vnica tantum erit reflexio recta quæ clauem feriet fornicis, at si propius accedas, vox non medium attinget sed latus, vnde ad aliud latus oppositum reflectetur & tandem ad te cum duabus vocibus redibit, siquc adhuc ad latera muri accedas maior reflexionum fiet numerus in fornice, iuxtaque earum numerum totidem voces repetitas audies.

Oculi eruti & repositi, & de ictibus.

Observatio LXIV.

IOh. Desirat, D. Locitenentis Iud. loci de Girousens in Occitania, pede equi petitus oculi

prolapsum passus est tantum vt foras in gena penderet, repositus tamen fuit ab Ophthalmico Medico D. de Mons supracitato.

Idem accidit D. N. Courbatieu iuxta vrbem Rupistagnensem ei enim securis inuersæ incautè ictu circa occiput, aëris impulsu oculus erutus fuit ab orbita, & ab eodem feliciter repositus.

Quandoque ab ictibus in capite nullum vulnus apparet & incautè non animaduertitur pars opposita in qua fissura cranij latet per ictum contrarium facta, donec gangrena adfuerit, vnde non pauci moriuntur, quare cautione vtendum est & vniuersa capitis inspectione in percussis, sed præcipuè partis ictui oppositæ. Sic enim ollæ terreæ percussæ, vt plurimum in opposita parte frangun-tur.

Inflammatio dolorifica, sedata.

OBSERVATIO LXV.

HIc D. de Puechmeia Medici podiolaurensis obseruationem referam qui virum facillimo negotio curauit. Cui iam iam tibia à Chirurgis amputanda erat ob gangrenam in ea apparentem post dolorem acerbissimum eiusque inflammationem. Accepit autem arenam humidam cuiusdam rustici consilio, eâque tibiam tegit vndique, sæpeque renouauit, & sic adeò leuatus fuit æger vt cum Chirurgi ad extirpationem tibiæ veniissent, illum curatum repererint.

Corpus Chriſtallinum.

OBSERVATIO *LXVI.*

VEllent nonnulli vt obſeruationes tantum proprias referrem & non alienas, ſed cum vnus homo omnia videre non poſſit, alienis etiam vti debet obſeruationibus, poſſem quidem me oculatum teſtem præbere ſi vellem, vt iis os occluderem, amicorum teſtimoniis contentus, ſed malo veritatis vt ſemper fui eſſe cultor, quam inuenta texere. Cum autem pauci obſeruationes ſuas conſcribant licet in orbe neceſſarium ſit quam innumeras habere obſeruationes vt ex illis ratio noſtra Campum liberum multa arguendi habeat, neceſſe eſt vt quidam, mei inſtar curioſi eas accuratè colligant, ſuiſque immiſceant ſic hanc miram obſeruationem licet mea non ſit tacendam eſſe non exiſtimaui. Idem Medicus in obſ. præcedenti memoratus mihi familiariſſimus & in Medicina non parum expertus ægrũ habuit cachecticum, itaque aquis neſcio quibus obſitum vt per candelam ei oppoſitam membra eius corpuſque totum non ſolum vt in hydrope tranſparentiam quandam leuem præberet, ſed ac ſi corpus corneum vel vitreum habuiſſet per manum tranſuerſam characteres Epiſtolæ legi poterant ob pituitæ vitreæ in eo cumulatæ copiam eique affirmatum eſt à Germano ſe idem in alio de toto pectore vidiſſe. Audiui etiam idem de obſcœnis partibus accidiſſe.

Oculorum radij conspicilla perforantes.

OBSERVATIO LXVII.

DVbitarunt huc vsque Phisici de vi naturali, venenata oculorum, & quæ ab aspectu fiebant ad demones reuocarunt, naturam impotentiæ, experientiasque quotidianas falsitatis accusantes. At certum est viros quosdam esse naturali virtute præditos tali vt pullis, puerulis, aliisque animalibus recens natis, vt & herbis, arboribus, fructibus, &c. Nocere possint, vidique viros qui dum domum ingrederentur, virtutis suæ maleficæ conscij, monebant amicos vt pullos puerosque remouerent, mammasque nutricum videre renuunt ne lacti etiam nocumentum afferant, ipsis enim inuitibus nocumenta inferebant non ergo fabulosum est quod de agnis fertur, vnde Virgilius.

Nescio quis teneros oculis mihi fascinat agnos.

Sic fertur Basiliscum oculis animalia reliqua necare, lupum quem priorem viderit, raucum facere, mulieremque menstruosam oculis specula vitiare argento viuo trans vitrum fuso, vt & plantis nocere, vino, aceto, &c. & Basiliscum speculo occidi proprij veneni ab oculis emissi reflexione. Hæc enim omnia sequenti satis superque patent historia.

D. Chauuinus, nobilis Parisinus, qui non procul à Diepa iam commoratur, adeò acres emittit ab oculis vapores vt conspicilla eius excauent &

tandem perforent, inutiliaque breui tempore reddant. Alium mihi familiarem senem cui idem accidit adhuc agnosco, est autem vir bilioſi temperamenti, quod aliquid adhæc conferre potest. Multis idem accidisse & quotidiè accidere non dubito, sed à nemine obseruatur, quod valdè admirandum, vapores enim corporis, sic aqua forti & reliquis acribus fortiores & validiores sunt quæ nullum in vitrum effectū producere queunt.

Hanc obs. repeto quia nomen nuper accepi viri cui id accidit, & quia noua quædam dicenda habebam, tandemque quoniam pulchra decies repetita placent.

Mira ac canina rabidi viri sagacitas.

OBSERVATIO *LXVIII.*

OMnia in omnibus esse posse non immeritò dixit antiquus quidam Philosophus, tria enim naturæ regna miras nobis eorum immixtiones quotidiè ostendunt, animalia in lapidibus & in plantis reperiuntur, plantæ in lapidibus & animalibus, vt alibi exemplis comprobaui, & mineralia in plantis & animalibus. Rursus horum trium regnorum indiuidua mirè immiscentur, eorumque exempla referre tædiosum esset adeò vt non solum inter se misceantur sed & vires sibi suas mutuò impertiantur, sic visus est vir à multis amicis meis qui cum à canis petitus rabidi morsu fuisset, eius veneno non solum rabidus factus est canis venenum in eum non modo inseruit sed

etiam odoratũ & sagacitatem suam venaticam illi communicauit, adeò vt accedentes amicos è longinquo licet eos non videret, olfactu venire perciperet, & amicis diceret, talis N. amicus meus hic iam venturus est, & statim veniebat: quidam id diabolo tribuebant vt solent ignari omnia quæ non capiunt ad causas occultas, ad diabolum & magos vel ad Dei omnipotentiam referre at hæc tantum ex sagacitate sua proueniebant, canis enim Domini sui odorem è longinquo percipit, odoremq; perdicum, leporum, &c. distingunt, idque variis signis Dominis suis & venatoribus indicant, si autem eorum odoratum haberemus non dubium est quod odoratu instar eorum res detegeremus & rerumque emissiones & species spirituſque per aëre transpiratione ab indiuiduis effusos naso distinguere valeremus. Hanc autem proprietatem canis morsus, naturæ suæ insitione communicare potuit, inseruntur enim in nos amor, odium, &c. oleo sanguinis epoto vt docet Hartmannus in Beguinum, &c.

Hic coronidis huius obseruationis loco addam, me vidisse canes cuiusdam nobilis qui in omnes aduenas irruebant, veniente vero è longinqua regione eius filio quem nunquam viderãt, nec illum morsu nec latratu vllo molestarunt, quod vt opinor, similes quasdam emissiones in filio ac in patre odoratu reperierint.

De phreniticis notanda quædam.

OBSERVATIO XIX.

QVemadmodum hypochondriaci multi aſſenſu curati ſunt vt ille qui caput plumbeum habere dicebat pileo plumbeo ei admoto & tandem ad curam remoto. Vel qui naſum longiſſimum habere credebat, admota lucanica, eaque deinde reſecta coram eo. Vel quæ aciculam in gutture habere exiſtimabat, vomitu præſcripto & acicula contorta in eius peluem clanculum injecta. Sic etiam phrænitici quidam opinione curari poſſunt. Cognatum enim habeo qui febre ardenti & deinde phrenitide correptus nudus per Vrbem Vagabatur & ſe à pharmacopæo & vxore ſua intoxicatum fuiſſe vt facilius mæcharetur aſſeuerabat. Nec vnquam ab hac deſtitit opinione donec patris mei aſtutia qui ei omnia vera eſſe conceſſit curatus fuit, nam dixit ei quod credebat vera eſſe quæ ille ei reuelabat, ſeque de hac re olim aliquid ſubolfeciſſe, ſed quod oportebat vt antidota optima aduerſus venenum ſibi propinatum ſæpe ſumeret vt citò curaretur & de vxore ac pharmacopæo vindictam ſumeret, annuit ille, tuncque ei optima iuſcula propinauit, (nulla autem à longo tempore noui veneni metu haurire voluerat) ſicque mens eius inedia debilis roborata fuit & morbus Sudoribus à cardiacis in iuſculis propinatis paulatim expulſus eſt.

Ignis mirus.

OBSERVATIO *LXX.*

IGnis apparuit quidam instar rotæ per aëra supra locum de monte Draconis vocatum, circa Castra, qui è Longinquo cernebatur & tandem ad Monasterium Monialium ibat & ibi perdebatur tuncque subito mortuæ sunt quædam Moniales. Quidam magum quendam id feciſſe asserebant, ego vero crederem ignem Lambentem fuisse est enim Lethalis vt plurimum.

Figuræ plantæ in rore frigore congelato.

OBSERVATIO LXXI.

CVm D. de Linga Italus Chimicus Philosophus, non procul à Manso Asilij, in prouincia Fuxensi rorem collegisset, inque Magno Collocasset illum matratio glacie superueniente coagulatus fuit, ægrè autem ferens quod & ros inutilis redditus fuisset vasque glacie fractum, glaciem aspexit, & in medio eius arborem cum foliis, fructibus, ramis, radicibusque ad nucis figuram obseruauit, quod miratus illud amicis suis narrauit, & præcipuè D. Steph. Bressæo Medico Chimico expertissimo, ac veracissimo qui

mihi hæc fideliter retulit. Quod probat plantarum animas immortales in salibus latentes suscitari denuò posse, & in glacie vel aliter formas suas ostendere, idem apparet quandoque absque glaciè è solis salibus in aqua solutis, quandoque è lixiuio congelato, id est in eius superficiè, sed melius in vase longo vbi planta tota apparere possit. Idemq; D. de Linga Lutetiæ Peregrinum vidit vasa sigillata multa vt ea à Quercetano memorata habens qui quinq; assium pretio ostendebat in eis plantarum resurrectiones, erant autem vasa aquâ semiplena, dum autem moderatè calefiebant, in iis plantarum phantasmata cum propriis figuris & coloribus erumpebant vtpote rosæ, tulipæ, &c. Calore vero amoto in pristinum cahos redibant & euanescebant. vtinam qui tantum arcanum habent illud publici iuris facerent, cum innumera ad Phisicæ emendationem necessaria ab eo dependeant. Vide obs. de plantarum phantasmatibus.

Notandum etiam est D. de Hardi celeberrimum Parisiensem Senatorem ac eruditissimum mihi ostendisse nucis figuram rudem formatam sponte sua in oleo nucum coagulato in patellæ fundo: dedit mihi Dominus Barlet Peritissimus Chimiæ artista etiam fæcem quandam sic in patella coagulatam in qua plantæ figura percipiebatur quæ verbenacæ non erat absimilis. Idemque ostendit nobis plantam miram instar alti iuniperi, integram cum multis, ac innumeris ramusculis ab vnico trunco manantibus, in Medio vasis sponte sua è Tartaro Vitriolato ortam, visa fuit etiam à D. la Nouio qui eam ab illo dono habuit & ab aliis multis anno 1655. Eius altitudo erat 8. digi-

torum, Crassities quatuor, sed mirè in albam arborem cum foliis copiosissimis ac mirè distinctis creuerat.

Vagitus vterinus.

OBSERVATIO *LXXII.*

CVm multi de Vagitu vterino dubitarint, illudque probet fœtum in vtero respirare & dormire posse nolui reticere me certum habere de hac re exemplum in patria, aliudque Lutetiæ de quo mihi D. Destampes, Medicus celeberrimus Parisiensis testis erit.

Partus monstrosus.

OBSERVATIO *LXXIII.*

DLeFevre RegiusPharmacopæus peritissimus. mulierem vidit quæ multoties mures partu edidit, quod mihi etiam ab aliis confirmatum fuit, nec res est sine exemplo, similia enim apud Sennertum legi possunt.

Meteorum nouum.

OBSERVATIO *LXXIV.*

TAntum est Frigus in Moscouia vt à Viro Nobili ac fide digno teneo vt non solum omnia

congelentur ſubitò, ſed etiam aër Scintillulis inſtar atomorum aut talci minutiarum vndique ſcintillat quemadmodum ad radium ſolarem atomos vel corpuſcula quædam volitare cernimus ad feneſtram, quod fit à vapore quodam tenui in aëre pendulo, tenuis autem eſt quia Frigus impedit craſſiores, aëris ſerenitas & luciditas mira eius tenuitatem comprobat, vaporis vero illius aromi tenuiſſimæ congelantur & per aëra volitant: tantum autem eſt frigus illic vt feratur aurigam congelatum in curru remanſiſſe & ſic mortuum ab equis vectum domi fuiſſe, dum tanquam vivus flagrum tenēs currui inſideret. Frigore etiam collabuntur aures vel congelantur, & Frictione niuis ſola curantur.

De ferri in cuprum conuerſione.

OBSERVATIO LXXV.

MVlti agyrtæ curioſis promittunt & faciunt ferri in cuprum mutationem. Vnde curioſi exiſtimant cum coſmopolita ſe portam apertam habere ad vlteriora quod paruam illam habeant tincturam, ſed vt huic experientiæ non amplius innitantur fallaciam hanc nunc detegere decreui, ferrum bulliunt vel coquunt in aqua Vitriolo imprægnata (Vitriolo inquam maculam rubram in ferro faciente frictione ſola, vel Cyprio in quo multa latet venus, eſt enim aliud nullam dans maculam ſed atramenta optima faciens quod ferro ſolo conſtet, vnde tota procedit nigredo. Atra-

mentum enim ex Vitriolo solo ferri post eius solutionem in aqua forti parato conficies) ferrum autem paulatim corroditur & attrahit cuprum in Vitriolo latens & sic creditur conuersum licet nulla fuerit facta transmutatio.

Hæc refero non vt transmutatoriæ arti quicquam derogetur, cum eam veram esse non dubitem, sintque nonnulli Lutetiæ qui verum cuprum generare sciant, imo qui in aurum omnia metalla commutent purissimum, possemque eorum nomina recensere, sed cum res fiat cum pauco lucro erit tantum curiosis pro veritatis argumento, fit vero sine vlla auri immixtione & totum plumbum,&c. in aurum commutatur, si quis de hac re dubitet potero illi virum hæc calentem producere.

Ossa lapidea.

Observatio *LXXVI.*

NOn tacendum esse censui cranium illud maximum patagonij viri, semilapideum quod apud D. Robinum Parisiensem Chirurgum curiosissimum vidi, est enim gigantæum & crassimum & præterea semilapideum. Os etiam tibiæ gigantemum eiusdem naturæ Lutetiæ etiam vidi apud D. Lumague.

Baculi

Baculi contusiones & fracturas contactu solo curantes.

OBSERVATIO *LXXVII.*

NOuam & insolitam fracturarum & contusionum curam, vt & Hæmorrhagiarum hic referam sed experientia aliena millies comprobatum nempe à Iusto Lagneo Medico non obscuro qui innumeros ait se baculorum suorum frictione sola curasse, semetque ipsum à brachij fractura à currus rota, absque vllo remedio liberasse, sunt autem baculi Magici seu constellati qui ad certam astrorum dispositionem resecantur vnde vires eorum procedere ait. Vtut sit eius arcani quod maximi facit ecce descriptionem. Coryli Virgultum ab internodio vno ad aliud, digiti minimi ad minus crassitiem æquans, idque sole in arietis signum ingressum faciente, vnicoque ictu secetur & cera Hispanica vtrinque sigilletur ne vires ac spiritus amittat. Sicque seruetur ad vsum, fracturas autem sed præcipuè luxationes cum contusione baculo illo aliquoties perfricabis & sufficiet, sicque ait quasi incantamento curari.

Baculus curans hæmorrhagias omnes.

OBSERVATIO LXXVIII.

IDem Medicus alium baculum eodem modo parat ex Fraxino cum Sol & Luna in ariete conjunguntur & sola eius admotione omnes asserit sedari Hæmorrhagias.

Præsagium frigoris ex cepæ pelliculis.

OBSERVATIO LXXIX.

A Rusticis obseruatum est cepæ pelliculas solito fortiores hyemis frigoris immodici futuri prænuntias esse. Natura enim alma & benigna mater, rerumque præscia fœtus suos curat & munit aduersus externas iniurias iuxta eorum substantiæ mollitiem vel soliditatem, sic conchyliis, quod cute & ossibus carerent crustas dedit fortissimas, in quibus gloriosè & absquè metu tanquam magnates in curribus, & nautæ in nauibus Maria percurrunt, sicque de cæteris econtra vbi calor viget pilis animalia destituit & vbi frigus villosa producit animalia. Sic cum cepæ pelliculæ tenuissimæ sunt non magnum spectandum erit Frigus, atsi crassæ, maxima futura est hyems vt à multis rusticis pro re verissima accepi.

Dementia à matricis Symptomatibus modo inaudita curata.

OBSERVATIO XXC.

VIrum noui cuius vxor in dementiam inciderat à matricis Symptomate nouo planè & non quod sciam huc vsque auditum sed cum me rogauerit vt nomen eius silerem, illud reticebo, cum autem nullo leuari posset remedio, maritus eius magnetem D. La Nouij viri Clarissimi Parisini mutuò accepit, quo ventriculo admoto & per tempus aliquod sic allato, curata planè fuit & mens eius in bonum statum pristinum reuocata.

Delirium ab inedia.

OBSERVATIO XXCI.

DCelarerij Rupecuruensis iuxta Castrensem. Vrbem ancilla, in delirium incidit, adeo vt nesciret planè quæ diceret, statim ad stantes existimantes eam morbo grauissimo quodam detineri mortemque imminere multa facienda ei curarunt, sed postquam cibum accepit curata est subito, hæc enim à sola inedia quam per per-triduum nescio cur sibi ipsa præceperat procedere fassa est.

Lactis copia prodigiosa.

OBSERVATIO XXCII.

MAria Caron Bononiensis Galla cupediarij filia, Caffieriique vestium sartoris vxor tantam lactis copiam quotidiè fundebat è mammis, vt non solum duos pueros optimè lactaret sed etiam butyrum è lacte suo conficeret pro pharmacopæo qui eo ad curam Phthisici vtebatur, tanquam arcano optimo ad tabem nullum enim est remedium eo præstantius.

Hæc autem subitanea lactis post cibum generatio, denotat lac non à sanguine elaborato generari sed esse Chylum, quod & autopsia pluries vidi in canum lactantium resectione. cum eruditissimo D. Pecqueto & ramos vidi Chiliferos ad mammas è subclauiis deriuatos chylus enim à Vesica sua ad quam mesaraïcæ lacteæ iuxta renes colliguntur, ascendit per ductum vsque ad iugulares vbi miscetur sanguini & ad cor transit, quæ omnia multoties vidimus.

Cochleæ lapideæ.

OBSERVATIO XXCIII.

NOn procul ab Vrbe Castrensi, in rupe Lunelli vocata, limaces multi reperiuntur la-

pidei multarum ſpecierum, & iuxta Vrbem Lautricenſem tribus ab hinc leucis, limaces marini lapidei albi & nigri etiam reperiuntur, alibi etiam conchas varias reperi marinas & alia multa lapidea vt apud Ruthenos circa Vrbem Milhauenſem, vt & circa Monſpelienſem Vrbem vbi oſtrea magna lapidea, mytulos, imo piſces lapideos, inueni; Lutetiæ vero multa marina animalia mihi oſtenſa fuere à curioſiſſimo noſtro la Nouio, vt pote gammarum, erinaceum marinum eiuſque diuerſas ſpecies aliaque pleraque lapidea. Quæ omnia oſtendunt hæc ibi ab antiquo remanſiſſe diluuio (reperiuntur enim in valde remotis à mari locis) vel à ſede marium paulatim mutata, (vt probabo libro meo *de facie orbis mutata*, vtque alibi de dentibus draconum iam obſeruaui) mare enim ab innumeris locis receſsit vt patet in Vrbe foſſarũ Marianarum, & in Batauia, &c. Idem etiã confirmatur Hiſtoria Lud. Guyonis, de anchora cum naui & 40. Skeletis procul à mari repertis dum fieret foſſa profunda. Hæc autem animalia lapidefacta vera fuiſſe olim animalia & non naturæ luſus patet, in eo quòd conchæ nunc ſeparatæ, nunc iunctæ optimè, nunc malè conjunctæ reperiuntur & quod internæ partes etiam in iis cum ductibus reperiuntur vt vidi ibid. in Nautilo lapideo.

Ad tonsillarum & Vuulæ inflammationes.

OBSERVATIO XXCIV.

OPtimum ad eas remedium est si terra sigillata tangantur, vel in Iusculo sensim deglutiatur.

Non inutilis est etiam ad Vuulam à sede mutatam piperis contactus.

Ad mala vero hæc aliaque omnia faucium optima sunt mora vel eorum Syrupus, aut Paronychia planta apposita contusa.

De priapolithis.

OBSERVATIO XXCV.

LIcet de hisce lapidibus à me primo propalatis & nomine donatis, in antiquit. Meis Castrensibus egerim, tamen quia Gallico sermone librum illum conscripsi, & sic ad exteros peruenire non potuit, non pigebit quædam hic de iis adhuc repetere.

Reperiuntur iuxta Castrensem Vrbem lapides subalbi, rotundi & oblongi, figuram penis & quandoque vuluæ habentes, & aliquando sed rarius testiculis instructi sunt & balano, in medio

vero eorum percurrit vena Cristalli purissimi adeo vt totus lapis vt cepa cuticulis variis constructus videretur tantum ex eius impuritatibus & excrementis eiectis vel scoriis constare, ni manifestè perciperetur lapides illos augeri non solum, sed etiam similes sibi procreare, reperiuntur enim primo aciculæ magnitudine tantum sed tamen non sunt cristallo destitutæ, reperiuntur etiam maiores & vsque ad crassitiem fœmoris saxis quandoque inclusi, sunt autem in monticulo qui totus iis cõsitus est, adeo vt nulli illic alij lapides reperiãtur. Sed in magnis reperitur aliquoties terra rubra loco cristalli paruulis priapolitis intus generatis pleni, adeò vt videantur matres fœtibus prægnantes, & si non ante tempus aperiantur sponte sua aperiuntur & quasi parturiunt, quod aliquo pacto cõfirmare videtur quæ apud multos Philicos de adamantibus alios adamantes parturientibus leguntur. Errarunt ergo qui contra Cardanum vitam lapidibus & metallis vegetationemq; negarunt Corallum sibi etiam simile facit lacte suo in summitatibus surculorũ residente in locis vbi decidit, quod admirandum, ideoque fit vt nunc in concha nunc in caluaria nunc alibi repertus sit, visa enim est caluaria humana in qua creuerat, quæque ab eo vndique pertusa fuerat. Memorantur etiam lapides indici qui dum maturantur crepitu aperiuntur & dissiliunt gemmas producentes. Videturq; in ætite lapidem generatum esse callimum quem quidam putant tandem exiturũ sponte sua. Existimo priapolithos nostros vim habere ob signaturam suam aduersus morbos genitalium partium, venereosque. Notandumq; prætèrea eorum quosdam rectos alios incuruos

reperiri, alioſque cancroſos & tanquam venereo contagio eroſos, & econtra alios amiciſsimos & ferè criſtallo vſque ad ſuperficiem refertos.

Fulminei lapides.

OBSERVATIO XXCVI.

FErunt Auicenna aliique multi ſaxa ingentia è Cœlo cecidiſſe, & ſatis innotuit hiſtoria lapidis à D. Borrilly in Prouincia aſſeruati 55. Librarum ponderis, qui è Cœlo deciderat & inſtar dolij ingnei cum maximo ſtrepitu lapides omnes terræ circum jacentis ætate noſtra calcinauerat, de qua Gaſſendus noſter diſſeruit, ſed adhuc recentior eſt caſus lapidis qui Varſouiæ turrim carceris deſtruxit cuius moles bina vitulina capita æquare poterat, ſulfuris odorem vndique fundentia, huiuſce fruſtula ſubnigra & quaſi vitrea nobis D. de Noyers Reginæ Poloniæ Secretarius oſtendit: talem Nobilis Liergueus Lugduni ex Bartholino habuit, & D. Morinus Mathem. Profeſſor Pariſinus plures lapides vidit è Cælo delapſos apud Diuionenſes, cordis figura donatos & ponderis decem Librarum. Idem legitur apud Albertum Magnum & alios. Paruos ego etiam aſſeruo cuneiformes ſubnigri coloris & duriſſimos. Valent ſi ferantur collo appenſi ad Variolas & morbillos ab ouilibus arcendos.

Robiginum origo.

OBSERVATIO XXCVII.

IGnoratum huc vſque fuit vnde oriantur robigines ſeu tetri quidam vapores ac pluuiæ quæ vites, arborum flores, fructus, triticum, &c. perdunt Maculiſque mortiferis lædunt ac ſi aquis fortibus contacta fuiſſent, nec minus animalibus etiam aliquando nocent. Sciendum autem eſt reuera vapores illos eſſe naturæ aquarum fortium imo aquas fortes ipſas, errumpunt enim calore ſubterraneo è mineralibus ſpiritus Lethiferi. Sed hæc multis innoteſcunt nec ſunt ea quæ dicere inſtitui. In hac obſeruatione oſtendere decreui hæc abſque demonis ope à vero mago id eſt ſapiente fieri poſſe, imo ad certos agros ſolummodo, demitti Meteora enim arte parari poſſunt. poſſemque hic pluuias arte paratas, &c. ex Paracelſi arcanis modum recenſere, poſſem fulmineos lapides ſubito generatos arte ex Carteſij inuento etiam referre ſed hæc cum multis aliis ad Magiam meam remitto naturalem, hic tantum dicere inſtitui, me obſeruaſſe quod è Fornacibus in quibus Calx, lateres, vitra, &c. coquuntur & funduntur, imo ex iis in quibus metalla magna copia vel funduntur, vel cum antimonio & aliis mineralibus probantur, vapores eleuantur ponderoſi & noxij qui non procul abhinc niſi ventis agitentur & procul pellantur in ſata decidunt & quaſi aquas fortes vt in Chimicorum fornacibus

resoluti ea comburunt & destruunt. Cœlum enim est tanquam alembici caput, terra vero instar cucurbitæ vnde vapores eleuantur & superius coagulantur & rursus in ima decidunt.

De Mercurio plantarum.

Observatio XCVIII.

AVsi sunt non pauci, audentque adhuc asserere se argentum vium ad metallorum Metamorphosim ex sanguine ex plantis multis vtpote Lunaria argentina, Mercuriali, &c. Extrahere posse & ad confirmationem rei istius dicunt in alpibus argentum viuum in arborum foliis & radicibus vt & ad radices herbularũ, & sub fœni aceruis cerni. Hæc multos ad illud credẽdum impulerunt sed certum est nullum educi argentũ viuum ex plantis, & nisi mixtis rebus Mercurialibus in operatione vtpote cinnabari, &c. Neque ex animalibus nisi Mercurio ipso peruncta fuerint ad morbi cuiusdam curam. Sed si sub fœno & radicibus, &c. repertum fuerit illud factum fuit à vaporibus Mercurialibus qui iuxta radices, folia, aliaque omnia coagulantur, vel sub saxis & fœni aceruis tanquam in alembico, imo aliquando à solo aëre in terræ superficie, non semel enim circa Vrbem Castrensem à rusticis terram arando repertum est vt mihi relatum fuit, visumque per sulcos currere & deuolui. Potest enim per aëra vaporis forma volare, & ad prima quæ occurrunt sese insinuare vbi condensatur vt accidit Nobili

cuidam qui enſem cum manubrio deaurato emerat, dumque coram officina deauratoris cuiuſdam qui argento viuo vtebatur aliquantulum conſtitiſſet, enſem album vidit, & quaſi carmine quodam magico mutatum, vnde valdè ſtupuit ſed tandem cauſam agnouit.

Ignis ſecretus.

OBSERVATIO XXCIX.

MVlti Chimici ardentiſſimè ignem quemdam ſecretum quęrunt qui diu perduret & cum paruis tamen expenſis. Vtuntur nonnulli carbone trito in Athanore, ſeraturis lignorum, tomentis coriariorum, vindemiæ fœcibus, &c. alij calore proprio, humano ſcil. ad oua fouenda Philoſophica vtuntur, vel caloreGallinæ, alij calce fimo equino mixta aliquoties renouato, quæ duo vltima non inepta ſunt. Sed ad expenſam omnem vitandam fieri poſſet ſi iuxta Balneum vel Furnum publicum habitaret operator, & calore eius in cineribus ad murum aptatis vteretur vas nunc parum remouēdo, nunc econtra admouendo iuxta Furni calorem arctum. Alij adhuc vtuntur motu quodam ferreæ machinæ perpetuo quo calor excitatur, ſed quidam ſunt Philoſophi qui ignem vaſi includere ſciunt diuturnum & in ipſo alembico in quo ignis eſt, pendent etiam ouula Philoſophica cum auricalchi tranſuerſis filis. Viſum fuiſſe ignem in vaſis Sigillatis aſſerere poſſem multorum teſtimonio qui ea Lutetiæ viderunt re-

ferre. Sed mihi à Serrano magni Serrani filio reuelatum fuit, se idem vidisse & didicisse ab Arabe dixitque ignem illum sulfure & tartaro tritis constare aquæ vitæ mixtis, quæ accendi debent in alembico & deinde Claudi, dumque stillauerit aliquid, reponendum erit supra fœces. Hæc curiosa de igne tacenda esse non censui. Hoc vnicum addam, quod non dubitandum est posse ignes dari diuturnos si ex materia dissipatu difficili constent, cum lucernis antiquorum quæ per mille annos lucem fuderant mille historiis comprobetur de quibus fusè egit Licetus, de lucernis antiquorum, Ernestus Burggrauius in Biolychnio sed Doctius Daniël Sennertus capite de longa inedia, est enim materia quædam consumptu difficilis in corpore Vrsorum limacum & aliorum animalium quæ cibo destituta per sex menses remanent, oleo harum lampadum instar eius Tulliolæ Ciceronis filiæ analoga, quæ pituita quædam est.

Mulæ partus.

OBSERVATIO XC.

NVllam esse regulam absque exceptione alibi diximus quod verissimum est, natura prolifera non fecit animalia quæ ex variarum specierum mixtione ortum ducunt sed tamen licet mula ex asino & equa oriatur, tamen visus est mulæ partus & inter prodigia à Romanis recensitus vt videre est apud Iulium Obsequentem, Titum Liuium, & Lycosthenem. In Vrbe Albigensi etiam

ætate mea idem accidit. Euſebius Nierembergenſis hinc quædam præſagia deſumit, aſſeritque mulæ partum indicium olim fuiſſe & omen Babylonicæ ſeruitutis.

Ad viſum reſtaurandum.

OBSERVATIO XCI.

PIſcis quidam reperitur alpuit vocatus qui ad ranam marinam aliquo modo accedit cuius inteſtina in vaſe vitreo ad ſolem Caniculæ tempore ſuſpenduntur & in oleum reſoluuntur cuius guttæ aliquot in oculum inſtillatæ viſum ferè amiſſum reſtituunt, idem de lampetra mihi aſſertum eſt fluuiatili ab eruditiſsimo Gaffarello qui Florentiæ hocce arcanum accepit quo curata fuit Nobiliſsima quædam conſanguinea magni Ducis à Iudæo Medico, magno pretio, duxque eius arcanum Majori adhuc emit pretio vt illud omnibus patefaceret. Credunt nonnulli & non abs re piſcem hunc fuiſſe eundem quo Tobias patrem iuſſu Angeli ſanauit, denotat enim piſcem fluuiatilem longum imo ſerpentem ex quibuſdam, eumque voracem, ſcimus autem Lampetræ figuram talem eſſe, reperiri in fluminibus, & voraciſſimam eſſe, vt de quibuſdam legitur in ſtagno ſeruatis quæ vorabant homines.

Mucillago, ſeminis Pſyllij optima eſt etiam ſi cum aqua roſarum extrahatur ad oculorum vitia vt & Serici tinctura Chimicè elicita.

Tubera plantis restituta.

OBSERVATIO XCII.

MVlti imo ferè omnes Phisici asseuerarunt tubera radicibus carere, ideoq; inter plantas non debere annumerari, & nuper idem asseuerarunt Nardus de rebus indicis, & Ioh. Faber in suis commentariis. Sed sciant velim se non probè rem perspexisse ego enim radices in iis inueni imo palmi longitudine, quarum ope sustinebantur, verum est adeo exiles esse radices licet in tubere magno vt ferè visum effugiant quare vt plurimum absque illis auelluntur. Hinc orta erat fabula tubera à Tonitru generari.

Vomitus mestruus quam vtilis.

OBSERVATIO XCIII.

TRadunt Herodotus, & Diodorus Siculus Ægyptios & Chaldæos vomitum singulis mensibus instituere solitos fuisse, quod fortasse à canibus acceperant, vt ab Hippotamo Phlebotomiam, ab ibide enemata & ab aliis Ægypti animalibus, alia remedia desumpserant. Canes enim ab iis adorati fuere; vel saltem Deos habuerunt canicipites, & canes solent sibi graminis esu vo-

mitum ciere, forſanque illum ob hæc adorarunt tanquam remedij iis ſalutiferi inuentorem.

Præterea illud obſeruatione confirmare poſſum, Pater meus vomitum ſic per ſingulos menſes inſtituit ab alio edoctus qui idem faciens Longæuam attigerat ætatem, ille vero iam 70. Attigit feliciter annum, pennam autem nouam vel fuſum accipit quibns palatum tangit ſicque diu manet caput ad inferiora demittens & paulatim erumpunt aquæ claræ tanquam fonticulum facientes in fuſi oppoſita parte, & poſt aquas veniunt aquæ Verſicolores & amariſſimæ, quæ cum difficultate emittuntur, & ſic ſe leuari aſſerit à multis infirmitatibus, eaſque ſic præcaueri.

Planta monſtroſa.

OBSERVATIO XCIV.

NOnnulli autumarunt, inter animalia tantum monſtra reperiri, ſed ſciant inter plantas & Mineralia etiam reperiri. Quod ad plantas attinet hic vnum tantum referam exemplum cyſti plantam vidi cuius folia alia folia & hæc alia rurſus vſque ad ſex quæ ſic inuicem ab vnica ordine producebantur vt in ficut indica ſeu opuntia. Sic gemmæ iunctæ reperiuntur.

Stannum aliaque metalla à muribus corrosa.

OBSERVATIO XCV.

RIdiculum apud multos est, dicere mures metalla comedere posse, res tamen vera est virumque noui cui globulorum plumbeorum pro tormentis bellicis supra libras centum destruxerant, & vorauerant, D. la Pierre vocatur Nobilisque Castrensis est, idque ei accidit dum bellicarum Machinarum custos & director esset. Idem pestis tempore de vase stanneo à muribus apud me Corroso dicere & affirmare possum, quod nil esui aptum forsan reperissent cum vrbs incolis destituta fuisset quidam censent mures ludi gratia id facere, nec reuera Metalla vorare, at econtra reuera illa vorant & concoquunt ac digerunt vt struthiocamelus & alia animalia quæ ferrum, aurum, vniones,&c. vorare possunt.

Visus est etiam homo qui auream monetam vorauerat, quæ eo mortuo in globulum redactam fuisse reperta est, in struthione etiam monetæ semi erosæ repertæ sunt post mortem. Hæc à Langio oculato teste confirmata fuere. Legimus etiam Lauinij argenteos Clypeos à muribus antiquitus errosos fuisse, & apud Chalybes in ferrariis officinis magnam ab iis jacturam facere operarios quod mures ferrum eorum vorare soleant.

Vngues

Vngues ad radicem concaui.

OBSERVATIO XCVI.

NOn hic tacendum cenſui nouum affectum quo laboraui, vngues omnes digitorum in Medio circa radices eorum concaui mihi facti ſunt, neſcio an illud mihi ab vſu aquæ vitæ venerit qua tunc vtebar, cum enim ceſſaui ab eius vſu, curatus fui, & præterea recordor me legiſſe apud Mizaldum Cent. 3. animalia quadrupeda vinum bibere ſolita vnguibus carere.

Magica multa falsò exiſtimari.

OBSERVATIO XCVII.

MAximã magia ſibi famam cõparauit nimia hominum, circa anicularum hiſtorias, & mendacium narrationes credulitate, vt & ignorantia, quæ cumque enim ignari non percipiunt ad magiam detorquent, imò & tanta fuit ſenatus cuiuſdam ignorantia vt curioſum Geomantiæ ad mortẽ damnaſſent figuras eius pro rebus nefariis & diabolicis ſumẽtes, niſi vnius eorum amici mei monitu decretum reuocaſſent qui rem totam iis explicauit. Si autem naturalis magiæ homines gnari & curioſi eſſent perciperent pleraque quæ demonibus tribuuntur, vel ab ea procedere, vel

à casu vel aliis à causis alibi à me recensitis, multi enim sunt qui secreta habentes, se magos esse coram ignaris jactitant licet nullomodo sint. Multa talia referre possem sed vnico casu contentus ero. Ingentes & quasi tormenti bellici ictus sæpe supra caput in lacunari audiuit tota nostra familia, ascendimus supra nilque percepimus, cum autem ego rem ad magos detorquendam non esse concederem, diù cogitans vnde hæc procedere possent, tandem inueni hæc veniſſe à clauis quibusdam asserum qui ob earum tumefactionem à tempore nimium humido conatus facientes, eos extra sedem expulerant. Sicque multoties multa detegi sedulitate mea quæ ab aliis pro magica habebantur.

Sic etiam accidit quosdam caminorum mundatores fuisse in cubiculo fortè clausos & clauem amissam, quare per caminum exiuerunt suum & rursus per alium descenderunt caminum in cubiculum militum ludentium & iurantium qui nigros illos homines pro diabolis accipientes aufugerunt non parum perterriti.

Multa talia referre possem exempla pulcherrima sed ea pro lib. de *magiæ vanitate* seruabo.

Ad capitis tremorem senilem.

OBSERVATIO XCVIII.

ACcipe pauonis fimum & cum aquæ vitę s. q. distempera, eoque vtatur in potu, tribus vicibus matutinis, fimus vero ad dragmam vnam

pro qualibet vice sufficiet, & curabit senum importunos capitis tremores.

Ad visum corroborandum.

OBSERVATIO XCIX.

QVibus visus adeò imminutus est vt non conspicillo etiam satis videant, vel bina, vel terna vel quaterna coniungant eiusdem ætatis conspicilla & res multo majores quam antea imo & distinctiores cernent quòd non eis parum vtile erit, poterunt autẽ ea vnico inuolucro coniũgere.

Mirus casus mulieris suspensæ.

OBSERVATIO C.

HIc coronidis gratia casum Parisiensem à multis mihi confirmatum non reticebo, suspensa fuit anus quæ dum à Carnifice agitaretur, à capite separatum est corpus eius & ad terram decidit, quod funiculi vi factum & ob senilem fortè ætatem.

Epilogus.

Iamque opus exegi, tertiæ Centuriæ, quartam adhuc promissam accipe in qua non minora inuenies, nil enim tibi vulgare referre voluit, vale & laboribus meis fruere, vtinam tibi omnia mea maxima opera communicare & otium & opes permitterent.

APPENDIX

AD TERTIAM OBSERVATIONVM Centuriam.

AD Obſ. 22. D. ponartin Chirurgus picto hos lapides inuenit fortuitè.

Ad obſ. 33. Mortui ſunt, tres equi anno 1656. D. Præclari Belgij legat. Guil. Boreel. in quorum inteſtinis innumeri longi vermes reperti ſunt, vt & in adipe circa inſtina.

Ad obſ. 34. Non tacenda eſt cura admiranda quæ apud Indos familiaris eſt, qua vtuntur ad aquas & pus educendum, &c. nec relata eſt à Bontio in Libro ſuo de Medicina Indorum. Innumeras acus aureas Capillorum vix Craſſitiem attingentes poris corporis humani inſerunt & deinde eas extrahendo effluit materia: aliquando mille eiuſmodi acus infigunt.

Ad obſ. 46. dubitant multi de rerum Sympathiis & præcipuè de pulueris Sympathici viribus ſed malè, vt ſequentibus videbunt obſeruationibus. Clariſſimus & Celeberrimus Vir Kenelmus Digbæus qui vtraque minerua ſibi nomen faciens vndique fulſit, primus eſt qui è Barbaria pulueren illum eiuſque arcanum attulit, & tantas ex eo curas fecit vt pro Mago à nonnullis haberetur, Rexque Magnæ Britanniæ effecta hæc propriis cer-

nere oculis voluerit, quod ad satietatem vidit dumque lintea sanguinea in aquam Vitriolo communi seu cuperosa imprægnatam (præstat enim Calcinato) infundebantur, leuabantur ægri ab inflammationibus & doloribus, si vero igni admouerentur cruciabantur. Idem expertus est doctissimus D. de Loberie Presbyter Parisiensis curiosissimus. Quo pacto autem hæc fieri possint breuiter dicam, transpirationes corporum omnium ad Spheram maximam deuehuntur per luminis radiorum reflexionem & per ventum, &c. Imò aliquando ad 60. & centum Leucas hinc fit quod qui Hispaniæ oras conscendunt Maritimas odores Rorismarini à 60. Leucis percipiant, quique ex India Europam petunt terræ odorem è Longinquo etiam naribus carpunt; vt Columbus de India fecerat & inde nouæ terræ argumentum desumebat. Sunt præterea magnetes in rebus omnibus qui transpirationes rerum alliciunt præcipuè similium sic accidit D. Ferrerio Chimico operatori percelebri quod cum rosarum essessentiam facere decreuisset rosas in cella vinaria fermentationis ergo reliquerat, deinde oleum tartari in eadem cella faciens, illud oleum rosas planè redoluit quoniam rosaceas atomos per cellam sparsas atraxerat, postea odorem illum amisit sed anno sequenti rosarū tēpore eum recuperauit & sic per 12. annos & plures idem fecit adhucque facit, quia atomos rosarum per totum aërem volitantes dum florent Rosæ, ab aëre separat & ad se allicit magnes ille rosaceus in illo deliteſcens. Sic turbantur vina Anglica etiam in cellis dum Gallicæ florent vineæ à quibus delata fuerunt in Angliam, Magnesque ille vini Anglici Gallicas

vini atomos atrahit. Idem in tritico, fructibus, &c. Accidit quotidiè quæ alterantur Florentibus similibus, carneſque in artocreatibus corrumpuntur vel guſtum perdunt dum æſtu amoris percita ſunt ſimilia animalia quorum carnis in artocreapoſuerunt. Per eaſdem Sympathias nocemus viris & pueris præcipuè ſi carbones vivos, ſulfur incenſum, & ferrum candens in ſtercora eorum immittamus, nocemus & vaccis, &c. Si earum lac in ignem projiciamus & forſan ob hæc in lege Moſis prohibitum erat ne caro hæduli in matris lacte coqueretur quod à nullo Theologorum vt opinor obſeruatum eſt, dolores enim matri & lactis penuriam vel defectum faceret.

Viſum eſt etiam caput mortuum ambaræ quæ cum iuxta eſſentiam ſuam remanſiſſet eam ad ſe rurſus attraxerat.

Fuit & puer apud D. de Claus Medicum (quem honoris & ſcientiæ ſuæ inſolitæ ergo nomino) qui ad mortem ferè deductus eſt Clunium inflammatione nimia, quæ tamen breui curata eſt abſtinendo à more eius fœces ad ignem deducendi vt D. Digbæus ſupra memoratus obſeruauit mihique cum horum maiori parte retulit quique de iis fusè in docta ſua Philoſophia Dygbeana Diſſeruit.

Per eandem attractionem admotio venenatorum omnium vulneribus ſuis, repetunt venena propria inflicta cum vulnere, vt ignis digiti ambuſti, admotione, ardorem eius tollit.

Sic ergo per aëra fit via quædam (tanquam radius ſolis per feneſtram) ex emiſſionibus rerum per quam communicantur Sympathicè remedia morbis admota, & per quam amici, & patet

eum filio, &c. Sibi communicant accidentia, ficque horrore, vel ſenſu quo piam obſcuro ſi ægrotent vel moriantur percipimus, quod fit retractione ſuarum atomorum vel ſpecierum intentionalium ad magnetem recurrentium, vel morientium Magnete ſuo extincto vt perit naſus inſitus mutuatus pereunte eo à quo mutuatus eſt. Sed de his plura alias dicemus.

Ad obſ. 61. Nota Cataractas non eſſe pelliculam quæ acu remouetur, ſed criſtallinum humorem obſcuratum quem à loco depellit acus ruptis eius neruulis ſuſpenſoriis.

Ad. obſ. 71. in conditura fructus (ribes) Saccharo confecta vidi multas figuras tanquam è ſaccharo ſponte conflatas folia eius arboris optimè referentes.

Ad obſ. 86. anno 1656. Diepæ in mare decidit globus igneus quo mare ad 7. Palmos auctum multas naues euertiſſe aſſeruerunt, quod forſan à ſimili magno lapide fulmineo proceſſit.

Ad obſ. 93. fuit & vir longevus in anglia qui hanc logeuitatem attigerat vomitu ſimili, ſed baculo balenaceo id eſt flexibili, cum linteo in capulo probe alligato & vſque ad ſtomacum per guttur immiſſo omnia in eo contenta rejiciebat baculum enim contorquendo ſtomachum ſuum tanquam vas mundabat.

PETRI BORELLI MEDICI REGII, CASTRENSIS HISTORIARVM, ET OBSERVATIONVM RARIORVM Medicophyſicarum, Centuria IV.

OBSERVATIO I.

De Baſiliſco.

DVM Medicinæ apud Monſpelienſes operam Nauarem ad aures meas peruenit natum eſſe ſerpentem in ouo Galli apud D. Haguenot Medicum, accurri ad miraculum & vidi Rudimenta quædam in ouo, ſerpentis figuram æmulantia; illud videtur aliquomodo antiquam opinionem de generatione Baſiliſci ab ouo Galli, ſtabilire. Sed tamen credo monſtrum illud tantum ſimile fuiſſe illi de quo agit Aldrouandus, pingit enim ouum in quo caput humanum Meduſæum

id eſt ſerpentibus multis circumdatum videbatur, abſurdum enim eſſet ab ouo Galli Baſiliſcum ortum ducere cum cantus Galli Baſiliſcos ex naturæ rerum antiſtibus occidat.

Oua enim ſuaptè natura ad monſtra producenda apta ſunt, reperiuntur enim multa quæ duos vitellos continent, vnde duplices pulli oriuntur ſi Gallinæ incubanti ſupponantur. Vidi etiam oua quaſi gemina, duas Sphæras iunctas effingentia, notandum præterea Romæ, Nardi relatu, Scorpiones in ouis duobus repertos fuiſſe. Ex variis illis ouorum figuris & duplicibus vitellis vel albuminibus oriuntur pulli quadrupedes & alis quatuor, duobuſque capitibus inſtructi inſtar aquilarum quæ in imperij ſtemmate viſuntur. Ego vero ſæpe tripedes Gallos Gallinaſq; vidi. Aliamque cum duplici cauda.

Picans puella ſtercora comedens.

OBSERVATIO II.

VAria abſurda expetunt picãtes mulieres, ſed nuſquam vt credo auditum quod nobili mihi notæ Virgini accidit, hæc enim ſtercora humana exſiccata auidiſſimè exoptabat, & puluerata tanquam tragemata comedebat Latrinarum cruſtas chartæ inuolutas ſecum ferens. Aliam vidique corij odore delectabatur vt ſemper illud pro maſticatorio in ore teneret.

Vnde autem praui illi appetitus oriantur, exiſtimandum ni fallor eſt hæc à vaporibus malignis ex ſemine vel menſtruis retentis & corruptis lin-

guam inficientibus prouenire, à quibus gustus deprauatus est vel ventriculi orificium in quo appetitus sedes est, legimus Aristophanem quemdam vocasse Medicos fœciuoros quod quidam adulatores fuerint qui excreta magnatum degustare voluerint, quare de illo non insulsè dixit quidam eum dignum fuisse Xenocrate Medico qui excretis variis animalium omnes morbos curare solitus erat. Sic ego existimarem hanc Virginem dignam fuisse talem habuisse maritum.

Surditas à fulmine, aliaque rara de eo.

Observatio III.

M. Virencus D. de Fontfrede Monspelienſis Senatoris famulus surdus subitò factus est, audito fulminis ictu quod in schola in qua ille erat decidisset, quod nimium sensibile sensorium organum eius læsisset, tympanum enim auris vel quædam eius ossicula, aëris nimio impulsu à sede sua remota fuerunt.

Vidi etiam virum, mulieremque qui subito surdi facti fuerunt, & deinde post sex menses subitò etiam auditum contra spem recuperarunt facto in aure crepitu, quod existimo ab humoribus aures obstruentibus & tandem in vaporem reductis ortum duxisse.

Ad genuum tumores alioſq; cæcos dolores, vt & ad vulnera & vlcera remedium.

OBSERVATIO IV.

AMicus quidam meus, pede breuis, ob genu, tumorem antiquum neruique retractionem, rurſus in genu morbidum procidit, vnde ſubitò dolor ingens & tumor in eo apparuerunt. Aſt hæc omnia, aliis remediis non cedentia ſubitò, Balſamo de fiorauanti vocato cuius deſcriptio in ſua Chirurgia, &c. reperitur curata fuere.

Mira idem Balſamum facit ad vulnera, vlcera, doloreſque cæcos.

Peſtis anni 1629. Notanda quædam Symptomata.

OBSERVATIO V.

PEſtis eſt affectus mala omnia induens Symptomata, cordique inimicus ideò variæ reperiuntur peſtes & ferè ſemper diſſimilia producentes Symptomata. Quibuſdam enim ſenſus inuertit vt in bello Peloponneſiaco accidit, de qua Thucidides, cum lapides ea perciti cumulare non deſinerent. Sic peſte anni 1629. in patria mea graſ-

sante multi tanta Phrenitide correpti sunt, vt nudi, per campos currerent, sique eis vestes darentur statim eas proiiciebant, multoties enim pater meus Iacobo Folrassio cognato meo pestifera tali phrenitide detento vestes dedit sed semper nudus post horas aliquot reperiebatur, alij in aquas se projiciebant furibundique flumina tranabant, alij Hypochondriaca quadam affectione detinebantur seque ab hostibus ad tergora premi credebant, quæ sine dubio à calore quodam interno procedebant quo vrebantur ideoque & nuditatem & aquas refrigerij gratia quærebant. Aliis caliditas hæc caput non feriens ad partes generationi dicatas vergebat, adeò vt tentiginibus irritati venerem ex optarent vehementer. Tanta fuit præterea pestis illius venenum vt sex millia hominum in satis parua vrbe profligarit, & fœtus in vtero matrum non semel ab illo veneno expulsos ante tempus viderim qui maculis liuidis & exanthematibus scatebant.

Anatomia infusoria vel iniectoria.

Observatio VI.

INuenerunt nonnulli insufflatoriam Anatomiam, ego vero injectoriam, Syphone enim lac in venas quasdam quas probè distinguere non poteram in placenta pueri, vi immisi, & omnia vasa mirificè percepi quæ mirum in modum aucta erant, & ob lactis colorem discernebantur optimè adeoque vt non melius fieri vel exoptari

poſſet, ſperoque hanc methodum non inutilem futuram, primo enim fugantur ſanguinis reliquiæ per carnis ſubſtantiam & tandem lac eius loco introducitur, & vſque ad vaſa Capillaria manifeſtantur.

Ad hæmorrhagias præſtantiſsima remedia.

OBSERVATIO *VII.*

D. Charron Pariſinus vir, eruditiſſimus præcipuè in Lingua Græca, cum narium Hæmorrhagia ſæpiſſimè vrgeretur, nulliſque remediis leuari potuiſſet iamque de vita periclitaretur curatus eſt oxicrato cum pannis eo madidis, toti ſpinæ admotis ſæpeque renouatis. Hæmorrhagia alia à vena ſecta quam nemo etiam ſiſtere valuerat ſolo aluminis tactu curata eſt. Credo etiam Vitriolum & colcothar idem facere potuiſſe, hinc, que fit quod atramentum ad idem vtile eſt.

Ferrum motu excandefactum.

OBSERVATIO *VIII.*

PLumbum ſagittarum projectarum ex Ariſtotele liqueſcere per aëra viſum eſt, rotæque currum motu nimio excanduerunt. Calorem maximum frictione contra lignum concipit clauus auri calcheus, incuſque in qua aurum mal-

leant eius bracteatores sed nusquam auditum vt credo, ferrum sub malleo non solum calescere sed adeo excandescere, vt rubrum & ardens omninò sit, imò æquè ac si ab igne violentissimo exiuisset & flabellorũ vi excanduisset, & sulfur subitò accenderet. Illud propriis vidi in patria oculis multoties, si chalybs enim digiti minimi crassitiei incudi imponatur & crebris petatur vndique ictibus, illud nunc à latere vno nunc ab alio percutiendo idem post paucos ictus videbit huius rei curiosus. Motus enim calorem excitat ideo agitatione hyberna calescimus, & exercitium pauperis ignis est. Ideò non absurdum est dicere calorem subterraneum & ignem centralem terræ, à motu terræ procedere, à sole enim non prouenit cum regiones variæ subterraneæ id contra esse testentur, prima enim terræ Regio & altior seu eius superficies à sole calefit cuius radij ne ad vlnam quidem penetrant, secunda frigidior est, tertia & quarta vsq; ad centrum semper calidiores existunt, quod fodinarum inquisitores sensibus propriis perceperunt.

Vnde fiat multos, Scæuolas esse id est pro dextra vti, & de strabonum & Claudorum causa.

OBSERVATIO IX.

NEmo vt opinor obseruauit vnde fiat quosdam sinistra manu ad omnia facienda vti, & non dextrâ instar reliquorum hominum; at cum

illud ægrè multi ferant, causam eius huc vsque ignotam tacere nolui, cum facillimo præcaueri possit remedio, quemadmodum pueri Strabones fiunt si eorum nutrices candelam à latere eorum & non è directo ponant, & non secus ac iidem pueri Claudi fiunt si per tibias vel partes alias inferiores eos teneant, eosque ibi exagitari hinc & inde permittant, ossa enim eorum tenera hoc pacto contorquentur. Sic etiam si semper pueros super brachio eodem semper ferant, iis brachium vnicum liberum alterum vero inutile reddũt. Vnde fit vt Sceuolæ aliquãdo fiant.

Mulier ambidextra.

Observatio X.

DIxit Hipocrates mulieres ambidextras non fieri, sed tamen mulierem ambidextram vidi, quod ostendit nullam esse absque exceptione regulam, omnesque Aphorismos Hipocratis non semper veros esse.

Podagra curata, potusq; abstinẽtia mira.

Observatio XI.

ABbas Conchensis Podagra diu detentus fuit, cumque potum ei nocuum esse percepisset, paulatim adeò ab eo abstinuit vt sex annos absque

vllo potu transegerit, sicque curatus fuerit. D. Vaisserius Tolosanus, negotia Monialium diuæ Catharinæ Syenensis faciens per annum integrum etiam sine vllo potu remansit.

Vacuum visu perceptum.

OBSERVATIO XII.

CVm Cortices rerum tantum possideamus, paucaque vera sciamus de rerum natura, fit plurimum vt veras cognitiones pro falsis reiiciamus, sic olim Democritus vacuum in rerum natura necessario extare probauerat nihil enim aliter in orbe moueri posset, Aristoteles vero qui nimiam apud scholas famam & imperium comparauit, homines ab eius cognitione remouit contrarium statuens. Annis præteritis equidem experientiis comprobatum variis fuit per tubos & argentum viuum, vacuum extare in rerum natura, tamen ego adhuc existimans aërem subtilissimum adytus inuenisse, rem altius speculatus illud percepi non solum ratione sed etiam oculis propriis quod visu percipi posse assero. Dupliciter autem vacuum intelligi debet, vel paruum vel magnum, magnum est naturæ inimicum nec illud ferre vllo modo potest vt multis probatur experientiis & de illo vera dixerunt peripathetici, paruum vero seu Democriticum & Epicureum in minimas partes per aëra dispersum vt atomis & aliis rebus detur locus penetrandi & mouendi se, sic enim aër instar spongiæ coarctari & dilatari

potest

potest ob pororum eius vt in spongia contractionem. Sed ad nostram veniamus experientiam. Si ergo oculis fixis aërem intuearis per aliquot tempus, videbis tandem illum tanquam paruis spherulis refertum nigris quæ semper mouentur & aëris vacuum sunt, ad candelam sub Elychnio fixè etiam aspiciens idem vidi, imò clarius & quasi olei guttulas in aqua respersas. Hæ spherulæ nigræ apparent cum colores suscipere nequeant, cum accidens substantiæ tantum adhærere possit, hæ vero cum sint priuationes colorari nequeunt. Inferius etiam descendere videntur, quia locum mutant per corporum loci mutationes quibus pelluntur.

Veretrum cum duplici foramine.

OBSERVATIO XIII.

GOudalus Burgundus apud Ruthenos degens anno 1633. duplicem in Veretro foramen habuit, vnde vrinam & semen in duas simul partes diuisa effunderet.

Marrubij ad menstrua prouocanda facultas.

OBSERVATIO *XIV.*

INnumeris comprobaui experientiis marrubij albi summitates in vino albo infusas per no-

ctem triduò epotas mirè ad menstrua prouocanda, stomachum Roborandum & cachexiam ac fœdos Virginum colores arcendos, appetitumque restituendum valere.

Phlebotomiæ & purgationis noxia in pulmonum morbis detentis.

Observatio XV.

FEbris lenta difficilè in principio, omnium Medicorum consensu percipitur, quare à multis Medicis, ægri illa detenti tanquam alio morbo laborantes tractantur iisque remedia vniuersalia sua solita præscribunt, sicque Nobilia hæc remedia & aliquoties vtilissima tanquam cultra in manibus puerorum, ideſt, ignarorum Medicorum qui vt Græci semper pueri sunt, ad ægros è medio tollendos insumuntur, vidi enim virum & mulierem pulmonum vlcere detentos quibus sanguis missus fuit & paucis ab hinc diebus mortui sunt. Sanguis enim nullo pacto tabidis detrahendus sed econtra sanguis in eorum venas injiciendus & reponendus est, quod ridiculum primâ fronte ignaris videbitur sed sequentem legant obseruationem vt suam ridiculam reformet Medicinam. Propinanda ergo eis est sanguinis essentia quinta & non detrahendus vitæ eorum thesaurus; iam nimium imminutus nec minuendum vitæ eorum lampadis oleum.

Hydropis cura ab arcano omnibus non reuelando.

OBSERVATIO XVI.

SAnguinis humani Elyxire hydropicos bis curaui deſperatos & conclamatos, intra tres dies, vnciam dimidiam qualibet vice propinando per tres vices. Quod rerum gnaro dictum ſufficiat qui hinc majora multa elicere poterit ſi ſuimet ſtudium faciat, & è proprio ſuo fonte remedia promat, ſic enim econtra Medicorum ſtultorum ſanguinem ægris ſuis infundet ſicque feliciter curabit quos laniones & ſanguiſugæ exinanitos incuratos relinquent.

Hæmorrhagia in coitu, ſeu coitus ſanguineus.

OBSERVATIO XVII.

MOrbum inſolitum profecto mihi curandum propoſuit amicus quidam meus, nunquam enim mulieri conjungi ſuæ poterat quin largo ſanguinis eius profluuio ſinus pudoris eius regurgitaret, quod valdè ei importunum erat adeo vt ab eius amplexu abhorreret.

Collum Contortum seu Opisthotonos à casu.

OBSERVATIO XVIII.

COgnatum habeo qui equo insidens & in via dormiens, cecidit, statimque obmutuit & tanquam mortuus diû remansit, tamen remediis reuocatus fuit, remansit dolor in ceruice, ad cuius curam egovocatus aquæ vitæ admotione illum abstuli, sed remansit semper collum contortum adeo vt Opisthothono spasmo detineri videretur. Credo autem vertebram colli luxatam fuisse aphonia enim eius id confirmare videtur, processit enim à spinali medulla compressa, cuius vulnera Lethalia sunt, & quæ cerebri appendix & cauda est, vel cerebrum oblongatum, vel processit à neruo recurrente contuso.

De arsenici veneno.

OBSERVATIO XIX.

IOhanna de Loïs Mulier Castrensis cum in farinæ secerniculo arsenicum ad mures necandos posuisset, id oblitâ tandem farinam in eodem secerniculo posuit & ex illa panem confecit, cum autem percepisset dolorem stomachi post panis illius vsum, veneni recordata est quod in secerni-

culo posuerat, quare panem non amplius comedere voluit, sed actu valdè nefario illum vendidit.

Quid non mortalia pectora cogis, auri sacra fames.

Familia vero quæ panem illum emerat numerosa licet sæuissimis cruciata fuit Symptomatibus, ad eorum curam ego vocatus illos remediis solitis omnes liberaui, nempe vomitu, & antidotis, post lactis vsum.

Hic etiam memoratu digna erit Historia senatoris Castrensis qui cum matre & famulo arsenico in hordeato à famula vt creditum vel ab inimico viro clam posito intoxicati fuere, mater veneno periit quod Medicus eius venenum non percipiens ad matricis Symptomata omnia reuocaret, reliqui vero ab alio Medico lactis vsu magno & aliis remediis solitis curati fuere.

Mihi assertum est fellis viperini granum vnicum post eius exsiccationem ab omnibus venenis liberare posse debet autem in vmbra siccari & in vino vel iusculo propinari.

Agnus Duplex & Hirculus Anthropomorphos.

OBSERVATIO XX.

IN villa D. de Siege loco de Ianes dicto in Diœcesi Castrensi Hirculus natus est cum capite humano, agnus etiam Duplex anno 1653. in villa pauperum in eodem Diœcesi natus est extra villam Godonis. Caput autem vnicum sed duo habuit corpora: alium eiusmodi olim vidi qui pro

pecunia ostendebatur. Horum causam quidam ad astra, alij ad imaginationem referunt, sed mallem cum Plutarcho villarum Dominis dicere vt seniores Pastores pro capris & ouibus accipiant ne italorum quorundam instar nefario cum capris coïtu coniungantur hinc enim talia monstra verum ortum ducunt.

Ad lentigines & menti furfures.

OBSERVATIO XXI.

SI aqua vitæ lauetur facies semel in die, à furfuribus & aliis cutaneis morbis eam deturpantibus liberabitur. Dum etiam deraditur barba vtile erit aquæ vitæ portionem aquæ infundere iis qui exoriatiunculis cutis subditi sunt, vel eleuationibus & quasi cutis Ecphimatibus.

A maleficio tripudiatio, & mentis alienatio.

OBSERVATIO XXII.

IN villa Erse dicta, sex leucis à manso Asilii apud Fuxenses remota, fures quidam aliquid sub ostii limine imponentes, effecerunt vt omnes qui Domum ingrederentur tripudiarent nec id cessauit donec res abiis absconsa detracta fuit, nescio vnde illud prouenerit, Dominus Barica-

uius Pastor Ecclesiæ illius Regionis hæc mihi confirmauit, à quadam re tamen naturali & non à demone procedere existimarem, cum morbus sit Chorea sancti Viti dictus quo detenti choreas agant perpetuas, idemque faciant tarantati seu à Phalangio demorsi, crederem potius ergo fures vel maleficos viros illos aliquid in ollam iniecisse, vel suffumigio quodam domum infeciſſe quod intrantes haurientes ad Choream excitabantur, quemadmodum enim infusio silicis à cane rabido demorsi potest hominem latrantem reddere & furiosum sic alia varia actiua possiuis aptis communicando multa mira & ferè magica præstare possunt.

Mira Verborum à surdo perceptio labiorum motu.

OBSERVATIO XXIII.

MIrabilis est Historia nautæ cuiusdam pagi Vallensis apud Xantones, is autem à quinto ætatis suæ anno morbo violentissimo correptus omninò Surdus factus est difficultatemque in loquela etiam retinuit, quæ omnia adhuc annum hodiè vigesimum agens retinet, is tamen beneficæ naturæ quædam admiranda compensatione quæ vnâ manu largitur quæ ab alia sustulit, loquentes submissa voce, imò labia tantum motitantes nullo emisso sono, audit & quæ dicant capere potest & ad petita respondet, huius Historiæ stupendæ testis oculatus est D. Isaac Thomas de Riolet, celeberrimus ac Doctissimus apud Xantones Me-

dicus, mihique amicissimus, qui eum ita constituit vt 25. pedum spatium inter eos intercederet, eumque suo nomine compellauit & submissa voce adeo vt vix semet audiret, petiit an vxorē ducere vellet & statim, respōdit quod nolebat vxori coniungi. Rursus petiit, an nauem conscendere vellet bellumque Turcis inferre, & respondit se nolle, quia paucis abhinc diebus in pugna malè ab illis exceptus fuerat quod verum erat. Vnde autem tanti miraculi causa, hærent Doctiores. Verissimile est spiritus qui auris & linguæ organa agitabant ad imaginationem recurrisse vnde fortior facta fuit, vnde fit vt perspicacissimos videamus quos natura visu vel alio sensu aut aliis partibus orbauit. Vidi quidem alium surdum qui amicum ad motum labiorum intelligebat sed non alios, licet amicus ille balbus esset, alioſque qui ea quæ digito in aëre conscribebantur etiam percipiebant. sed istud hæc omnia superat. Ego existimarem potius quod quemadmodum senes è longinquo vident, mutata oculi eorū ob extenuationem circumferētia, cum tamen olim è propinquo vidissent, est enim punctum aliquod pro legitima distantia ad sensibilia percipienda, sic potest in auditu mutatione organi fieri vt paruos sonos tantum excipiat & non violentos, sic sunt aulæ, quas etiam vidi in quibus remoti audiunt quæ in angulo insusurrantur, licet qui proximi sunt nil audiant, imo voce sublimi audiunt quæ submissa emissa fuerunt, repercussione soni, quæ etiam instar Echus fieri potest in eius aure vel visus ei pro auribus est & vi conceptionis imaginatiuæ labiorum motus enodare valet.

Phlebotomia in partu.

OBSERVATIO XXIV.

VLtimis mensibus noxiam esse prægnantibus phlebotomiam censet Hipocrates, vsusque iam inualuit vt rarò in vltimis mensibus, in partu ipso nunquam, celebrari debeat. Idem tamen laudatus vir in ipso partu felicissimè illâ vsus est vxor Iani Saluioduni febre Synocha simplici sed violentissima cruciabatur cum leui delirio, doloreque capitis & lateris dextri, aderat sitis intensissima, oculi rubescebant vultusque totus, corporis eius habitus Eusarcus, venæ plenæ, pulsus magnus & durus plethoram in ea indicantes, morbus acutus ille Phlebotomiam quidem petebat sed cum in vtero gereret & iam in fine noni mensis esset, metus erat ne venæ sectione abortus, aut mors, vel vtrumque succederet. Rebus tamen probè omnibus perpensis & ponderatis visum est præstare matrem seruare, ex duobus enim malis peius vitandum est, & tamen quantum fieri posset fœtum etiam seruandum esse, quare die secunda vena secta fuit, tertia rursus secta ex eodem brachio dextro, sub vespera ex sinistro pro tertia vice, noctu vero Iusculis cum confectione de Hyacintho Roborata & refocillata fuit ægra adeo vt quarta fœtum viuum emiserit, materque sensim curata, adhucque ambo vitali aura fruuntur.

Nummi deglutiti vnde colicus dolor sæuissimus.

OBSERVATIO XXV.

VIr quidam Nobilis cuius nomen tacebo centum nummos aureos in musæo alterius accepit & vorauit ne redeunte Domino eorum amico eius eosque petente supra illum reperirentur, sed postquam discessisset, maximo colico dolore cruciatus fuit imo tanto vt de vita periclitarit sed tandem magna enematum copiâ euacuati fuerũt paulatim, eius autem aurea excreta, sedulò à famulis excipiebantur fœlices si Domini infœlicitas Diuturnior fuisset, instarque eius qui iuxta apologum Gallinam aureum ouum quotidiè dantem habebat. in alio Heluetio, nummi remanserunt in stomacho & quasi fusi & conglobati in eius corpore reperti sunt.

Grauiditas inaudita.

OBSERVATIO XXVI.

AD generationem requiruntur erectio intromissio & eiaculatio. At amicum habeo qui absque vlla intromissione sed externa tantum in vuluam puellæ eiaculatione, eam grauidam fece-

rit, quod ægerrimè ambo tulerunt, ſed hæc fieri poſſunt dum rigidæ tentigine vuluæ, occurrit ipſa & ad ſpermatis acceſſum ſe ſponte inuita domina confert. Legitur adhuc res magis admiranda de quadam puella quæ in balneo magneticè attraxit ſperma à viro in eodem balneo emiſſum vnde concepit vtero. Sed cum hæc fidem ſuperet hiſtoria ad aliam certam qua meæ veritas confirmatur me confero. Equam vidi cuius vulua annulis ferreis clauſa erat & tamen vtero geſſit (quod ſine dubio eodem pacto factum fuit, oportuit enim, vt partum edere poſſet annulos ei rumpere. In alia puella idem fermè accidit Biterris, dum enim ignem publicum aſpiceret, retro amaſius eius ſubito intromittens veretrum, vnica illa intromiſſione quam illa renuens repulit tamen grauida remanſit. Talia ferè refert Zacutus.

Raucitas inaudita.

OBSERVATIO XXVII.

FAmulum vidi tanta raucitate oppreſſum ob Frigus in cerebro perpeſſum vt tandem reſpirare nequiens tanquam moribundus ſterteret & jaceret quaſi conclamatus, hauſtu tamen fumiflorum Sulfuris per os excepto cum Saluiæ foliis, curatus fuit.

Aqua fortis epota, &c.

OBSERVATIO XXVIII.

TRistem historiam Vrbis meæ referam vt à re simili caueant homines fuit enim aurifaber qui aquam separationis seu regiam in officina reliquerat, cum verò discessisset puellæ duæ aquam cum liquiritiæ credidissent fuisse, illam acceperũt & hauserunt vnde valdè dolorificam mortem obierunt. Sic nimiâ incuria res condendi multa intulit mala similia. Fuit etiam Pharmacopei eiusdem loci filius qui tabellas purgantes pro condituris optimis furatus est & aliis pueris eas distribuens, ob magnam purgationem à morte vix reuocari potuerunt.

Raucitas ferè per totam vitam.

OBSERVATIO XXIX.

VIrum vidi qui raucus adeo erat idque à multis annis, vt vix vllum effari posset verbum, nisi submissa voce, quod existimo prouenisse à stillicidio quodam pituitæ à cerebro in fauces, vel à venenato quadam qualitate, id enim post quamdam purgationem ei relictum fuerat. Præscripsi ei cauterium occipiti, & vsum Betonicæ fumi instar tabaci hausti, & interea conseruæ rosarum

vsum & Syrupi de tussil. quibus curatus fuit.

In calcem viuam submersio.

OBSERVATIO XXX.

FAmulus R. P. Deydonij Ord. Prædicat. amicique mei incautè in calcem viuam in caput ruens decidit quæ mors sanè horrenda fuisset, sed cum statim extractus, lotusque fuerit, & confect. de hyacint. corroboratus ad vitam reuocatus fuit, erat enim tanquam mortuus & ferè suffocatus.

Ictterus à tabaci fumo.

OBSERVATIO XXXI.

PRocurator mihi familiaris ad tabaci vsum prouocatus à sociis, tandem accepit eius fumum ore, sed nescius illum rursus euomere fumum illum hausit, vnde se malè adeo habuit vt ictterum contraxerit, quo tamen liberatus fuit vsu conseruæ florum genistæ & calendulæ, sed hæc testantur quid venenati in tabaco latitare. Muscas obseruaui mortuas vt plurimum in officinis iuxta tabacum.

Congelatio & paralisis vniuersalis à sale vel saccharo Saturni.

OBSERVATIO XXXII.

MAxima Chimicorum pars proprio iugulatur gladio,

Nec prosunt Dominis, quæ prosunt omnibus artes.

Nam dum remedia quædam parant, tantam in iis habent confidentiam, seque adeo probos autumant artistas vt in seipsos ea tentare non dubitent, vnde vt plurimum mortem suam accersunt ante tempus. Multos vidi in hac praxi errantes sed inter cœteros amicum habui qui Saturni salem hausit nimia quantitate, vnde tanquam paraliticus & ferè mortuus factus deinde est, tandemque conclamaretur, rigebant membra eius & tanquam congelatus & apoplecticus erat. Tamen reuocatus est vsu theriacæ aliorumque cardiacorum cum vino, frictionibus calidis & aliis remedis eiusmodi, cautiorque in posterum factus est.

De purgationis noxa in quartana.

OBSERVATIO XXXIII.

D. Maſnauius digniſſimus Toloſanus Senator, non ſemel mihi Patris ſui mortem enarrauit qui Medicorum nimiis purgationibus & Phlebotomiis dum quartana laboraret periit; morbus enim ille cum difficultate curatur majori quam reliquæ febres quia illis remediis exacerbari ſolet & in duplicem & ttiplicem mutatur, quare ab iis abſtinendum eſt & ad ſpecifica recurrendum.

Cancrorum fluuiatilium reſurrectio ſeu regeneratio.

OBSERVATIO XXXIV.

QVædam olim retuli in primarum mearum centuriarum editione prima de plantarũ & aliarum rerum reſurrectione, ſed nil de inſectorum regeneratione aliorũq; animalium dixeram, cum tamen & ranæ, & bufones & alia multa è cadaueribus propriis repullulent, & muſcæ de mortuæ per totam hyemem, verni ſolis calore, vel ipſa hyeme ſi igni admoueantur reſurgant. Idem fertur de hirundinum cumulis in lacuum profundo deliteſcentibus. Sed ab amicis expertis duo-

bus accepi, se cancros fluuiatiles reuerberio calcinatos restituisse, si enim eorum cinis in loco humido vel in vase terreo sinatur cum aqua modica, hinc intra 20. dies innumeri atomi animatæ visuntur quæ si sanguine bouino irrorentur in cancros paulatim commutantur. Sic asserit Rocheus & alij ardeas in pisces commutari quibus nutritæ fuerunt, si vnâ tantum specie, in hanc tantummodo speciem. Sicque aiunt anates sub limo in bufones mutari quod libenter bufonibus vescantur, quodque quid bufoninum & voce & aliis modis referant, adeo vt asserant nonnulli cum iis coire. Sic latent rerum semina in animalibus ipsis vt aliquando datâ ansâ rursus prorumpant, hæcque est antiqui Pythagoræ metempsycosis vel potius metasomatosis. Sic ex excrementis animalium nascuntur iterum plantæ quibus orta sunt, sicque patet immortales esse animas, etiam rerum minimarum, nullumque in mundo angulum esse animis destitutum vt cum Iamblico ex doctrina Chaldæorum & Assyriorum loquar. Corporibus enim seu animarum ergastulis corruptis, auolant per aëra, & sic errant donec sibi nouum aliquod corpus ipsæmet progenerent magnetica atractione substantiæ sibi necessariæ ad corpus sibi prædestinatum & iuxta suam scientiam architectonicè construendum. Hinc fit quod in turribus nascantur plantæ & in locis inaccessis, & in terris à profundo erutis.

Mors

Mors à croci vaporibus.

OBSERVATIO XXXV.

FVit famulus mercatoris qui iuxta magnam copiam croci decumbebat & dormiebat, cum vero nullum malum inde procedere posse existimaret, pergebat semper in eadem officina remanere, sed hinc dolorem tantum capitis & cordis tãtam debilitatem contraxit vt vitam cum morte commutarit, quod ni fallor à majori quam decebat cordis dilatatione, delectatur enim croci vaporibus & sic spiritus nimios effudit vnde exinanitum fuit corpus & alia praua (eorum spirituum defectu) simptomata orta sunt, audiui etiam equos mictu sanguineo perire solitos dum croci copiam ferunt.

Sudores perpetui cum pruritu.

OBSERVATIO XXXVI.

NMatignon lanificus per sex menses Sudoribus perpetuis detentus, nullo lanificio incumbere valens & semper decumbere coactus erat, totusque in aquas conuertebatur, cum pruritu maximo vniuerso, vocauit me ad eius curam suscipiendam. Id ab humoribus biliosis & acribus procedere autumaui quoniam vir erat

vino indulgens & eo temperamento prœditus, imperaui vt à vino abstineret, quod difficillimè obtinere potui, quodque curam eius non parum prorogauit, tamen euacuata bile, & vsu ptisanarum aperientium vt materia hæc alias vias quæreret, victuque incrassante humores imperato vt pori obstruerentur & bilis non prædominaretur curatus perfectè fuit.

Pisces inscripti.

OBSERVATIO XXXVII.

SVnt in Hyacintho litteræ quædam. Vnde Poëta.

Nascuntur flores inscripti nomine regum.

Et Ouidius. De literis ai. Ajacis nomen & clamorem Hyacinthi pueri denotantes ait.

Hæc nominis, illa querelæ.

Similes characteres in multis rebus obseruaui vt solis figuram in viſco Quercino, aquilæ in radice filicis, literarum quarundam in flore fabæ & Delphinij, &c. imò & in alis papilionum in vno enim apud curiosissimum morinum legi optimè vtrinque 1646. in conchis etiam notas musicas & litteras Arabicas & Hebraïcas ac Græcas, &c. Non semel legi & apud me adhuc videri possunt. Sic naturæ lusu reperiuntur scombri quos & vidi, in quibus multi characteres legebantur idemque vidit eruditissimus noster D. Alegrius

Biterrensis, & alij, vnde quidam stultè satis Prophetiam Halieuticam concinnarunt. Idem enim lusus, in cucurbita, in marmore, gemmisque mihi multa rara depicta ostenderunt, nuperque in cortice arboris obseruaui columbam, & multos magnos soles & alia eiusmodi quæ non recensebo.

Ad scrophulas oleum bufonum.

OBSERVATIO XXXVIII.

TRes bufones in oleo oliuarum in vase terreo eoque lutato cocti oleum faciunt præstantissimum ad scrophulas sed cuius vapores dum fit noxij sunt, iis enim morbum contraxit maximum amicus quidam meus quare ab iis caue & probè vasa tua lutentur. Scrophulæ primò arsenico admoto vesicante excorientur pars deinde sublimati admotione corrodetur & tandem oleo dicto vtere quod adhuc præstantius erit si in eo salem bufonum infuderis. Hinc forsan orta sunt antiqua Galliæ insignia quæ erant tres bufones iuxta multos authores, cum Reges Galliæ huiusce morbi curam suscipiant.

Ignis lambens admirandus.

OBSERVATIO XXXIX.

OCcurrunt sæpe ignes fatui seu lambentes viatoribus, dum noctu loca adiposa peram-

bulant, die enim non sunt conspicua ob majorem solis lucem, visa sunt olim in capite Regis Romani sed ab illo tempore nil eiusmodi audiuimus præter ætate nostra in obsidione Salsularum cum post magnas pluuias multi ignes lambentes armis militum multorum incubuerunt. At magis notandum est quod egregio veracique viro D. de Lasplanes accidit cum enim noctu iterfaceret quasi Lunam ab alto descendentem vidit, quæ erat tantum ignis illefatuus, cuius portio mystaci eius sese imposuit vt comites eius perceperunt: ignari hisce non mediocriter perterrerentur, sed sapiens & doctus illa naturalia esse agnoscens irridet & contemnit ac sine vlla admiratione contemplatur.

Atramentum epotum.

OBSERVATIO XL.

MErcatorem Monspelienſem vidi cui cum allata esset potio purgans subnigra & fastidiosa noluit illam haurire, sed ancillæ præcepit vt eam camino imponeret, deinde vero sententiam mutans illam petiit, ancilla vero aliam accepit phialam similem atramento plenam, quam ille subito deglutiit ne gustu potionis amaritudinem perciperet, sed tandem ob oris nigredinem nimiam & stipticitatem percepit cum aliis errorem, vnde se malè habuit sed deglutita multa aqua calida subito illud rursum euomuit atramentum, & reiteratis vicibus, & tandem lactis

vſu & vltimo ſyruporum, reſtitutus fuit.

Ad viſum.

OBSERVATIO XLI.

MVlta parantur ad viſum remedia amicum habeo qui ea omnia tentauit, & tandem in ſolo ſarmentorum lixiuio curam ſuam inuenire potuit, quo pro collyrio vtebatur omnia enim quæ à vite procedunt oculis vtilia ſunt, vtpote eius lachrymæ, & aqua vini inter duas lances ſtillata, vt & vini ipſius vſus.

Epidemici morbi cura.

OBSERVATIO XLII.

ANno 1652. in Aquitania morbus contagioſus Graſſatus eſt quo major ſtrages quam ferro exorta eſt inter milites, vocatus fuit amicus meus D. Thomas de Riolet Medicus Xantho Eruditiſſimus qui ſe huic peſti opponens ſtrœnuè percepit eſſe Synochos putridas & cauſones, tertianaſque continuas, quandoque duplices tertianas impuras quæ poſtea in cauſones degenerabant, omneſque cum horrore & intermittentia ac petechiis & papulis circa primos dies præcipuè in faciè & hypochondriis in vrinis craſſa rubraque ſedimenta percipiebantur, turbidæque erant quod dominantis ſanguinis erat indicium. in

aliis pulsus paruus & frequens cum leui inordinatione, vrina laudabilis initio, jactabundi & inquieti erant & omnia alimenta exoptabant sed oblata respuebant, quæ veneni in spiritibus, non in partibus Carnosis latitantis signum erat, hique vt plurimum septimo aut nono die moriebantur. Aliis parotides apparebant vnde materiâ expulsâ, curabantur, alij perpetuo delirio angebantur & licet sanarentur, per annum circiter stolidi & fatui remanebant, & sic variè & instar protei iuxta tẽperamenta vt vinum in ebriis agebat eos contagiosus ille ac insolitus morbus.

Indicatio eius præcipua fuit incendium humorum compescendum esse, & putredinem prohibendam & expurgandam primo ergo in corporibus Plethoricis largam venæ sectionem præscripsit è malleolis quâ reuulsione, à Phrenitide liberabantur vel eam non patiebantur & humorum feruor mitigabatur. Postea rosarum tincturas prescribebat & vsum succorum purificatorum ex pomis, cerasis, fragis, citro, arantio, & herbis refrigerantibus, qui post leuem ebullitionem filtrabantur & cum saccharo & tantillo cinamomi dulcorabantur & aromatisabantur, quibus vsus est feliciſſimè innumeros sic ab orco reuocans non inutiles ei etiam fuerunt cucurbitulæ scapulis & lumbis cum scarificatu admotæ. Sed palmam præcipuè reportauit hoc remedium, spiritus salis & vitrioli vel sulfuris, vncia vna in aquæ rosaceæ optimæ libra vna cum confect. de Hyacintho & Alkernes ana dragm. vna. Quæ stillata lento igne ad dragmam vnam in iusculis aut cum iulapiis vel emulsionib⁹ pro diuersitate affectus contagiosi, dabat minoratiuis interim vtebatur sed prę-

cipuus eius ſcopus fuit ne remediorum actiuitate aut calore, humorum impetus aut malitia acueretur & cum hoſte adeo effero lenta & ſuaui curatione agens illum placidè expellebat.

Sed inter magnam hanc ægrorum varietatem vnus in admirationem omnes rapuit qui curatus licet, dum per vrbem vagaretur ſubito delirio correptus fuit & omnia illæſâ memoriâ (etiam arcana domeſtica & pudenda reuelabat cumque cachinnis publica faciebat) peruigil interea erat, facieque rubra, tempus erat æſtiuum magnoque vrgebat Syrius æſtu noctu & remediorum frigiditate humores eius maniaci demulcebantur, cum per decem dies talem comœdiam egiſſet morbo perſonatus, nullaque remedia profeciſſent vi ei cucurbitulas cum multa flamma futuris imponendas curauit, poſtea phlebotomiis & topicis capiti admotis, ſed præcipuè vſu Balnei aquæ dulcis in integrum reſtitutus eſt tamen poſt menſem rediit morbus vnde mortuus eſt. Crederem ego Meninges inflammatas & tandem gangrena affectas fuiſſe, ſic olim Abderitana plebs inſaniuerat quod nimio ſub æſtu Tragediam audiuiſſet, vnde poſtea Carmina eius inſanientes dicebant, ſic iſti ardore nimio caniculæ cum inſanirent vrebantur, quidam enim ſe in puteos projiciebant interno acti incendio.

Scintillæ ex capitis frictione.

OBSERVATIO XLIII.

ALibi Narraui me vidisse scintillas ex corpore ac indusio mulieris exire, antiqui idem referunt de capite Seruij Regis, idque in felium frictione & equorum percipitur, sed non in frictione capitis humani vllus adhuc obseruauerat; ego autem amicum habeo qui Scintillas noctu emittit à capite si fricetur, quod ego non tam à vario situ squamularum quarumdam hinc erumpentium pendere autumo quam ab adiposis vaporibus & aquæ vitæ naturæ quæ ab aëre frigido, antiperistase ꝯ s vi accenduntur.

De luce, sole aliisque rebus luminosis.

OBSERVATIO XLIV.

HÆc non pro obseruatione certa sed tantum pro cogitato satis curioso accipe ad lucis cognitionem & astrorum, cum nullus .n. cum verâ sciat scientia quid hæc sint, dubiam hanc tibi propalabo sententiam meam quæ an vera sit, nec ne, tu ipse iudica; à terræ motu perpetuo calor in eius centro generatur, motu enim violento omnia calescunt, rotæ accenduntur, metalla fun-

duntur,&c. Calor ille centralis vapores pellit ad superficiem terræ, subtiliores autem vapores primi emittuntur vt in chimicis operationibus videre est, mundus autem est tanquam opus chimicum, cum terra fit fex, & cœlum ac nubes partes subtiliores quæ sponte sua sedes suas acceperunt & rursus acciperent si immiscerentur vt in quibusdam videre est liquoribus vtpote, aqua vitæ, aqua tartari, & spiritu Therebentinæ, quibus iunge smaltum nigrum vt 4. elementa in Phiala conficias. Vapores ergo subtiliores eleuantur à terra, hi vero aquæ vitæ naturam habent quæ accenduntur sine manuum læsione ob tenuitatem suam vt videbis, in linteo vulgari spiritu vini madido si accendatur cumque è rebus infinitis vtpote dactylis, pomis, cereuisia, melle, &c. elici possit ardens spiritus, eaque omnia à terra prouenerint, non dubitandum est in terra talem esse spiritum & ab eo erumpere vi caloris centralis. Erumpit ergo ille spiritus idque indesinenter, & statim ab ortu suo accenditur solis calore quoniam subtilior est millesies quam aqua vitæ communis,& ideo nos adhuc min⁹ lædere potest,quoniam vero aqua vitæ refocillantur spiritus sic etiã est in aëre spiritus ille occultusq;vitę cibus de quo loquitur sen diuogius vnde fit vt absq; aëre subsistere nequeamus, cum vero eius flamma perpetua sit & perpetuo emittatur nullosque habeat terminos ideo illam percipere nequimus, tum ob amplitudinem tum maximam tenuitatem & flammæ hæc benefica est id quod lucis nomine nuncupamus, sic ergo lucent omnia corpora terrestria quæ astra vocantur, sed nox ob vmbras ipsorum & montium dum circumgyrantur procedit, ab

vnaquaque vero harum terrarum seu congeriarum materiei in aëre pendularum lucentiumque mittitur lux alibi, & omnes in idem punctum seu centrum concurrentes illud quod solem vocamus producunt qui immobilis est & semper lucem à multis terris & astris recipit, vbi lux illa coaceruata augetur vt in speculo & rursus ad omnes cum vsura communicatur, & majori vigore per radios descendit.

Dementia ab esu radicis hioſciami.

OBSERVATIO XLV.

RVsticus mihi notus incautè radices Hioſciami cum Napis miſcuit & comedit vnde in dementiam miram decidit tota familia, ſed ludicram vadè cum inſtar ſimiarum multa ridiculas ederent actiones, tandem vero hæc ſponte ceſſarunt & priſtinum mentis ſanum habitum recuperarunt.

Ad aſthma.

OBSERVATIO *XLVI.*

FLores roriſmarini & defectu eorum folia ſi coquantur cum vino opt. & melle ad dimidiæ partis conſumptionem capianturque ante ſom-

num, aſthmati mirè conferunt, vocemque clarificant optimè.

Demoniacus ſimulatus.

OBSERVATIO *XLVII.*

INdies videntur falſa miracula, amicus quidam meus ad demoniacum ductus illum ſpumantem vidit, dentibus ſtridentem, vlulantem, & mirè ſe circumuoluentem, attamen vir audax auſus eſt pulſum eius digitorum ad carpum admotione explorare, eumque ſanum inuenit, vnde agnouit impoſturam & tandem quæſtionibus ei factis latinè vidit ignarum fuiſſe diabolum & totum perturbauit myſterium. Alia multa referrem ſed ſponte illa taceo ne eos quorum intereſt excandeſcere faciam.

De Balena.

OBSERVATIO *XLVIII.*

CRediderunt ferè omnes Ionam deglutitum fuiſſe à Balena nec aliter eius refertur hiſtoria niſi quod per triduum in ventre Balenæ delituit, ego vero quæ comperta habeo à viro meritiſſimo qui innumeras vidit Balenas hic referre volui vt tantum auferrem errorem.

Balena habet æſophagum adeo anguſtum vt vix

humanam coxam superet & sic nullum hominem vorare potest viuum, præterea non est carniuora sed herbas tantum in fundo maris nascentes depascitur eius enim intestina herbis referta repertiuntur, nec quicquam aliud in eis adhuc obseruatum est, quare cum D. Bocharto viro maximæ & stupendæ eruditionis canem carchariam piscem Ionæ fuisse censerem cum in eo viri integri reperti olim fuerint.

Labia magna.

OBSERVATIO XLIX.

VIrum loquacem vidi cui labia sæpissimè intumescebant adeo vt molem horrendam attingerent, hæc tamen pristinum habitum sola aquæ cum linteis frigide admotione quoniam hac, humores alibi repellebantur.

Arcanum mirum ad sanguinem constringendum.

OBSERVATIO L.

CHirurgum noui qui crura & alia membra amputabat nullis ferris candentibus admotis & tamen sanguinis impetum sistebat quasi incantamento, quare pro mago à nonnullis habebatur, & profectò ferri illius candentis admo-

tio res horrenda eſt quare remedium iſtud iam propalandum, non parui momenti eſſe debet nec mihi parua gratia pro eius reuelatione debetur. Alumen ſolum eſt cuius turundulas faciebat ſed illud atramento vel aliis rebus tegebat ne agnoſceretur, & poſt membrorum extirpationem eas in magnarum venarum orificia intrudebat quantum poterat, deinde ſpleniis multis admotis & pluueribus adſtringentibus omnia ei fœliciter & abſque vllo vnquam prauo Symptomate ſuccedebant, curaque iucundius facilius & cum minori dolore fiebat. Sic fuit alius qui venæ brachij ſanguinem ſiſtere non poterat, quam ego impoſito alumine conſtrinxi ſtatim.

Oculorum hydrops.

OBSERVATIO LI.

OCulos Monachi cuiuſdam Trinitatis adeo ingentes vidi vt vix in orbita continerentur & ſemper prolapſum minari viderentur quod ab affluxu humorum fiebat hic tamen præſcripto cauterio potentiali ad occiput collyrioque adſtringente ex vitriolo albo curatus fuit.

Cornu in pede & plantabile.

OBSERVATIO *LII.*

VIdi nuper cornu cum gyro ſolito ſuo, in pede veruecis, videram olim in vacca, & illud à

Cabrolio è gena vetulæ amputatũ quod quidem mirum est, naturam in locis adeo à capite remotis cornua producere posse, sed credo hæc è materia nimia vngularum prouenire, vt aliæ à defectu dentium superiorum quorum materia ferè eadem est cum cornibus vel medium quid vt videre est in cornu Rhinocerotis quæ in naso & dorso nascuntur, & in dentibus elephanti quæ à nonnullis inter cornua reponuntur. Cornua etiam veruecina & bubula vidi quæ radices in terra egerant vt cornu plantabile Linschotti.

Quatuor cornua etiam in veruece vidi Peregrino & magno, quorũ duo erant curua alia verò media recta sursum, in quo ab aliis veruecibus duobus quos videram differebant cuius 4. cornua incurua erant.

Vaccam rursus vidi quæ quinque cornua in pede habuit in quo instar manus digitorum dispositа erant.

Fistulæ cura notanda.

OBSERVATIO *LIII.*

D N. de Lautrico. Ab antiquo Bombardæ ictu. in podice fistulam habuit, pro incurabili habitam ab omnibus Chirurgis sed tamen miro naturæ conatu & quasi miraculo sanata fuit, labia enim fistulæ lapidefacta ferè erant, hæcque instar annuli calloſi exuta, eruta & eiecta sola naturæ vi fuerunt & inde cura integra facta fuit, sic natura monstrante viam, Medici enim boni

eius tantum imitatores sunt, hæc enim artium magistra est, retuli alibi Chirurgum quemdam callum similem remouisse à fistula incurabili antea sed post eius amotionem ope nouaculæ ad curam optimè deductam fuisse. Sic multi fistulas importunas per totam vitam cum maximis ferunt incommodis quæ sic curari possent satis facili negotio.

Fœdi colores puellæ.

OBSERVATIO LIV.

NIl frequentius est quam fœdi in Virginibus colores, sed quod in puella 8. Annorum reperiantur hoc quidem insolitum & tamen à me visum fuit, sanguinis etiam quodam mictu seu potius stillicidio detenta fuit, quæ cum insolita valdè sint ea tacenda esse non censui.

Dolor Ischiadicus pertinax curatus.

OBSERVATIO LV.

VOcatus fui ad fabrum ferrarium optimum loci de la Bechonie, non procul à patria mea curandum, is autem Ischiadicis cruciatibus immanibus semper ferè afflictus erat, adeò vt incedere nullomodo posset, præscripsi Ialapij infusionem ad dragmam vnam in vino albo per tres

vices easque singulis mensibus reiterandas si opus esset & tamen post primas benè se habuit & absque fulcimine incedebat, aquas enim purgat optimè lalapium. Leuamen etiam affert vesicans regioni Ischij admotum remedium, ex eius enim vesicis forficulis apertis effluunt aquæ, quibus euacuatis leuatur dolor.

Vir araneas innoxiè vorans.

OBSERVATIO *LVI.*

DOctor Musicus, Organorum Musicalium, Magister Londinensis, isque peritissimus araneis deglutitis suos omnes tanquam panaceâ optima, morbos curare solitus erat. Sic Mouffetus in insectorum theatro memorat Nobilem etiam Magnæ Britanniæ puellam idem facientem ac si illud huic insulæ peculiare esset. Sic ferunt aliam puellam ab Alexandro amatam fecisse. Gallinæ quidem & multæ aues araneas innoxiè vorant, quare, hæ mulieres aut viri potuerunt eiusdem naturæ fuisse, vel non tale est venenum vt credimus in illis, cum à quibusdam etiam sine noxa comedantur bufones, vel non eiusdem speciei fuerunt cum nostris illæ araneæ, quædam enim non venenatæ reperiuntur ex Mouffeto supra memorato, & cum in Anglia aliisque insulis venenum insecta amittere multi retulerint hæc ideo ibi facilius fieri potuerunt.

A laudani

A laudani nimia doſi vena aperta.

OBSERVATIO LVII.

MAxima vtendum eſſe cautela in Narcoticorum vſu ſequens monebit Medicos omnes obſeruatio. Medicus mihi familiaris, cuius nomen honoris eius ergo reticebo licet plura mihi nocumenta, inuidiâ illâ horrendâ quâ figulus figulo & Medicus Medico inuidet, intulerit, in praxi Medica: is ergo viro etiam mihi noto ſomni conciliandi gratia laudani duplicem dedit doſim, immemor ei venã nuperrimè ſectam fuiſſe, quare dum membra languentia & ferè inſenſibilia hoc ſomno reddita eſſent, effluxit ſanguis è brachio adeo vt eius effluuio nocturno perierit.

Hæmorrhoidum ſtupendus fluxus.

OBSERVATIO LVIII.

NRaulinus veſtium Sartor Caſtrenſis tanto hæmorrhoidum fluxu aliquando detinetur vt ad decem libras & quaſi torrentes ſanguineos effundat eſt autem vir quadratus, & Iouiali præditus temperamento. Syrupo de roſis ſiccis nimius ille fluxus cohibitus fuit meo conſilio.

Ad alui fluxus omnes.

OBSERVATIO LIX.

TVrchesiæ nouæ rupes, quæ dentium figuram habet albaque est, non enim colorem pulchrum cyaneum nisi in igne fraxini capit, ad dragmam vnam si propinetur valet ad omnes alui fluxus & contra vermes & præcipuè ad dysenteriam.

Anginæ stupendæ.

OBSERVATIO LX.

DRiuerius Castrensis Chirurgus vir sanguineo & bilioso præditus temperamẽto multoties angina detentus fuit tanta vt pro mortuo semper & conclamato remanserit, attamen phlebotomiis frequentibus tum brachij tum ranularum sub lingua semper curatus fuit, cumque hæc sæpe recurrerint toties phlebotomatus fuit vt non amplius tundi possint eius venæ nisi in præcedentium vulneribus.

Vir qui nunquam lac gustauit.

OBSERVATIO LXI.

SEnem vidi à sancto Amantio circa Vrbem Castrensem oriundũ qui ab ortu pro lacte odium tantum habuit vt nunquam illud degustare voluerit, quare iusculis solis nutritus fuit. Sic quædam sunt antipathiæ quarum ratio difficillimè referri posset, cum ab ortu puerorum veniant & non consuetudine, sic illustrissimus D. de Schomberg cum multis Germanis, felis non solum aspectum sed etiam latentis odorem absque liporhimiis ferre nequit, idem de mure facit alter mihi notus, & de cane, nobilis mulier mihi etiam nota.

De admiranda rerum resurrectione.

OBSERVATIO LXII.

LIcet multoties de hac re disseruerim, tamen adhuc crambem recoquere non pigebit, cum noua quædam de hac re habeam dicenda cumque hinc innumera in natura admiranda adhucque delitescentia erui posse censeam imo nouam Phisicam hinc aliquando emersuram non dubitem, nullumque adeo stupendum arcanum post lapidem Philosophorum in rerum natura esse existimem. Probaui alibi semina rerum in salibus

deliteſcere, illudque confirmaui eo quod ſerendo plantarum ſales, iterum naſcuntur, vt & ex animalium excrementis ob ſalem copioſum, probaui iterum illud glacie lixiuij plantarum & multis aliis exemplis quibus figura in glacie percipitur plantæ combuſtæ, vel vmbratilis eius figura in liquore emergit vt vidit olim Quercetanus vtque multi amici mihi retulerunt. Huic incumbere ſtrænuè decreui vt poſſim tanto arcano admiranda quæ ſequuntur publici iuris facere.

Cum anima tota ſit in qualibet parte certum eſt quod è fruſtulis fructuum vel liquorum vel radicum videbimus in glacie vel vmbra eorum phantaſtica integram plantam & ſic controuerſiæ authorum de certis plantis dirimentur, ſicque poterit quicumque hortum Botanicum Phialis incluſum in cubiculo ſuo aſſeruare cum inſcriptionibus adeo vt planta optata quæcumque abſque vlla cultura ad placitum ſeſe oſtendat cum propriis coloribus. Spero me breui rem propalaturum non enim penitus eius ſecreti ignarus ſum, ſed rem imperfectam tradere non adhuc volui, ſufficit vt reuelemquæ inde emergere poſſunt cum arcana ad immenſa conſcribenda volumina hinc erui poſſint, nemo tame illud videbat, ego ergo animos ſtimulo, vt ſiquis me potius hæc attingat mihi gratias agere dignetur quod res indigitarim, neque econtra mihi inuenti gloriam vt aliis fieri ſolet ſurripiat.

Neque ſolum de Plantis cognitis ſed & de incognitis ſcientiam habebimus per fructus, ſemina & fruſtula quæ maris inconſtantia ab incognitis deponit ripis, quæque in muſæis curioſorum aſſeruantur. Et quod magis mirum idem de ani-

malibus fiet, habebis Arcam Noë in Muſæo. Sicque videbis formas rerum omnium immortales eſſe, maximum reſurrectionis argumentum, & ſpiritum illum archeumque rerum ſibi corpus ſolitum iuxta ſcientiam ſuam & prædeſtinationem concinnare poſſe, magneticè materiam ab elementis attrahendo, cumque in aqua illa non habeat craſſa elementa, vmbratile tantum ſibi corpus effingit.

Sed quod omnem admirationem ſuperare debet, id de hominibus fieri poterit, & in Phialis licita necromantia, patrem, auum, atauum, totamque proſapiam, imo antiquos Romanos, Hæbræos, & quemcumque volueris abſque Pythomiſſa ad libitum accerſebis cum propriis figuris, modo eorum cineres vel oſſa ſeruaueris, aliaque majora quæ non adhuc reuelanda eſſe exiſtimo.

Vtque experimentis hæc confirmentur & non ſolis verbis innitamur. N. de Richier ſaponarius & Bernardus Germanus ex relatu D. de Gerzan & aliorum, ſanguinem humanum Lutetiæ diſtillantes, quem veram lapidis ſui materiam credebant (& non adeo malè forſan.) Viderunt in cucurbita phantaſma humanum è quo ſanguinei radij proſilire videbantur & rupto vaſe inuenerunt tanquam cranium humanum in fœcibus. Eandem refert ferè hiſtoriam eques Anglus Fludde quodam, la Pierre vocato. Qui mugitum ingentem audiuit quo hoſpites eius perterriti fuerunt, & Phantaſma vidit humanum, aiunt autem hæc accidere tantum cum ſanguis petitus eſt à viro qui mortuus eſt, à capite truncato enim carnificis manu ſanguinem habuiſſe ferebatur, hincque quidam concludunt in ſanguine animam reſidere

iuxta antiquorum doctrinam, imo & Hebræorum qui ideo à sanguine abstinebant. Fuerunt etiam tres curiosi qui terram S. Innocentij id est loci innumeris corporibus mortuorum pleni, Lutetiæ etiam, pro vera acceperunt alchimiæ materia & phantasmata etiam in Phialis perceperunt à quibus non parum perteriti fuere. Hinc fit quod à sole eleuata hæc à terra Phantasmata vt plurimum in cæmeteriis videantur quæ pro diabolis habentur cum tamen naturaliter erumpant, sic Albertus-Magnus figuras è terra olim euocabat, sed hæc noctu tantum conspicua sunt quoniam cum luminosa parumper sint, à solis lumine vt stellæ confunduntur adeò vt apparere nequeant licet tamen ibidem sint.

Quod ad plantas attinet, vidi nucis figuram in oleo nucum exsiccato, pomorum succus congelatus mali figuram etiam apud amicum exhibuit, alter in lixiuio cancrorum, figuras eorum vidit, sed quod maius est quidam, non solum figuras vident à sale resurgentes sed reuera animata corpora è sale illo exsurgunt vt de cancris calcinatis & in aqua stagnante projectis expertus est D. de Chambulan & alij mihi cogniti. Vt & de bufonibus calcinatis, sicque asseuerat Rochas in Phisica sua bufones ex anatis corruptione oriri quod eos comedat, & ex ardea luciis nutrita, lucios rursus oriri copiosos si vero ex carpionibus carpiones. Hinc fit quod terra stagni siccata & rursus aquæ commissa rursus pisces progenerat.

Sed redeamus ad plantarum figuras seu euestra rerum paracelsi. Ernestus de hisce agit, vt & Tenzelius, & ego passim loquutus sum. Petrusque Mormius in Collegio suo rosiano ait quod sciunt

ſpiritum vegetabilem elicere ſcilicet ex animalibus, perfectis inſectis & plantis. Hæc ſunt initia & rudimenta reſurrectionis & renouationis ac regenerationis rerum, ſic piſcis in vulnere generari potuit à ſe inflicto vt alibi notaui, & canum figuræ in vrinis demorſorum. Pingit Libauius figuram plantæ in vaſe genitæ eodem pacto.

In aceto, viridi æris impręgnato D. Breſſius amicus meus folia vitis ſtratum ſuper ſtratum inuenit eaque viridia & quaſi è vite. Alter in clyſtere congelato folia multarum plantarum obſeruauit, ſed nota quod licet vrticas & cum ſpinis viderint quidam vt Quercetanus & alij ſupra glaciem, res melius videbis in corpore altæ glaciei quare vas profundum lixiuio plenum congelationi exhibendum eſt & deinde glacies eximenda & per tranſuerſum contemplanda. Hæc ſunt, archeorum conatus qui corpora ſibi analoga prioribus quæ amiſerunt facere conantur, ſicut vero calore modico euocantur roſarũ, &c. figuræ vt retulit de Polono Quercetanus & poſt illũ Mullerus & Roſenbergius ſic etiam vere noſtro veniente igne orbis excidij, vrgente formas, reſurgent rerum omnium animæ cum tenuibus corporibus & ſpiritualibus. Et ſi ex ſanguine humano forma euocaretur neſcio an ex ſanguine amici viuentis poſſet eo procul remoto reuocari forma quæ eius ſtatum verum oſtenderet Sympatheticè & ſic arcanum illud adeo quæſitum reperiretur è longinquo communicandi. Aliud præterea admirandum ſecretum reperietur ex formarum iſtarum euocatione, cum enim erit aliquis qui arcanum ſuum Medicum vel Chimicum noluerit detegere, modo det medicamentum ab illo formas planta-

rum rerumque omnium quibus constabit euocabis & sic deteges secretum eius.

Et ne quicquam superſit, è mineralibus etiam formæ euocantur & ramificantur vt cum in mineris ſuis exiſtunt, ſic fit arbor dianæ ſeu Philoſophica per aquas fortes & aurum argentum Mercurium,&c. quod nemo ignorat. Nuperque D. Barlet mihi è Tartaro Vitriolato arborem mirificam oſtendit in medio vaſculi ſtantem & innumeris ſurculis albiſſimis cum ſuis copioſis ſubdiuiſionibus & ramificationibus conſpicuam quam D. La Nouio noſtro dono dedit, mihi vero figuram plantæ in fœce cuiuſdam medicamenti conſpicuam inſtar iuniperi conceſſit quam adhuc aſſeruo. Hæc omnia propalare volui vt ſint tanquam ſtimulus curioſis omnibus ad penetralia illius Arcani ſtupendi inquiſitionem, & ſi quis potius me, meo monitu, meque felicior illud attingat, mihi maximum pergratum faciet ſi illud communicare dignetur, alia enim eius vice omnia quæ apud me erunt communicabo libentiſſimè.

Macies à nucis myſticæ fruſtulo gutturi hærente.

OBSERVATIO *LXIII.*

DE Catyli dux Rothomagenſis cum incautè nimis, nucis Myriſticæ fruſtulum deglutiſſet, incidit in tracheam arteriam, quod tamen ille non exiſtimarat, quare licet tuſſi magna premeretur, ad hæc non animum conuerte-

bat, emaciabatur interim indies, tandemque ad extremam deuenerat emaciationem, cumque iam morti propinquus crederetur, semiputre frustulum illud nucis myristicæ cum tussi ac magno conatu eiecit acidis irritata remediis aspera eius arteria & abhinc paulatim pristinum recuperauit habitum.

Oris vlcera magna.

OBSERVATIO *LXIV.*

PEtrus Trinques textor Castrensis tantis vlceribus os excoriatum habebat vt vix loqui vel cibos, liquidos licet, sumere posset, vocauit me ad curam, curaui illum vsu gargarismorum cum aquis plantaginis & rosarum, & lapide mirabili Crollij. Quod ad alia vlcuscula alumine optimè sanantur, si vero venerea sint vt nuper in lingua cuiusdam vidi, quæ exesa parum erat, aqua forti tangenda sunt leuiter.

De ligaturis nuptorum.

OBSERVATIO LXV.

EXistimarunt multi genitalia ita ligari posse vt nupti coire nequeant, sed tamen hæc impossibilia sunt, amicumque vidi ab alio jocosè ligatum & solutum postea. Hæc enim accidunt reuera sed proueniunt à reuerentia quadam, à nimio

gaudio, vel econtra ab odio vt accidit cuidam mihi noto apud meretricem, vel à nimio ardore, aut imaginatione læsa, à metu vel pudore.

Hæcque apud Michaëlem de Montagnes confirmata reperies.

De ambari grisei origine.

OBSERVATIO LXVI.

VT plurimum rerum causę nostram effugiunt sedulitatem & ratiocinium & econtra quandoque sese nobis vltro offerunt, sic Archimedes in balneo suo coronæ mixtionis optatæ rationem, tamdiù frustra inuestigatam reperit, vnde præ gaudio nudus, exclamans EYPHKA, EYPHKA per Vrbem prosiliebat, sic etiam existimo me veram ambari naturam & originem detegisse quod tamen non tacebo vt si vera ab aliis reperiantur, rem altiùs inuestigantes tandem ad eius generationem copiosam deueniant, vt sanitati humanæ paruo precio consacretur.

Quod autem nemo adhuc clarè quid sit ambarum sciuerit. Hinc percipi potest quod, 1. quidam dicant bitumen esse, quoniam flammam concipit, sic enim Burdigalæ rusticus erat qui frustum eius inuenerat post naufragium & in candelas redegerat. 2. Alij fungos marinos esse dicunt. 3. Alij gummi arborum vnde ab vndis decutitur. 4. Alij excrementa auium quarundam per rupes stillantia in aquas, vel in massam redacta & à fluctibus marinis inde auulsa. 5. Alij

à piſce azel prouenire, eſſeque quaſi ſperma eius. 6. Alij adhuc ſibi alia finxere, ſed nullus mea ſententia rem attigit.

Primum enim eſſe nequit cum bitumina vt plurimum fœteant nec in mari potius generentur quam in fontibus quibuſdam, cumque bitumina eſui non apta ſint, neque calori vitæ noſtræ conuenientia alimentoſaque vt ambarum.

Secundum eſſe nequit cum figuram fungorum vnquam illud habere vllus perceperit, fungique putreſcant nec naturam inſtar illius corroborantem habeant.

Tertium etiam eſſe nequit, cum ab arboribus gummi nulla maſſa tanta ac quæ ambari viſa eſt exiſtat. Præterea gummi diſſoluuntur in aqua, nec vires eius miras obtinent.

Quartum etiam eſſe nequit cum auium excreta fundum petant & diſſoluantur in aquis, nec naturæ conueniant ſed econtra cauſtica & vt plurimum fœtida ſint, neque nutritiua ſunt vt ambarum.

Quintum tandem eſſe non poteſt cum ſpermata animalium ſoluantur & non coagulentur in aquis neque ſint edulia, & viſa ſunt balenarum ſpermata ab hoc longè diuerſa & tandem raro reperitur ambarum in locis in quibus abundant balenæ & fertur quod econtra azel & alij piſces vorato ambaro moriuntur. Quare concludo nil horum eſſe ſed potius ceram melle imbutam, quod hac obſeruatione confirmabo. accidit vt anno 1653. D. Comitis Deflers filij Lutetiæ natantes ceræ fruſtum in aqua repererint odorem ambari habens omnino, adeo vt omnes aduenientes id olfactu perciperent, credendum ergo eſt longa

ceræ in aqua malaxatione & digestione ceram hunc odorem sibi comparasse quod facilius in aqua marina forsan ob salem accidere potest Inde ego collegi ambarum ceram sic tantum esse, sunt enim multæ Regiones & Syluæ in maritimis oris in quibus apes mel in arboribus conficiunt vt passim in Moscouia, Russia, &c. Adeo vt ex Lud. Guyone in variis suis lectionibus, vir quidam in mel simile ad collum vsque cecidisset ibique mortem obiisset ni aburso qui ad mel vorandum venerat, pedem eius capiens, extractus inde fuisset. Maris autem inundationes possunt mel illud cum fauis auferre vt & arbores integras, fluitant autem hæc diù & nescio an agitatione, an salina maris qualitate, an calore solis, an antiquitate, melle hoc in aquis soluto, cera restans ab vndarum percussionibus constringatur adeo vt loculos eius fauosque percipere nequeamus, sed nigredines quædam quæ sunt apes mortuæ vel arborũ frustula, quodque arcano Obs. 62. Hanc præcedentis, tantum detegi poterit, ni forte vel sedula inspectione melius quam huc vsque hac aperta porta inquiratur. Dulcedine autem mellis allecti pisces mel illud cum fauis deglutiunt, cumque à paruis massa integra deglutiri nequeat, à magnis deglutitur & cera intestina eorum obturans eos occidit, fertur enim ambarum in ventre cetorum repertam mortuorum ac fluitantium auerso ventre fuisse. Vnde natus est error in iis generari forsanque ambarum griseum vel album vel nigrum fit à varia piscium digestione qui illam ceram vorant, vel iuxta variam in mari ac diuturniorem agitationem varios gradus bonitatis acquirit & colores. Præterea ambari fractura eadem est cum

illa ceræ & eosdem colores capit cera si soli exponatur & rori vel aliis aquis humectetur, fit enim grisea & alba vt ambarum. Tandem Chimica arte emelle & cera parantur elixiria & essentiæ miræ ad sanitatem, sicque ambarum vires exerit ad corporis vires portentosas, ob tantas ergo vires necesse est ambarum rem animalem esse, nulla enim planta, nullumque minerale adeo naturæ nostræ amicum est, vt quæ ex animalibus proueniunt, nilque æquè ac mel naturæ nostræ proficuum est quod exemplo Democriti, Zenonis, Babiloniorum, Pythagoreorum, Pollionis, Macrobiorum, &c. qui diu eius vsu vixerunt, centesimum annum absque vllo morbo superantes cum enim, fructus imò & cadauera conseruet vt de Alexandro refert Statius & Plinius de Hippocentauro, potiori iure viuentia incorrupta seruabit probatur ambarum ad candelam aciculam calidam ei indendo vnde quasi oleum erumpit. Idem autem faciet cera. Quod ad quisquilias & rostra sepiarum, &c. quæ in eo reperiuntur fieri potest vt facilè ceræ agglutinentur.

Nota quintam mellis essentiam fragrantissimam esse, ambarũque reperiri quodsubito odorem non habet requisitum. De ambari origine differuerunt Simeon Sethus, Aëtius, Auicenna, Serapio, Auerroës, Ferd. Lopez, Scaliger, Garcias ab Horto. Monardes, Clusius, &c. Sed omnes discrepant & ridicula credunt.

Tandem quod ad ambarum luteum quo festucæ attrahuntur attinet, crederem etiam esse mel congelatum & à frigore antiquo quasi lapidefactum, ideoque ob mellis dulcedinem allecta in secta ei adhærent, & in Moscouia & aliis Regio-

nibus Frigidis ac melliferis reperitur. Odorem enim multum & oleum vt mel & cera (dat si non aliud succinum quod est tantum lapis fuluus accipias) & ad eosdem morbos valent.

Sed vt rursus ad griseam reuertamur, Andr. Baccius ambram animale quid censet, & Terentius Faber ac Columna de rebus Mexicanis aiunt repertam fuisse ponderis 300. Librarum quare non est fungus nec alia quæ credita fuere, atque expeti ab auibus, cancris & aliis pisciculis, vt & à Vulpibus quorum ope venatur in maris littore quare cum alimentum sit excluditur à Bituminum familia.

Lethalis periodus.

OBSERVATIO *LXVII.*

PEtrus Bonetus Viuarienſis incidit in ſubeth, à quo tamen curatus fuit, iterum tamen anno ſequenti & eadem die in idem incidit ſymptoma, à quo rurſus liberatus fuit, ſed tandem tertio eadem adhuc die ab eodem petitus fuit ſubeth cum maximo, repentino, & omnino inopinato humorum affluxu, conuulſioneque, adeo vt linguæ intumuerit, & loquelam amiſerit, vnde mors breui ſucceſſit, remedia enim ſolita, vt cucurb. cum ſcarif. &c. nequicquam profuere. Hinc patet periodos eſſe varias, quemadmodum enim in febribus reperiuntur vnius diei, duorum, trium, imo. 7. & 15. Sic etiam anni & forſan aiores reperiri poſſunt.

Ad dolorem dentium.

OBSERVATIO LXVIII.

EMplastrum ex pice Burgundica cum puluere nucis Moschatæ arteriæ temporali admotum multis contulit, eosque à dentium dolore liberauit.

Hamus labio infixus.

OBSERVATIO LXIX.

DTirefortius Chirurgus Castrensis puerum curauit feliciſſimè cui hamum alius labio infixerat hamus autem erat trisulcus vt serpentis lingua, quare auelli nequibat absque cruciatibus maximis & laceratione, vel nouacula dilatandum vulnus erat quod etiam doloroſum valdè fuisset cum multoties illa vtendum fuisset, quare consilium fuit, hamum adhuc magis intrudere vt in auersam partem penetraret, quod facilè factum fuit & sic breui curatus fuit puer vt in vulnere vulgari fieri solet.

Tabes vsu melonum curata.

OBSERVATIO LXX.

I. F. Vxor cognata mea ad tabem vergens, cum peponum vsu in cibis se melius haberet in eorum vsu magno perseuerauit & planè curata hoc solo remedio remansit : Cum enim dulcibus recreetur pulmo & pectus, dulciaque nutriant, non absurdum erit eadem aliis tabidis præscribere.

De custodia phreniticorum.

OBSERVATIO LXXI.

D. Thomasius Senator Monspelienſis, D. Rassium Medicum mihi familiarem ac eruditum virum, pro præceptore filiorum suorum habuit, is autem ægrotauit & in delirium ac Phrenidinem incidit, dum autem optimè à D. Vigierio Medico Castrensi doctissimo curaretur, custodes illum per tantillum temporis solum reliquerunt, quo momento ille surrexit & aperta fenestra, altissima licet, se præcipitem dedit vnde breui mortuus est. Hinc colligendum, numquam ægros deliranres solos relinquendos esse, ne quidem momento, sunt enim astuti in proprium damnum & sibi fingunt se iniuria captiuos retineri & euadendum esse per fenestras, arreptâ occasione.

De

De potu in itinere.

OBSERVATIO LXXII.

DVm iter faciunt homines præcipuè vigente calore, & hoſpitium appellunt, potum ſtatim petunt, vel ſi alia ſit tempeſtate ad ignem accedunt & ſubito lipothimiam patiunrur idque mihi accidit, aliiſque multis vt ab hoſpitibus audiui quoniam cum iam ſpiritus agitatione viæ excentrati & ad circumferentiam euocati eſſent, potu Frigido penitus expellũtur vnde defectu ſpirituum ſincope ſuccedit, idemq; ad ignem contingit quia ſpiritus iam euocatos ad peripheriam ad ſe elicit. Quare oportet primo manus lauare & potius extra corpus aquam ponere, quia ſpiritus rurſus ad interiora frigiditate recurrunt, vnde fit vt aquæ externa reſperſione reuocentur qui in Lypothimiam inciderunt potius quam potu, præterea meiendum eſt, & aliquantulum quieſcere antequam potum vllum hauriamus.

Arcanum ad podagram & lithiaſim.

OBSERVATIO LXXIII.

EN Arcanum quod cum magna habui à Germano quodam difficultate. Acc. menſe Maio Scarabeorum ſub cærulæorum ſpeciem amygdali

nudi Crassitie, quæ in viis reperitur matutino tempore, statim atque tanguntur, aquam gummosam quandam emittunt tanquam inuidia quadam naturæ. Quare ne digitis tangantur sed chartæ subito excipiantur & exsiccentur igne, proiectis pedibus, alis & capite, fiat inde pulvis & cum Caryophilli modico à 4, ad 7. grana in vino manè per tres dies propina si sit necessarium nec prima aut secunda vice sufficiat.

Næui rari.

OBSERVATIO *LXXIV.*

LOcutus sum de muliere figuram Soleæ marinæ in fronte habente, sciunt etiam omnes curiosi Parisienses fuisse in Palatio linteorum sutricem quæ in fronte mentulæ figuram habebat. Sed noui adhuc virum cancri fluuiatilis figuram corpori insculptam gerentem, aliumque piscis figuram marini circa cordis Regionem quæ omnia precedere existimo à Seminaria formarum idæa quæ non semel per aëra volitat (sic enim in summitate turrium plantæ nascuntur) & inseruntur non in Matre quia fortius resistit sed in fœtu ob teneram eius carnem. Sic fulmen agit non in marsupium sed in aurum inclusum & sic iuxta patientium dispositionem agunt agentia.

Scalpella magica.

OBSERVATIO LXXV.

QVidam sunt qui dentiscalpia auriscalpiaque habent quæ tactu solo dolores dentium, aurium & oculorum tollant, ego vero cum certò acceperim esse tantum magnete tacta, id tibi reuelare volui.

Secretum mirum ad transcribendos libros & imagines æri incisas.

OBSERVATIO LXXVI.

PRopositio istius Arcani mihi à Doctissimo curiosissimoq; Domino Samuële Hartlib. communicato fidem superat, & nequidem à demonibus fieri posse videtur, proponit enim librum transcribi posse intra horam, magnum licet, & quauis lingua etiam orientali, idque absque sumptibus & ab ignaro, imo à famulo vel ancilla, & idem de figuris æri incisis. Id tamen sic fieri potest.

Acc. saponem venetum, larde minutim, & cineris querni tantundem nec non calcis viuæ propemodum addas. Tria hæc in olla noua coquantur aquâ, tum cocta ista materia, pluma leniter illinatur liber exscribendus, atque inter quodli-

bet folium inseratur chartæ mundæ aliud folium, quod & ipsum illini potest leniſſimè, vel nec illini, modo impressa charta lita sit. Sic claudatur liber probè & post paululum temporis torculari inseratur, vel malleo tundatur sed prior modus præstat, & expertus est. Ita exprimitur Typus in foliis mundis accuratè, & tantum abest vt liber impressus corrumpatur, vt mundior potius eò fiat; quam ante fuerat. Exempta folia colliguntur & in speculo directè & perfectè leguntur ac si reuera impressa essent. Sed pro imaginibus speculo non opus est. Sic pauper licet sis, poteris paruis sumptibus Bibliothecam facere, eamque quasi incantatam cum tu solus in ea legere possis nempe ope speculi, vel transluces. Alij idem cum sale nitro sapone & aqua vitæ idem peragere volunt, vides lector quam ingenuè tibi omnia, etiam rariſſima reuelem quare iis fruere, nec nimium indignis doce.

Ad febres omnes.

OBSERVATIO *LXXVII.*

ACc. Vitrioli Cyprij frustum, & in libris quinque aquæ infunde per horæ quadrantem, bibe huius aquæ ceruleæ vncias sex mane, per sex dies duabus horis ante cibum, si vomat æger curabitur, (remedium reiterando) intra decem dies.

Martis crocus etiam bonus est ad idem.

De blemmis seu viris acephalis.

OBSERVATIO *LXXVIII.*

NArrat Plinius, Solinus, Munsterus & multi authores post illos homines sine capite seu qui capita in pectore habent in India reperiri, cum autem nil absque fundamento dicatur, & à nouis quibusdam authoribus istud confirmetur nolui tacere quæ de illis comperta habeo, audiui autem ex viro integerrimo qui illos vidit homines, eos esse viros altis humeris præditos adeo vt capita ferè in humeris sepulta habeant, habent præterea collum breuissimum & ferè nullum, & comas longas quæ caput cum humeribus adeo confundunt vt reuera videantur acephali & caput in pectore habere. De hisce vide Lycosthenem de monstris Vl. Aldrouandum, &c.

Abortus simulatus.

OBSERVATIO *LXXIX.*

NVnquam satis magna vti potest Medicus cautela in morbos simulantibus detegendis, quare Galenus librum de morbos simulantibus fecit. Alij enim vt carcerem vitent, vel vt ab illo egrediantur, alij vt à domo quadam recedant, alij vt pro ægrotis habeantur vt scholastici, Me-

nachi, Amasij, &c. vt viros amatos cernere possint; alij vt vindictam de eo qui eos verberauit sumant & ob multas causas morbos simulant, ob vltimam hanc rationem mulier fuit in patria mea quæ vt aborsum simularet se passam esse & sic in carcerem conjicere faceret eum qui eam verberauerat, & pecunias ab illo extorqueret, sanguinem & leporis frustula in matricem injecerat vt obstetricem vocatam falleret, quæ testaretur eam aborsum passam fuisse.

Prognosticum mortale.

OBSERVATIO *LXXX.*

NIl nos Deo proximos facit ex Hipocrate, æquè ac prędictiones rerum quæ ægro acciderunt vel superuenire debent idest prætereritarũ & futurarum. Quare iis incumbere debet Medicus. Sic virum vidi quem terram olere percepi, ponderosior etiã solito erat, non tamen ægrotabat multum vt dicebat, is tamen breui mortuus est, vt prædixeram. Odor enim ille erat dissolutionis massæ eius prodromus, sic naturaliter fieri potest vt aues quædam ante obitum dissolutionem viri cuiusdam olfaciant & domo eius incumbant vel eum nimium sequantur vtpote corui cornices picæ, &c. tanquam cadauer eius breui futurum expectantes.

Pulmonis fruſtula excreatu reddita.

OBSERVATIO LXXXI.

FVit mulier nobilis quæ pulmonis fruſtula exſpuebat viua, quod omnes mirati ſunt, nec tamen tabeſcebat, vnde quidam obſeruationes fecerunt. Ego vero audiui hæc certas ob rationes ſimulata fuiſſe & fruſtula hæc veruecina fuiſſe & non propria, quare ſemper in miraculis diffidendum.

Ani dolores à Salamandræ affrictu, &c.

OBSERVATIO LXXXII.

QVidam aluum exonerans herbas ſumpſit vt ſeſe mundaret & inter eas fuit Salamandra, quæ cum carnem ſuam tetigiſſet, non paruam in ano paſſus eſt inflammationem, idemque alio contigit, ab chartam cui vitriolum inuolutum fuerat, alioque ob perſicariam & arum, quæ lactis fotu & aquæ roſac. curata fuerunt.

Pleuritis valdè frequens.

OBSERVATIO LXXXIII.

VIr fuit apud nos qui septuaginta quinque vicibus pleuritide detentus fuit tandemque hydrope periit. Mulierem etiam vidi Nobilem multoties pleuritide conflictatam quam sæpe cum vitasset, tandem illa periit.

Lapis in pene.

OBSERVATIO *LXXXIV.*

VIcinum Cadalenum vocatum habeo cuius puer post dolores multos conquestus est de pene & vrinæ suppressione, re inspecta visus est tumor in eius apice, tactu perceptum est calculum esse, digitorum vero compressione versus ventrem incipiendo & forinsecus mulgendo electus fuit & sic curatus. Non dissimilem retulit Zacutus historiam.

De Parotidibus.

OBSERVATIO LXXXV.

DE Verger procuratoris Castrensis vxor Epidemico morbo maligno laborans tan-

dem mortua eſt, obſeruaueram autem parotides ante mortem eius erupiſſe ſine coctione generali tam in vrinis quam,&c. Vnde frequenti experientia fultus malum feci prognoſticum. Quia materia morbifica Copioſa nimium eſt cum ante coctionem ad externas vſque diuagetur partes, & ſic corrumpit interiores partes nec debilis natura incoctas materias extra totas pellere valet neque in parotid. contineri queunt.

Capitis irroratio.

OBSERVATIO *LXXXVI.*

SEnem Monſpelienſem eumque Chirurgum peritiſſimum vidi, Formium vocatum. Qui æſtiuo tempore aquam Frigidam ſibi ſupra caput effundere præcipiebat & aiebat hæc ad eius ſanitatem conferre, & optimè ſeſe habebat nullum enim eo ſaniorem virum vidi;aliquid ſimile apud Celſum legi, non tamen omnibus indifferenter hæc bona eſſe cenſeo ſed tantum ſanguineis & bilioſis.

Morbus poſt nimium coitum.

OBSERVATIO LXXXVII.

AMicus quidam meus in morbum incidit ad quem omnes vocati Medici Vrbis, fuere, qui de ſanguinis miſſionibus & purgationibus de

more solito, vt Parisiensium simiæ essent agebant, ego vero illum absque Phlebotomia curaui, corroborantibus & optimis iusculis, quoniam nuptias iteratas æger noster cum amica celebrauerat & nimium exolutus fuerat, Medici vero rei illius rationem habere nolebant, & sine dubio illum iugulassent cum enim vt ait Hippocrates Aph. 22. Sect. 2. quicumque morbi fiunt à plenitudine eos curat euacuatio, contrarium etiam censendum est.

Ad Herpetes.

Observatio *LXXXVIII.*

ACc. radicem Lapathi, minutim incisam & à neruo medio seu corde mundatam & in aceto per viginti quatuor horarum spatium infunde & eo aceto sæpe frica herpetes.

Tussis, macies & Agrypnia curatæ.

Observatio LXXXIX.

ÆGros multos vidi, macilentos, tussiculosos, somno destitutos & quasi omnino tabidos & moribundos hi tamen vsu hordeatorum frequenti cum Saccharo puluerulento (calx enim est in eo quod in panes conficitur quare præstat ab illo abstinere, vt & conserua ros. rubicundiore quia spiritum vitrioli continet) ante somnum

ſub Veſperam & mane etiam, parum ſuperdormiendo curati fuerunt. Vſus enim hordei vel auenæ ſanitati vtiliſſimus eſt, eoque vtebantur Hebræi, & inde fit vt cereuiſia vtentes vt Scoti Heluetij, &c. Benè ſe habeant & pingueſcant. Mel album ad idem optimum eſt vt & ad equos breui reficiendos ſi cum furfure detur.

De vmbræ ſeu phantaſmatis apparitione.

OBSERVATIO XC.

AMicum habeo qui cum in Monomachia virum occidiſſet & aufugeret ante ſolis ortum vidit alterius equitis vmbram illum Comitantem vnde non paruum horrorem concepit. Sed hæc non ab vlla anima veniebant redeunte ſed à propria vmbra ſeu imagine in aëre craſſo, & rorido, idem viderat olim vitellionis amicus relatu Ioh. Penæ in docta ſua in opticam Euclidis præfatione. Sic Oreſtes ſuam imaginem pro furia accepit & Antiphon ex Ariſtotele ſpectrum ſimile à ſe ipſo manans videre ſolitus erat.

De planta hæmagoga.

OBSERVATIO XCI.

REm admirandam iam reuelaturus ſum diuturnoque ſilentio obuolutam. Loquitur Ga-

lenus de quodam qui plantam inuenerat hæmagogam seu Vegetalem sanguisugam id est herbam quæ solo contactu sanguinem magneticè è venis per poros dilatatos eliciebat, illud secretum tamen non ad hominum notitiam peruenit licet vtilissimum foret, sic enim gratissima & iucunda celebraretur sanguinis missio, absque ferro, cuius nomine solo multi horrent.

Multis ab hinc sæculis nempe patrum nostrorum tempore D. Laugerius Delphinas Medicus & Botanicus incomparabilis, eam repererat iuxta Laterram vt mihi relatum fuit, & hæc à Bauhino in pinace de eo referuntur. Sed abhinc nemo quicquam de hac re audiuerat: fato etiam prę-uentus, cum secreto obdormiuit, relicto paruulo filio qui tamen hodie & Medicus & celebetrimus Botanicus est. Nuper vero emersit tertius huius Arcani possessor qui Dño Simeoni Curtaudo Doctissimo, dignissimo, ac curiosissimo Academiæ Medicæ Monspelienſis Decano hanc ostendit plantam vt ipse retulit in Apologia sua secunda aduersus Academiam Parisiensem, non tamen illam nominauit & quoniam senex est, ne adhuc silentio obrueretur Arcanum, quæ ab illo didici inter arcana reticenda hic declarare volui. Nempe plantam illam habuisse folia instar Saluiæ, plantam esse montanam & reperiri inter pyræneos montes & ab illis vsque ad alpes.

Vidit effectum D. Curtaudus cum stupore, & nomen viri refert. Hic addam verba eius, p. 201. Secundæ Apol. suæ aduersus Paris. Med. viros duos noui qui Galenicæ herbæ Hæmagogæ notitiam habuerunt nempe Laugerium Delphinaem & Franciscum Dumasium Vallis viridis, vel

Loci de la Crouſete, optimum Empiricum, qui ambo cum arcanis ſuis mortui ſunt. Vltimus eam fœmori ægri ſanguinei admouit & vndique riuulatim ſanguis manauit & ad Magnetem recurrendum fuit vt ſiſteretur, vidi actionem & herbam ſed nomen non didici locum verò me docuit.

Addam adhuc galeni locum. l. de purg. Med. facult. Sect. 6.

In Bythinia apud thraces me adhuc puero contigit vt quis inuenerit herbam quam ſi quis aſſumpſiſſet ſanguinem primo tum vitam emittebat, cumque morerentur multi ductus fuit ad magiſtratum, & dixit quod ſuillum iecur vrgente ventre depoſuiſſet in herba, vnde manauit ſanguis, & ſupplicio affectus fuit. Non eaſdem herbas fuiſſe ego crediderim cum hæc interius aſſumerentur, alia externè.

Ad colicum dolorem.

OBSERVATIO XCII.

ACc. Iuſculum cum allio & oleo oliuarum & calidè hauriatur cum vini optimi dimidia parte ſæpè enim expertum eſt.

Opij grana x. in enemate optima etiam ſunt ſed caue ne nimiam doſim ponas nam ſic ſuffocatum virum fuiſſe memini ab imperito Medico qui renuente docto Pharmacopæo ipſe doſim nimiam à ſe præſcriptam propria manu clyſteri immiſcuit.

Cum hic de opio agatur obiter dicam rem notandam nempe pleroſque ſemine capitum papa-

ueris vti, projectis Corticibus tanquam inutilibus cum tamen iis in maxima lateat vis soporifica quę ad dimidium granum si Chimicè extrahatur miros præbet effectus.

Sanguis crassissimus.

Observatio XCIII.

D. Tirefortius Chirurgus Castrensis sanguinem ab ægro detrahens nunquam potuit illum elicere nisi vulnere trium digitorum transuersorum longitudine inflicto, licet vasa ampla & apparentia essent quoniam sanguis semicongelatus in venis erat.

Phrenitis curata.

Observatio XCIV.

CVram Phrenitidis iucundam hic inserendam censui, qua rusticus alium curauit, vsus enim est tantum cucurbitæ taleolis quas frigide capiti toti imponebat sæpe renouando.

Serpentes innoxie vorati.

Observatio XCV.

Ocus est quinque aut sex leucis à Castris distans in via qua itur Monspelium situs in quo

innoxiè ſerpentes ab hominibus comeduntur, vt à loci Domino audiui, eoſque viatoribus offerunt coctos, eos vocantes anguillas ſepium: qui eos comedunt nunquam ſcabiem patiuntur & curantur ſi ea detineantur.

Anſeres ſcotici ſeu concha anatifera vel arbor conchifera.

OBSERVATIO XCVI.

MVlti quēdam de arboribus conchiferis ſermonem fecerunt, ſed quoniam viſa ſunt oſtrea quæ arborib. maritimis coniuncta caſu fuefuerant glutine quodam, creditū eſt ſic de reliquis omnibus fuiſſe & authores fuiſſe hallucinatos ſed cum nullus adhuc Phiſicus obſeruârit quę ego obſeruaui ea hic inſerā. D. Groſſius D. Puteano Regio Bibliothecario ramum quemdam arboreum dedit abſque foliis, ſunt enim tantum longi quaſi ſurculi, & in apice vniuſcuiuſque eſt concha ſed hæc concha non habet marinarum figuram vt à me primo obſeruatum eſt, nam eſt inſtar amygdali, & e contra aliarum concharum quæ vel vna tantum, vel duabus ad plus conſtat partibus, hæc quinque partibus conſtat, quinque tales apud illum videntur adhuc eodem in ſurculo, quæ forma, noua oſtendit rem eſſe inſolitam & non oſtrea caſu coniuncta.

Calcis plumbi pondus auctum.

OBSERVATIO XCVII.

AMicum habeo qui ex centum plumbi libris calcinatis 118. calcis habuit. Alios habeo qui ex antimonij libra, vncias 18. etiam extraxerint, stanno idem contingit, vnde hæc autem veniant difficilè dictu est, fertur etiam tegulam crudam leuiorem esse cocta licet aqua multa ex illa euaporata fuerit. Aristoteles etiam ait virum ieiunum ponderosiorem esse cibato. Credendum est illud ab aëre incluso fugato id prouenire, vel à ligni spiritib⁹ allectis & coagulatis, vel à vase, &c.

Pilulæ optimæ.

OBSERVATIO XCVIII.

ACc. aloës hepatici & cum succo rosarum, ad solem extractum ab illo para, euapora deinde & da ad grana decem per dies quindecim circa vesperam ante cænam, mane vero capienda sunt tria grana extracti iuniperi. Hisce pilulis cholagogis vtitur feliciſſimè illustrissima Domina de Rohan mater, & à D. Lagneo, & Vignaueto feliciter à longo tempore (inter arcana illas habentes) vsi sunt, venit autem illud secretum à fabricio ab aqua pendente.

De

De herba iudaica ſeu tetrahit & callo cerebri.

OBSERVATIO XCIX.

PLanta hæc tantis pollet viribus vt balneo ſuo, paraliſes & fotu pleuritides ſanet.

A Chirurgo audio repertũ fuiſſe os mirum multis cuſpidibus horridum, in dura matre cerebri vnde dolores æger capitis diu paſſus fuerat.

Naſus mirus, & glandula.

OBSERVATIO C.

DIximus animalia, mineralia & plantas in homine progigni poſſe & exemplis confirmauimus, de animalibus adhuc addam, eſſe mulierem quæ mures partu ſæpe ediderit. Sed de vegetantibus nunc agere decreui. D. Breſſieus Medicus Spagyricus Solertiſſimus virum circa Vrbem granatæ iuxta Montalbanum vidit, qui naſum omninò inſtar ſemperuiui habebat, cui folia apparebant, & alium qui in tumore digiti indicis habuit glandulam, quæ poſtquam aperta fuit ſeſe explicauit in formam roſæ centi foliæ quod prouenire poſſet à Roſæ ſpina infixa, vt olim de prunulo accidit, &c. vt dictum.

EPILOGVS.

PLura adhuc addere possem ni numerus optatus completus esset vtpote de vi nouissimè detecta in lapide Phosphoro qua argentum etiam remotum nigrum reddit, de lapide indico melancholiam si teneatur fugante, de lapide flexili, Lutetiæ binis in locis viso. De viro qui cum purgans medicamentum accepisset & coïtum statim exercuisset, vxor eius pro illo purgata remansit, de Vetula Biterrensi quæ nuperrimè post ingentem hæmicraniam 40. vermes ascaridiformes per nares emisit & sic curata remansit curis Chariſſimi nostri Laurētij Medici eruditissimi Rubricampensis. De famulo qui in fœno jacens, insectulum auripetum in aurem eius irrepsit, quique dolores ei tantos incussit vt in maniam ferè inciderit, & ibi sonum edebat qui è longinquō audiebatur, tandemque oleis amaris occisus fuit curis doctissimi & celeberrimi Isaaci Caterij Medici Monspelienſis, credo etiam quod ad mel, vel pomum coctum veniſſet. Item de Serario Fabro cuius crus noctu vndique per mille poros sanguinem sponte emittebat in altum tanquam per innumeros Syphunculos, cuius rei admirandæ, à varicibus vt opinor proueniente (iis enim detinebatur) testis oculatus est suauissimus noster ac omni doctrina imbutus Claudius Martinus Medicus, Parisiensis.

Deque alio oua tanto adeoque acerrimo pro-

ſequente odio vt bullas in corpore ſolo contactu ei excitarent. Et tandem de puella cuius oſſa omnia flexibilia fuere, ſed hæc pro quinta & ſexta, &c. obſeruationum centuriis ſeruabimus. Vale.

APPENDIX

AD QVARTAM OBSERVATIONVM Centuriam.

AD Obſeruationem 28. Fuit mulier quæ cum illi aliquis dixiſſet vt aqua forti dentem dolentem tangeret, gargariſma ex illa faciens omnes amiſit dentes & à maxima faucium excoriatione difficillimè curata fuit aquis plantag. & roſar. cum melle roſaceo.

Ad Obſ. 34.

D. De Chambulans & D. Grandor, hanc cancrorum reſurrectionem fecerunt.

Ad Obſeru. 62. Crederem hæc fieri poſſe ſi calcinentur plantæ in vaſe clauſo, ne ſal volatile in quo latet vis reſurrectiua euaporetur deinde illud colligendum eſſe cenſeo & fixo ſali miſ-

cendum ope aquæ vitæ optimæ, vel roris majalis & vase figillato, calore mediocri hæc circulari debere per aliquod tempus vt probè vniantur principia purificata.

Ad Obs. 68. De dolore dentium: Alij saponem pedum plantis apponunt vt quasi vesicante remedio excorientur, & sic dentium dolor minuitur, humore alibi deriuato.

Ad Obs. 97. D. De Chambulans plumbum illud calcinauit.

BIBLIOTHEQUE DE LA VILLE LYON 1888

FINIS.

INDEX,

PRIOR NVMERVS *Centuriam, secundus obseruationem indicat.*

LYON

A

Aborsus mirus, 2. 98. Simulatus, 4. 79.
Abscessus mirus, 2. 86.
Abscessuum euacuatio, 1. 72.
Abscessus in ventriculo, 1. 54.
Absynthij vires, 1. 41.
Abstinentia mira, 3. 35.
Acephalus puer, 3. 3.
Accretio subita, 1. 1.
Agnus Duplex, 4. 20.
Alcheron haratzin lapis bouinus eiusq; vires, 1. 5.
Aloë planta caulem molis ingentis emittens cum strepitu, 1. 1.
Aluminis vires, 4. 50.
Aluus pigra, 2. 14.
Alui fluxus, 2. 40. 4. 59.
Ambidextra, 4. 10.
Ambulandi impotentia, 1. 59.
Ambari origo, 4. 66.
Ambusta curare, 1. 50. 1. 76.
Anatomia infusoria, 4. 6.

Anginæ miræ, 4.60.
Anseres ex arbore nati, 3.50. 4.96.
Ani dolores, 4.82.
Anus imperforatus curatus, 3.9.
Antipathia mira, in Epilog.
Apes miræ in quibus floſculi nati ſunt, 1.10.
Apoplexia à ſang. 2.34.
Aquavitæ in aëre lucem faciens, 1.3.
Aquæ magneticè agentes, 2.6.
Aqua fortis epota, 4.28.
Aranea deglutita, 1.81. 3.19. Rara de araneis, 3.19.
Innoxiè voratæ, 4.56.
Arbores natæ in homine, 1.10.
Arbor vocifera, 3.63.
Archei architectonici, 2.1.
Arenæ vis, 3.65.
Arg. viui potio, 2.29.
Ariſtomachi occupatio, 2.10.
Ariſta in Collo, 2.61.
Arſenici venenum, 3.36. 4.19.
Aſtrologia certa, 2.94.
Aurum potabile, 1.6.
Articuli vitiati, 1.26.
Aſthma, 4.46.
Atramenti potio, 4.40.
Aureliani virtus, 2.90.
Aures mobiles, 2.16.

B

Baaras planta lucida, 1.3.
Baculi ad fracturas & contuſiones, 3.77.
Ad hæmorrhag. 3.78.
Balenæ muſcoſæ, 1.10. In hominis venis, 3.4.

Obseru. raræ de iis, 4. 48.
Basiliſci falſi, 2. 74. In ouo, 4. 1.
Betonicæ vis, 3. 8.
Bilis bullientis vomitus, 2. 1.
Biolychnium, 3. 89.
Blemmi ſine capite, 3. 3. 4. 78.
Bononienſis lapis, 1. 5.
Boum lapides, 1. 5.
Bufonis remedium ad peſtem, 1. 22. Eſus, 2. 37.
Bufo falſus & arte factus, 2. 74. Ex ſudore nati, 3. 50. Ab homine eiecti, 3. 57.
Bufonis oleum ad ſcroph. 4. 38.
Butyri effectus, 3. 26.

C

CAcaotetl. lapis, 2. 38.
Cachexia, 2. 82.
In calcem delapſus, 4. 30.
Calculi veſicæ rari, 2. 62.
Cura eius, 3. 22. In pene, 4. 84.
Calculi deglutiti, 1. 69.
Cambreti potus, 2. 85.
Cancri cura, 2. 51. 2. 67.
Cancrorum regeneratio, 4. 34.
Canities ſubita, 1. 26.
Cannabis inſita mulieri, 1. 10.
Canis triceps, 2. 83. & cum 6. tibiis, &c.
Canis rabidi venenum diù latens, 1. 1. 1. 74. Sagacem reddens, 3. 68. Figuræ canum in vrinis, 1. 28. Ad morſus eorum, 3. 38. De cane notanda, 3. 68.
Capilli in ſerpentes mutati, 1. 23. & in vlcere.
Capillos denigrare & exſiccare, 3. 2.
Capitis tremor, 3. 98.
Capitis auulſio, 3. 100. Irroratio, 4. 86.

Capra cornua in pede habens, 1.10.
Carbunculi species rara, 2.12.
Caro nocte lucens, 1.3.
Carpio muscum in dorso gerens, 1.10.
Carunculæ cura, 1.79.
Cassiæ vsus, 3.5.
Catuli ad podagram, &c. 3.28.
Cataractæ raræ, 3.61.
Cerasus in aure, 1.10.
De cepa, 3.79.
Cerebri substantia deperdita, 1.88. Diu incorrupta seruata, 2.36. Abscessus, 2.49. Defectus eius, 3.3.
Cerui lachryma, 1.1.
Chimicæ fallaciæ, 3.21.
Cholera morbus, 2.27.
Cimicum origo, 3.53.
Circulatorum arcana, 2.74.
Clandestinæ vires, 1.30. & species, ibid.
Claudi sponte facti, 1.7. vnde, 4.9.
A Clauo gangrena, 1.82.
Clyster inebrians, 1.56.
Cocleæ lapidefactæ, 2.62. 3.83.
Colores fœdi, 4.54.
Colicus dolor, 4.92.
A coitu morbi, 4.87.
Coitus mirus, 2.31. & in epilog. Sanguineus, 4.17.
Colli contorsio, 4.18.
Cometa, 2.80.
De conspicillis, 3.99.
Contusio, 3.77.
Concha anatifera, 4.96.
Cor vulnera patitur sine morte, 1.88.
Cornarus viuax, 2.39.

Cornu plantabile, 4.52. Rara de cornibus, 4.52.
Cornua in pede, 1.10. 4.52. Inseri possunt, 1.10.
In facie, 1.14.
Coryli vis, 3.77.
Cranij fracturæ, 2.20.
Crania insolita, 2.63.
Cristallinum corpus, 3.66.
Crotaphyti musculi sectio, 2.20.
Croci noxæ, 4.35.
Cucurbitularum effectus, 1.60.
Cyclops, 3.3.

D

DElirium ab inedia, 3.81.
Dementia ab embrocatione, 2.13. A menstruis retentis, 2.30. A matricis Symptomatibus, 3.80. Ab hiosciamo, 4.45.
Demoniaci cura, 1.37. 1.51. Simulatus, 4.47.
Dentium dolor horrendus, 3.8. 3.27. 4.68. 4.75.
Dentes dealbare, firmare & carne tegere, 2.65. In senectute, 2.81. In Palato, ibid.
Dentes tactu auulsi, 1, 2. Auulsi, iidem radices rursus agere possunt, 1.10. Curare dentes, Puerorum, 1.97. Adultorum, 1.98. 3.13. Nulli, 2.41.
Digiti iuncti & superflui, 1.85.
Dissoluentes liquores in nobis sunt, 2.1.
Doloris cura, 2.99.
Dracones muscosi, 1.10. In tibiis, 1.28. Falsi, 2.74. Draconum dentes ad venena, 2.85.
Dysenteriæ remedia, 1.13. 1.57. 2.40. Epidemica, 1.36. Remedia, 2.82.

E

Ebullitio, 2.43.
Echo mira, 3.63.
Eclypsis, 2.80.
Ecstatica mulier, 2.54.
Elephas quando proferre queat fœtus, 1.1.
Embrio in stomacho, 1.10.
Emplastrum stellatum, 3.40.
Epicuri discipuli, 1.95.
Epidemici morbi, 4.42.
Epilepsiæ, 1.1. Remed. 1.18.3.15.
Epileptici cranij apertio, 2.78. A pollice, 2.95.
Eremitæ Tolosani mira vis, 1.74.
Erucæ verbis fugatæ, 1.19. Innumeræ, 3.18.
Erucoaranea, 3.12.
Essei cur vinaces, 2.39.
Exanthematum prognosis, 2.35.

F

FAcies mutata, 2.89.
Fallaciæ Medicæ, 1.2.3.30.
Fal. Phisicæ, 2.74.
Fal. Chimicæ, 3.21.
Fascinum ad odium, 1.91.
Febres tertianæ, 3.56.
Febres malignæ, 1.6.1.55. Causa earum, 2.32.
Febrifuga, 1.32.4.77.
Febres Epidemicæ, 2.35.3.5. Ephemeræ miræ, 2.100.
Febrium cura, 1.6.3.6.1.14.
Feces per vesicam emissæ, 3.16.
Ferri in cuprum conuersio, 3.75. Excandefactio, 4.8.

Figura pulli & plantæ in ouo & semine, 3.42.3.54.
In glacie, 3.71.
Filicis semen mobile, 3.54.
Fistulæ cura, 1.83.2.67.4.53.
Flammæ ex aquæ ductu,&c. 2.75.
Fletus nimius, 2.99.
Flores in naso nati, 1.10. In ape, ibid.
Fontes lapidifici, 1.5.
Fractura, 3.77.
Fragorum vires, 3.32.
Fraxini vis, 3.78.
A frigore gangrena, 3.24.
Frigore congelati, 1.84.3.32.
Frigus, 3.11. Præsagire illud, 3.79.
Fructus barbati, 1.10.
Fulminei lapides, 3.86 3.87.
Fulminis effectus & arcana, 2.38.4.3. Eius simpathia cum puluere pyrio, 2.38.
Fungus stellatus, 1.3.
Fungi per totum corpus, 1.34.

G

GAlgerandus Med. 2.55.
Gallina plantam natam in collo gerens, 1.10.
Biceps, 2.57.
Gallorum Calcaria, 1.10.
Ganglij cura, 1.15.
Gangrena à clauo, 1.82. Ab immunditie, 3.17.
Gangrenæ cura, 2.70. A pericarpio, 2.91. Ab acicula, 3.7. A frig. 3.24. Curata, 3.65.
Gassendus laudatus, 1.3.1.21.1.28.
Gemellæ, 2.95.
Genuum dolores, 2.10.4.4.
Gigas puer, 1.42.

Gigantis omoplata, 2. 63.
Glaciei figuræ, 2. 21. 3. 11. 3. 71. Noxæ, 3. 11.
Grandinis formatio, 1. 5.
Grauiditas mira, 4. 26.
Guttur mirum, 2. 8.

H

Hædera in cornibus cerui, 1. 10.
Hadriani virtus, 2. 90.
Hami extractio, 4. 69.
Hemicrania, 1. 61. Mira in epilog.
Herpes, 4. 88.
Hæmagoga planta mira, 4. 91.
Hæmoptois rara, 1. 24. 2. 35. Mira, in Epilog.
Hæmorrhagia perpetua, 2. 87. In coitu, 4. 17.
Hæmorrhagiæ, 1. 95. Verbis curatæ, 1. 94. Alia, 3. 55. 3. 78. 4. 7.
Hæmorrhoides, 1. 63. Stupendæ, 4. 58.
Hepaticus fluxus, 1. 99.
Hermaphroditi cura, 1. 100.
Hioſciami vis, 4. 45.
Hircus monſtroſus, 4. 20.
Hominum proprietas, 2. 90. 3. 6
Hordei vires, 4. 89.
Hidroceles cura, 1. 4.
Hidrocephalus, 1. 38.
Hidrops ab epilep. 3. 34.
Hidrops, 1. 70. 2. 23. 2. 24. Matricis, 2. 26. 2. 53. 4. 16.
Hipochondriaci, 1. 37. 3. 47.
Hipecatharſis, 2. 54.
Hirudo in faucibus, 1. 24.
Homo muſcoſus, 1. 1.
Homuncio, 1. 10.

I

IAlapij virtus, 2.23.
Ideris, 1.14.
Icterus mirus, argentum tingens, 1.68. 2. 40. à tabaco, 4.31.
Ignis triplex, 1. 3. Emissus ab hominibus, 2. 70. Mirus, 2.75.3.70. Diuturnus, 3.89. E ferro, 4.8. Lambens rarus, 4.39.
Imperforati pueri & virgines, 1.77. 1.78.
Incendiaria mulier, 3.47.
Inebriatio à Clystere, 1.56.
Inediæ causa, 3.89.
Inflammatio magna, 3.65.
Inguinum tumores, 1.12.
Insania à maleficio, 4.22.
Insectum venenatum, 1. 33. Horrendum in homine, 2. 79. Baleniformia insecta in sanguine, 3.4. In aure. In Epilog.
Insitiones miræ, 1.10.
Insufflationis vis, 3.58.
Ischiadici dolores, 2.10. 4.55.
Iudaica herba, 4.99.

L

LAbia crassa, 4.49.
Lac in viro, 1.49.
Lactis copia mira, 3.82.
Lacerti morsus, 1.43.
Lacerto serpens, 2.15.
Lactis horror, 4.61.
Lachrymæ sanguineæ, 2.56.
Lampades antiquæ, 3.89.
Lapis melanch. fugans, 3.36. Flexibilis in Epilog.

Lapis Bononiensis, 1. 3. & in epilog. In cystide fellis, 1. 4. in vlcere tibiæ, 1. 4. 3. 22. In humero, 1. 87. In vesica bouis, metallicus, &c. 1. 5. In omnibus partibus corporis, 1. 5. Tussi reiecti, 1. 67. Sub lingua, 2. 17. in vesica humana miri & maximi, 2. 22. Tonitru edens, 2. 38. Sub cranio, 2. 61. Mirus, in epilog.

Lapideus puer, 1. 5.
Lapidea vesica, 1. 5.
Lapides in toto corpore, 1. 67. 1. 5.
Lapides dentiformes, 2. 85.
Lapidefactorum causa, 2. 62. 3. 83.
Lapidifici spiritus, 1. 5.
Laudani noxa, 4. 57.
Legumina in aure & naso, 1. 10.
Lentigines, 4. 21.
Lepræ cura, 2. 37.
Lethargus, 1. 52.
Ligaturæ nuptorum, 4. 65.
De limacibus notanda, 3. 23.
Sub lingua lapides, 2. 17.
Linguæ tumor, 2. 43.
Linguis variis loquentes ægri, 2. 54.
Lingua duplex, 2. 63.
Locustarum origo, 3. 41.
Longæui, 2. 39.
Lucentia multa vt caro, plantæ, &c. 1. 3.
Lucis causa est quædam aqua vitæ, 1. 3. 4. 44.
Luis venereæ cura, 2. 37. 2. 96.
Lux captiua fit & retinetur à multis rebus, 1. 3.
Lupi rabies, 1. 75.
Luxatio costarum spontanea, 2. 71.

M

Macies curata, 4. 89.
Macies à superpurgatione, 2. 64.
A nuce myristica, 4. 63.
Magiæ vanitas, 2. 21. 3. 87. 3. 97.
Magnes, 2. 38. 3. 14. 3. 80.
Maleficium ad insaniam, 4. 22.
Mammæ ingentes, 1. 48. Tres, & cum papillis duabus, 1. 49.
Mandragoræ falsæ, 2. 74.
Mania à philtro, 1. 65.
Manus ictus & paralisis, 2. 55.
Marrubium, 4. 14.
Caroli Martelli sepulchrum, 1. 23.
Masclous, quid. 1. 80.
Matricis cruciatus, 2. 66. 3. 48.
Medulla spinalis est cerebrum oblongatum, 1. 8.
Ad Melancholiam, in epilog.
Mellis vires, 4. 89.
Melonum vires, 4. 70.
Membranæ tegentes aures, oculos, &c. 1. 85.
Menstrua, 4. 14.
Menti furfures, 4. 21.
Mercurius plantarum, 3. 88.
Metalla in animalibus nata, 1. 10.
Eorum nutritio, 3. 37.
Meteora noua, 3. 41. 3. 74. Arte parata, 3. 87.
Milui piscis lingua lucens, 1. 3.
Monoceros, 1. 22. 2. 74. 4. 51. 4. 78.
Monstra, 2. 83. 3. 3. 3. 43. 4. 20.
Monstra arte fieri possunt, 1. 10. 1. 100.
Biceps, 2. 57. In plantis, &c. 3. 94.
Morbi hæreditarij, 1. 7.

Transplantantur, 1. 10. 3. 36.
Ad morbos incognitos, 3. 28.
Simulati, 3. 30. 4. 79. 4. 81.
Morus tardè folia emittit prudentiæ Symbolum, 1. 1. In aure, 1. 10.
Vir muco carens, 2. 68.
Mulæ partus, 3. 90.
Mumiæ humanæ transplantatio, 3. 36.
Mures à muliere partu editi, 3. 73.
Comedentes metalla, 3. 95.
Muscarum origo, 3. 41. 3. 50.
Muscilionum vomitus, 3. 50.
Mutus mirus, 4. 23.

N

NAsi, aurium & labiorum, abscissorum restitutio, 1. 10. Miri, 4. 100.
Nasus duplex, 3. 43.
Nævi miri, 3. 49. 4. 74.
Nostoch, 3. 41.
Nubes pestifera, 1. 21.
Nuces miræ, 1. 1.
Nummi deglutiti, 4. 25.
Nympha, 3. 59.

O

OBstructio, 1. 12.
Oculi varij, 2. 63.
Oculorum morbi, 277. Cauteria, 2. 97.
Strabismus & motus insolitus, 3. 1.
Oculi eruti à morbis, 2. 97. Repositi, 3. 64.
Oculis an vinum conferat, 2. 77.
Oculorum radij vitrum perforantes, 3. 1. 3. 67.
Hydrops eorum, 4. 51.

Onopordi virtus, 2. 51.
Ophtalmia, 1. 3. 1.
Oris spasmus, 2. 84.
Os cruciforme in liene, 1. 14.
In corde cerui, bouis, equi, 1. 4.
Os dilatatum, 1. 85.
Ossa lapidea, 3. 76.
Ossa gigantea, 2. 63.
Officula in vrinis, 2. 5.
Ossium vires, 2. 85.
Oua rara, 3. 42. 4. 1. 1. 10.
Odio prosequuta, in epilog.

P

PAlma quando fructifera, 1. 1.
Papiliones rari, 4. 37.
Paracentesis, 2. 76.
Pareliæ, 2. 93.
Parotides, 4. 85.
Partum facilem reddere, 2. 25. 3. 52. 4. 24.
Partus numerosus, 2. 44.
Monstrosus, 3. 73.
Paui stercus, 3. 15. 3. 98.
Pediculi ex sang. 3. 50.
Pedum dolores & tremores, 1. 84.
Peireskius laudatus, 1. 3. 1. 10.
Penis monstrosus, 4. 15.
Pentaphylli vires, 1. 32.
Periapta, 3. 56.
Periodus lethalis, 4. 67.
Peripneumonia, 1. 17.
Pestis olfactu percepta, 1. 74.
Pestis cum nube cadens, 1. 21.
Eius remedia, 1. 22.

Eius symptomata, 1.83.4.5.
Eruens oculos, 2.97.
Phantasmata quid, 4.90.
Philtra, 1.65.
Phlebotomiæ noxæ, 2.45.3.11.4.15.4.24.
Phrenitici, 3.69.4.5.4.71.4.94.
Phthisis puerorum, 2.59.
Pilosus puer, 1.58.
Pilulæ optimæ, 4.98.
Picantes Virgines, 3.19.4.2.
Pinguedo nimia, 2.11.
Pisa in vlcere, 2.86.
Piscis tobiæ, 3.91.
Pisces lucentes, 1.3.
Fossiles, 1.9. Scripti, 4.37.
Vomitu eiectus, 1.9.
Indigito genitus, 1.28.
Plantarum phantasmata, 2.21.3.71.
Nutritio in aqua, 3.37.
Pleuritis, 4.83.
Plumbi cum homine sympathia, 2.9.
Salis noxa, 4.32.
Plumbi calx aucta, 4.97.
Pluuias facere, 3.87.
Podagræ cura, 2.10.2.42.4.11.
Leuamen, 3.28.4.73.
Podex sine foramine, 1.77.
Pollicis punctura, 1.96.
Potus in viis, 4.72.
A potu abstinentia, 2.68.
Priapolithi, 3.85.
Prognostica, 1.59.4.80.
Prunellæ plantæ vires, 1.22.
Prunulus in pectore viri & collo gallinæ, 1.10.

Prurítus, 2. 43.
Puella hirsuta, & barbata, 1. 10.
Imperforata, 1. 78.
Pulmo exscreatus, 4. 81.
1. Puer canus, 1. N.
2. Pulmonici, 4. 15.
Imperforatus, 1. 77.
Purgationis noxa, 2. 45. 4. 15. 4. 38.
Facilis, 3. 29.
Mira, in epilog.
Puris mictus, 1. 17.
Euacuatio vt instituenda, 1. 72.
Per os aures nares & oculos, 1. 73.
Pyrius Puluis allicit fulmen, 2. 38.
Pyrrhi virtus, 2. 90.

Q

QVartanæ quid nocuum, 4. 33.
Quercinus fungus, 2. 95.
Viscus, 1. 10.

R

RAbies à lupo, 1. 75.
Vide, canes.
Rami historia, 2. 77.
Ranæ in vlcere, 2. 86.
Raucitas inaudita, 4. 27. 4. 29.
Regeneratio partium, 2. 18.
Plantarum, 2. 21.
Cancrorum, 4. 34.
Renouatio, 2. 81.
Resurrectio plantarum, 2. 21.
Rerum omnium, 4. 62.
Rhei vsus, 2. 82.

Robiginum origo, 3.87.
Ros aurum soluit, 1.6.
Auri hæret paleis, 1.6.
Coagulati figura, 3.71.
Rubus in ventre pueri, 1.10.
Ructus diuturni, 1.62.

S

Sagæ, 2.59.
Item, 1.45. 1.46. 1.55.
Earum notæ & puerorum raptus, 1.92.
In gehenna dormiens, 2.50.
Sal figuras dat glaciei, 2.21.
Salis Saturni noxæ, 4.32.
Venenum, 4.82.
Salamandræ vomitu reiectæ, 1.23. 3.57.
Sanguis congelatus cristallinus, 2.28.
Sanguis albus, 1.25.
Sanguineæ maculæ, 1.45. 1.46.
Sanguinis missio, vide phlebotomiam.
Sanguis frigidus, 3.51.
Sang. crassissimus, 4.93.
Sanguinis vires, 4.16.
Sang. sistens arcanum, 4.50.
Saponariæ vis, 1.18.
In Scabie præcautio, 2.92.
Scabies curata, 2.7.
Cum vermibus, 2.72.
Sceuolæ, 4.9.
Scintillæ in indusio, 2.69.
E capite, 4.43.
Scorpio marinus, 1.28.
Scrophulæ, 2.67. 4.38.
Scalpella magica, 4.75.

Scriptura subita mira, 4.76.
Semen, non in testiculis tantum, 1.28.
Semina morborum, 1.74. vide morbum.
Senes iuuenescentes, 2.81.
Longæui, 2.39.3.10.
Sensitiua planta nostras, 1.100.
Septimestris partus notæ, 1.71.
Sepultura nimis accelerata, 3.44.
Sericei vermes, 3.12.
Sericeum filum in muliere vegetans, 1.10.
Serpens à puero eiectus & ab homine gignitur, 1.23.
E capillis nati, 1.23. & in vlceribus.
Ab hominis ore eductus, 3.31.
Eorum ictus curare, 1.27.
Ex iis cibus, 2.37.
Comesti innoxiè, 2.37. 4.95.
In ouo, 4.1.
Sigilli mariæ virtus, 2.10.
Signaturæ, 1.30.
Soles duo, 2.93.
Speculorum vsus Medicus, 2.52.
Spina diu in digito latens, 2.16.
Spiritus lapidifici, 1.5.
Vir absque spuro, 2.68.
Sterilitatem arcere, 1.29.1.30.
Strabones, 4.9.
Stultitia ab ictu, 2.73.
Sublimati vsus, 2.92.
Succinum, 2.88.
Sudor viridis, 2.56.
Bufones producens, 3.50.
Perpetuus, 4.36.
Sudorificum, 1.55.

Suffocati in aqua, 2.2.
A musti vaporibus & fumo, 2.4.
A matrice, 2.66.
Sus Duplex, 3.3.
Surdus mirus, 4.23.
Suturæ cranij raræ, 2.63.
Sympathiæ miræ, 2.47.
In epilog.
Sympathicæ curæ, 3.46.

T

TAbaci noxæ, 4.31.
Tabes verbis curata, 3.62.
Melonum vsu, 4.70.
Hordeo, 4.89.
Tamarisci semen mobile, 3.54.
Tendo regeneratus, 2.18.
Terræ motus causa, 2.38.
Testiculi tumor, 2.42.
Tres & vnicus, 2.60.
Testudineus tumor, 2.57.
Tetrahit, 4.99.
Theæ vires, 3.39.
Therebentinæ odor violaceus, vnde, 2.33.
Tiberius nocte videbat, 1.3.
Tibiarum morbi, 1.44.
Tonsillarum inflammatio, 3.84.
Transplantationes miræ, 1.10. 1.28. 4.100.
Tripudiatio à maleficio, 4.22.
Tubera radices habere, 3.92.
Tumor vento plenus, 1.8.
Genarum, 1.86.
Mirus in cap. & vt aliud caput, 2.57.
Turchesiæ, 2.85.

V

VAcca multicornis, 1.10.
Vacuum, 4.12.
Vagitus vterinus, 3.72.
Vagitus vterinus, 3.72.
Variolæ, 1.34. 1.64.
Variolæ recurrentes & ætate prouecta, 3.10.
Cum vermibus, 2.72.
Vena Renata, 2.18.
Venena topica, 2.3.
Venti lapidifici, 1.5.
Verbasci vires, 1.27.
Verborum vis, 1.19. 3.62.
Vermes in naso, 3.45. in epilog.
Vermes necantia, 1.90. 2.70.
In sanguine, 3.4.
Hirsutus, 2.70. 3.33.
Vermes in omnibus partibus corporis, 1.5.
In Scabie & Variolis, 2.72.
In capite 1.19. &c.
In Epilogo, & 1.39. 1.40. in vmbilico, cranio, proliferi, 1.89. In dorso, 1.80.
Veronicæ virtus, 2.58.
Verrucæ cunatæ, 2.46.
Verticis dolor, 1.38. 1.39. in Epilogo.
Veruecis caro lucens, 1.3.
Vesicantium effectus, 1.60. 2.58.
Vespasiani virtus, 2.90.
Vitæ ratio quam consideranda, 3.60.
Vini vsus ad oculos, 2.77.
Violarum odor in vrinis vnde, 2.33.
Viperæ vires, 4.19.

Vir muſcoſus, 1. 10.
Viri videntes in tenebris, 1. 3.
Virgo arcta, 1. 77.
Viſus recuperatio, 2. 81. 3. 91. 3. 99.
Ad viſum, 4. 41.
Viſcus quernus inſeri poteſt, 1. 10.
Vitriuorax, 1. 52.
Vitulus Duplex, 3. 3.
Vlcera pediculoſa, 1. 20.
Alia, 1. 16.
In ventriculo, 1. 66.
Cum inſectis, 2. 48.
Vnguenta optima, 1. 96.
Vngues Renati, 2. 70.
Caui, 3. 96.
Vnicornua, 2. 74.
Vnio in dente, 1. 10.
Vomitus muſcilionum, 3. 50.
Quam vtilis, 3. 93.
Vomitus piſcis, 1. 9.
Clyſteris, 1. 17.
Suppoſitorij, candelæ, &c. 1. 17.
Araneæ, 3. 19.
Diuturnus, 1. 53.
Bilis bullientis, 2. 1.
Vrticæ vis, 1. 95.
Vulnera & vlcera magna curata, 1. 16. 1. 47.
In corde, cerebro, hepate, 1. 88.
Ob amaſiæ præſentiam non curata, 1. 93.
Ea curare, 1. 96. 4. 4.
Oculi, 2. 19.
Mira, 3. 20.
Citius clauſa, 3. 25.
Vuæ barbatæ, 1. 10.

Vulua Duplex, 2. 83.
Vvulua, 3. 84.

Z

Zoolitha, 1. 100.
Zoophyta, 1. 100.

SPECTATISSIMO VIRO D. P. B. Τῷ παυσιάτρῳ in editioribus Pindi iugis & receſſibus philoſophanti, circulares diſciplinas impenſius callenti, de hoc libro nuper edito, deque altero prope diem edituro, elogium, ἡ μαφλυεία

VOlutanti mihi hunc codicem, viſenda, mirandaque vndique oboriuntur, obuerſatur Thaumantiæ proles, animoque recurſat, ſiue ſubſtrata materia, ſiue ſeries, & methodus penſitentur. Hac Iride percuſſus, & perculſus, ſolo obtutu hæreo defixus, quid enim in eo concinnatum, quod non ſuſpicienda, & ſtupenda tedoleat, arcana magis recondita, quæ à vulgi tenuitate abhorrent, multis ſeculis latentia, nec ſatis diſcuſſa, referat, excorticat; ænigmata obducta inuolucris non findit aut ſcindit, ſophiſtarum more, ſed ſingulari quodam ingenij acumine, ſophorum inſtar, diluit, & ſoluit, omneſque Phiſiologiæ, & Medicinæ calles, ſalebras, ſuo marte, exaciat, adæquat, in quo ſcintillant ſententiarum lumina, & numeri innumeri qui in oratione-

pedestri paucis innotescunt. ô immensum oraculorum pelagus nusquam satis emensum, non eromatis, problematis, opinationibus, conjectationibus refertum, quibus mens fluctuat & titubat, sed definitionibus, axiomatis, principiis, conclusionibus, tanquam corollis redimitum, quibus intelligimus, & sapimus; ô prædiues thesaure, non delitescens in viscеribus terræ, sed diuina virgula erute, defecate, rutilans; ô gleba ferax bibliopolorum non egens pertica vt væneat, quam turmatim circumstant, emaces studiosi, ô macte liber, fermentum bibliothecæ, in quo parturiendo non opus Lucina, aut obstetrice, opus elucubratum & multæ musæ, imo potius, vt tua pace dicam, opella, habita ratione eorum quæ vigiliæ tuæ antelucanæ, & indefessa remigia literariæ Reipublicæ spondent. Sed prodeat 5. & sexta tuarum obseruationum promissarum Centuria, prodeat promissa Magia tua naturalis, prodeat Zoophytorum & Zoolythorum, promissus etiam libellus, prodeat naturæ amphitheatrum in quo animalium, vegetantium, mineralium historias, & omnes artes breuiter edoces, prodeant adhuc alia tua Chemistica opera; prodeat curiosa mollis tui Mæcenatis vita, prodeat tandem in auras luminis doctus tuus Gelasinus, Democritus promissus cachinnos efflans, cum suis atomis, & eorum angulis, ab Epicuro plagiario tantopere deprædicatis, prodeat intrepide demens ille cordatus, vesanus sapiens, exoculatus Lynceus, aruncis hirsutus, macie & pallore confectus, in sepulchretis tanquam in tomentis degens, sed tamen Apiciorum ligurientium, quidquid obganniant

imperiti, popinarum & cupediorum profligator acerrimus, de cuius animi pulchritudine & dotibus, sine æmulo & liuore fulgentibus, alias majoribus plausibus discutiendum censeo, satis lotus, & lictus, vrsulus, ingenij tui fœtus, hunc tanquam amasiam venustulam efflictim depereunt philomusi, efflagitant symmistæ, nescio quo Loto inescati, aut quibus lenociniis pellecti, ne timeas assiduis contrectationibus sordidari, neque pœdorem, neque pudorem, contrahunt libelli, pumice expoliti, aureis vmbilicis in musæis literatorum superbientes, horum attritus & rugæ, ostia famæ sibi pandent, nomenque tuum nullo temporis curriculo deciduum, dabunt fastis. In tanta rerum qua, obruor copia, sufficiant hæc libamina, in monumentum amicitiæ, obsequij, & obseruantiæ, ne ingrati animi labem, næuumque incurrat.

Tibi addictissimus P. Dumasius
Iuris vtriusque Doctor. Castr.

ELEAZARI CAMPDOMERCI, Medicorum Castrensium Decani, pro Petro Borello Medico, testimonium.

NOs Eleazarus Campdomercus, Podiolaurensis Tolosas, artium & Medicinæ Doctor Monspelienſis, Monspelienſium Medicorum in Gallia Narbonenſi, Fuxenſi Prouincia, & superiori Aquitania, Medicinam facientium, Decanus; Bastideæ & Troupiaci Dominus, omnibus præsentes literas visuris, salutem in Domino, qui

est omnium vera salus. Omnibus notum esse volumus charissimum apud Castrēses collegam nostrū Dūm Petrum Borellum Medicinæ Doctorem, ἀλεξιφαρμάκῳ Mansuetioribus Musis inuigilasse, Philosophicis studiis diligenter incubuisse, vberiores ardentiore studio, in Medicina, & materia Medica, fecisse profectus, nobis & aliis Doctoribus, supremam Apollinarem Lauream adeptum, singularis doctrinæ specimen, exhibuisse. Philosophicas, & Medicas disputationes, & viriliter, & doctissime sustinuisse, ita vt vnanimi consensu, & nemine refragante dignus fuerit iudicatus, qui Medicorum Castrensium albo ascriberetur. Quare iureiurando collegio nostro glorioſe nomen fidemque dedit: vnde postea per decem annos Medico operi dans operam & sedulam & non pœnitendam, plures ægrotantes grauissimis morbis conflictatos, arte ac methodo curauit; & nobiscum sæpius consilium agitando, præclara semper præbuit, & ad rem scientiæ Medicæ & theoriticæ & practicæ documēta. Præterea eo, quo pollet ingenij acumine, materiæ Medicæ studiosissimus, improbo labore, eam sibi ita suam fecit, vt amplissimam & perquam raram sibi struxerit φαρμακοθήκην seu nobilissimū ΙΗΤΡΕΙΟΝ ex lectissimis familiis Botanicorum, animalium, metallorum, ita vt l'ΑΤΡΙΚΩΤΑΤΟΣ & singularis Professor huius materiæ Medicæ, iure dici mereatur; vnde quoscumque viros doctos, nobiles, & magnates, quos ad se quotidie allicit, summus ac integerrimus Senatus, ex variis oris, ad se etiam quotidie pelliciat scrinium illud ornatissimum, imò & ipsos Senatores, ac præsides amplissimos, non sine magna viri Medici; & re-

rum in eo ϑΑΥΜΑΣΙΩΝ admiratione, quibus abunde & oculos & animum explet : hæc nobilis scilicet tanti viri in materia Medica fama est, bonum quippe.

Quo non velocius vllum,
Mobilitate viget, viresque acquirit eundo.

Majores vero præter hæc, viri vigilantissimi, Astrologiæ, Chimiæ & antiquitatum, peritissimi gloria. Ad quorum omnium fidem cuiuis notissimè faciendam, has præsentes literas propria manu exarauimus, & subscripsimus, & sigillo nostro roborauimus, datum apud Castrenses Calend. Decemb. 1651.

CAMPDOMERCVS Medicorum
Castrensium decanus.

ELENCHVS AVTHORVM
in hoc opere laudatorum.

A Binzoar.
Pægineta.
Ælius Spartianus.
Aetius.
Albertus magnus.
Albucasis.
Aldrouandus.
Amatus Lusitanus.
Aristoteles.
Cr. Auega.
Auentinus.
Auicenna.
R. Baco.
Ballonius.
Bartassius.
Bartholinus.
Beguinus.
L. Bellantius Sienensis.
Beniuenius.
Blancanus.
Bocatius.
Bochartus.
Bodinus.
Ansel. Boërhius à Boodt.
Boaistuæus.
Bontius.

Cabrolius.
Calceranus.
Campanella.
Cardanus.
Carpentarius.
Carteſius.
Celſus.
Cicero.
Conrad. Rubeaq.
Strozzi Cigogna.
Cluſius.
Columbus.
Coſmopolita.
Cornarus,
Daubignæus.
Dalecampius.
Democritus.
Diodorus.
Dion.
Dodoneus.
Dygbæus.
Donatus.
Erneſtus.
Eraſmus.
Euſebius Nieremb.
P. I. Faber.
Faber alius.
Fabricius ab aqua pendente.
Faſellus.
Epiph. Ferdinandus.
Io. Fernelius. R. Flud.
L. Fuchſius.
Galenus.
Gentilis.
Gaſſendus.
Corn. Gemma.
Geſnerus.
Gordonius.
Goulartius.
Gruterus.
Gualterus.
L. Guyo.
Harueus.
Helmontius.
Prophetica halieutica.
Hipocrates.
Herodotus.
Heſiodus.
Hollerius.
Horſtius.
Ingolſtetterus.
Ionſtonus.
Iuuenalis.
Kirckerus.
Lacerda.
Langius.
A. Laurentius.
L. Lemnius.
Lermæus.
H. Linſchottus.
Tit. Liuius.
I. Lipſius.
Lobel.
Lycoſthenes.
Cæſar magatus.
Marcellus.
Mangia Saſſi liber.

Massacus.
A. Matthiolus.
P. Messias.
Mizaldus.
Mouffetus.
Mullerus.
Nardus.
Obsequens.
Oribasius.
Origanus.
Osorius.
Ouidius.
Pareus.
Paracelsus.
Pecquetus.
Picus.
Platerus.
Plinius.
Plutarchus.
Pomponatius.
Quercetanus.
Alex. de Rhodes.
Rhumelius.
Gualt. Riff.
L. Riuerius.
Rochas.
Rondeletius.
Rosembergius.
Roüillardus.
Ruffus Ephesius.
M. Rullandus.
Salmut.
Sambucus.
1. Scaliger.
Scola Salerni.
M. Sendiuogius.
Diod. Siculus.
Seneca.
D. Sennertus.
Skenkius.
Seuerinus Danus.
Stephanus.
Taliacotius.
Tenzelius.
Thucydides.
Torrentius.
Valerius Maximus.
Valeriola.
Van Helmontius.
La Mothe le Vayer.
Virgilius.
Vveckerus.
Veintrichius.
Æ. Vinetus.
Vincentius.
Vvitflietus.
Vopiscus.
Zacutus Lusitanus.
Zuingerus.

Alij.

Aristomachus.
Xenocrates.
Aristophanes.
Epicurus.

Alij viri Docti in hoc libro memorati.

D. Alegrius.
De Balde.
D. Baricauius.
D. Barletus.
Bonellus.
D. Borellus legatus Hollandus, eiusque frater.
Borrilly.
D. Bressiæus.
Brussonius.
D. De Campdomerc.
De Castel-franc.
D. Catterius.
Chatardus.
De Chambulans.
Chesneau.
De Claus.
Curtaudus.
Dalaret.
D. Digbæus.
Du Cros.
Duncanus.
Le Faucheur.
Ferrier.
Le Fevre Med.
Formius.
De Fregeuile.
Gaffarellus.
Gaignerius.
Haguenot.
Hardy.
Henricus.
Lagneus.
D. Laurentius.
Liergueus.
De Linga.
De Loberie.
Lumague.
D. Martinus.
Masnauius.
De Mons.
D. Morinus.
De la Mothe le vayer.
De Noyers.
La Nouius.
De Peiresc.
La Pierre.
De Puechmeia.
De Riolet.
De Ponartin.
Quesnot.
D. Robinus.
Riuerius.
Rousseau.
Rupefortius.
Saporta.
De Serres.
De Stamples.
Solegrius.
Tamponetus.
D. Vigerius.
D. Vignauetus.

FINIS.

LYON

342267

ISAACI CATTIERII

IN CELEBERRIMA

MONSPELIENSIVM,

MEDICORVM VNIVERSITATE

Doctoris, & Medici Regij.

OBSERVATIONES MEDICINALES

PETRO BORELLO, *Medico*

Communicatæ.

PARISIIS.

M. DC. LVI.

CVM PRIVILEGIO REGIS.

CLARISSIMO,

ET DOCTISSIMO MEDICO P. BORELLO MEDICO REGIO.

ISAACVS CATTIERVS, S. P. D.

RATVM est & indubitatum artem Medicam ratione & experientia duci, quæ duo sunt veluti crura quibus stat firma tota eius compages, atque structura: horum namque alterutrius ope si careat, vacillat; si vtriusque fulcro destituatur corruit, jacetque penitus iners & inutilis; Et quemadmodum ait Hippocrates lib. de Fracturis ὅλον τὸ ἄχθος τοῦ σώματος οἱ πόδες ὀχέουσιν, ita hæc duo sunt veluti columina, quibus hæc ars innititur, & stabilitur: siue duo sunt lumina, quorum alterutrius vsura orbatus qui amplissimum Medicinæ stadium percurrit, in multis salebris hæret, & periculis ineluctabilibus objicitur. Ἀμφιδέξιος debet esse qui hancce artem exercet, & vtroque hocce organo veluti bina manu ad agendum expedita instructus, qui ægrotanti ho-

mini ſuppetias laturus eſt. Artem primum experientia fecit, ratio vero deinde perfecit; nec enim eius theoremata atque dogmata, niſi ex variis obſeruationibus, & collectionibus fuere conſtituta; proinde Empiricorum ſecta omnium prima extitit, cuius ſectatores Philinum Coum Hippocratis conciuem, vel Acronem Agrigentinum Empedoclis diſcipulum authorem prædicant: Empedocles autem ſub Artaxerxe an. mundi 4753. & ante Chriſtum 439. vixit, quo tempore floruit etiam Hippocrates. Experientia primùm dieteticam inuenit vt teſtatur Hippocrates l. de veteri Medic. cum homines per ægritudines cibos mutantes iuuarentur, compertumque fuiſſet eos quibus ventriculus erat infirmior, ἀπὸ τ ἰσχυρῆς κ̀ θηριώδους ἀφορίτης lædi; ſic & Galenus lib. de ſubſigur. empirica ſcribit. Primis temporibus vt credi par eſt noxia pariter & innoxia, ſimilique modo vtilia & inutilia obſeruari cœperunt, & ibidem. cum vnius hominis vita ad omnium inuentionem ſufficere nequeat, longi temporis obſeruationes hiſtoria colligit, vt eius beneficio tanquam ex multis tot ſæculorum hominibus, vnus efficiatur eruditiſsimus: dicitur autem experientia cognitio rerum ſingularium per vſum reperta, differtque ab arte quod hæc ſit rerum vniuerſalium; hancque eſſe cauſam ait Ariſtoteles propter quam

experti id quod intendunt magis consequuntur, quam qui rationem sine experientia sequuntur, καὶ μᾶλλον ὑπιτυγχάνοντας ὁρῶμεν τοὺς ἐμπείρους, τῶν ἄνευ τ ἐμπειρίας λόγον ἐχόντων. & paulo infra subdit si quis rationē absq; experientia teneat, & vniuersale quidem cognoscat, quod autē in eo particulare est ignoret, sæpe numero à sanatione aberrabit: id .n. magis sanabile est, quod singulare est. Experientia, ex Galeno, eorum est quæ sæpius eodemque modo visa fuerunt obseruatio & memoria; addit vero lib. de subfigur. empir. forte præstaret solam ponere memoriam cum sub illa obseruatio contineatur; neque enim memorari possumus ea quæ sæpe eodem modo perspecta sunt, nisi prius illa obseruauerimus; nec potest comparari illa cognitio experimentalis, nisi factis pluribus obseruationibus circa singularia, triplicisque instrumenti beneficio, nim. αὐτοψίᾳ seu propria inspectione, historia seu aliorum relatione, & transitu ad simile, propterea ait ibidem Galenus, obseruatio memoriam, & memoria experientiam peperit, à qua ars proxime emanat. Plurimum igitur vtilitatis adferunt obseruationes in arte Medica, nec à Medico rationali contemnendæ veniunt: in morbis enim quorum causa latens atque abdita est, vel curatio difficilis, fluctuantem medentis animum erigunt, & à vero cura-

tionis tramite sæpe deflectentem dirigunt: harum auxilio progressus fit ad analogismum, dogmaticorum scilicet Medicorum, (qui propterea ἀναλογιστικοὶ dicuntur) rationem, qua ex re euidenti & sensibus manifesta, deducuntur in alterius obscuræ cognitionem; dumque morbi causa ignota est, & remedium non manifestè indicatur, coguntur à similibus ad similia transire: sic hydrargyrosis luis venereæ extrema anchora, vltimumque præsidium, excogitata fuit atque inuenta, postquam obseruauissent Medici hydrargyrum scabiem, vlceraque maligna sæpius sanare, quæ cætera remedia non poterant; cumque similes affectus in lue venerea sæpius contingentes animaduerterent, idem quoque remedium ad hunc morbum profligandum vsurpare postea decreuerunt. Aliter tamen se gerunt in hoc transitu ad simile dogmatici, quàm empirici: hi enim credunt tantùm iis, quæ vel sensui patent, vel memoriæ per sensum mandata sunt, atque plurima indeterminate agunt, & plus æquo confidunt historiæ: dogmatici vero præter hæc, illis quoque quæ ex naturali rerum consecutione per rationem acquiri solent, fidem adhibent, vt ait Gal. lib. de subfig. empirica: vtq; in vtrisq; ἡ τοῦ ὁμοίου μετάβασις distingueretur, factum est vt empiricorum diceretur epilogismus, ratio scilicet non recedens

ab his quæ sensibus percipiuntur, & manifesta sunt; dogmaticorum vero analogismus. Quàm diuersa ratione transitu ad simile vtantur Empirici, & rationales, præclare docet Galenus lib. de opt. Sect. ad Thrasybulum, aitque Empiricum Symptomatum omnium concursum obseruare, non secernendo vtilia ab inutilibus, & variante quocumque modo Symptomatum concursu, curationem quoque mutare: quæ curandi ratio non semper conuenit, quia aliquando mutanda est aliquando non: sic ἐμπροσθότονος & ὀπισθότονος licet diuersam habeant faciem, & symptomatum cateruam, eandem tamen curandi rationem obtinent: aliquando vero similis est prorsus symptomatum concursus, non tamen eadem competit curatio, veluti in sanguinis reiectione ex ruptione & erosione; proinde rationalis Medicus distinctione vtitur, atque vbi symptomatum concursus in aliquo inutili discrepat, curandi rationem non ideo immutat: vtilia autem symptomata sunt quæ desumũtur à causis, à locis affectis, & à virtute: ad hæc enim tria respiciens Medicus rationalis, etiam in morbo occulto semper remedium accommodatum virtute analogismi comperiet, auxilij quidem genus à causa, vtendi modum à loco, mensuram vero à virtute, ita vt causa eadem existente, loco vero & facultate diuersis idem remedij

genus insinuetur, sed mutetur vtendi ratio, & contra: egregie Galenus initio lib. 3. meth. medend. Empiricorum & dogmaticorũ discrimen vnâ cum experientiæ & rationis coniugij necessitate his verbis declarat οἱ μὲν οὖν ἐμπειρικοὶ δι' ἐμπειρίας εὑρίσκεσθαι πάντα φασίν. ἡμεῖς δὲ τὰ μὲν Ἐμπειρίᾳ, τὰ δὲ λόγῳ. μήτε γὰρ ἐκείνην ἱκανὴν εἶναι πάντα, μήτε μόνον εὑρίσκειν τὸν λόγον. *Id est, Empirici quidem per experientiam inueniri omnia contendunt: nos partim experientia partim ratione: neque enim illa ad inuenienda omnia sufficiens est, vt neque sola ratio. Fallit sæpe experientia nisi ratione illustretur & corroboretur, propterea Seneca lib. 6. de beneficiis cap. 18. multos inquit fortuita sanant, nec ideo remedia sunt, & alicui in flumen cecidisse frigore magno causa sanitatis fuit, quomodo quorumdam flagellis quartana discussa est. Hæc ob oculos posui* (Mi Borelle) *vt quæ inter medendum sedulò à te annotata fuere & fideliter conscripta, veluti empirica & rationali Medico indigna non temere damnentur; nec propterea ab incœptis tuis desciscas, quæ tuam industriam diligentiam, indefessumque laborem, addo & πολυμαθίαν singularem produnt, cuius egregia sunt monumenta variæ illæ lucubrationes, quarum vel soli indices libro antiquitatum Gallicarum nuper à te in*

lucem edito præfixi, in tui admirationem nos trahunt; tot enim peragendis nedum ætas tua; sed nec hominis auum sufficere posse videtur; ex his tamen quamplurima ad finem iam fœliciter perducta sunt quæ prope diem publicæ vtilitatis ergo in vulgus emissurus es. Nunc vero prodeunt obseruationes tuæ Medicæ multò auctiores & locupletiores quàm antea, ex quibus salutares fructus semper colliget, qui has ad legitimos vsus referet, quique eiusmodi casus varios & experimenta attente leget & ponderabit, in artis operibus procul dubio euadet exercitatissimus; iter enim ad exercitationem indicant, inquit Galenus. Cæterum dum ad hoc scribendi genus animum appulisti quamplurium celeberrimorum virorum vestigiis institisti, qui obseruationes suas & experimenta posteris benigne communicarunt, è quorum numero sunt Schenckius, Diomedes Cornarius, Valleriola, Forestus, Marcellus Donatus, Epiphanius Ferdinandus, Felix Platerus, Iacobus Oëtheus, Iessenius à Iessen, Ioan. Rudolphus Camerarius, Gregorius Horstius, Dominicus Panarolus Romanus Medicus, Ioan. Vvierus, Ioan. Vvittichius, Iodocus Lommius, Matthias Cornax, Petrus Matthæus Rossius, Philippus Hechsteterus, Vvolfgangus Gabelchouenus, Philippus Gruelingius, Ioannes

Henricus Freytagius, Amatus Lusitanus, Rembertus Dodonæus, Antonius Beniuenius, Ioan. Chiffletius, Marsilius Cagnatus, Ioan. Langius qui multas obseruationes epistolis suis inseruit, Henricus ab Heer, Seuerinus Eugalenus, Nicolaus Fontanus, Petrus Lotichius, Ioan. Fabricius Hildanus, Zacutus Lusitanus, Philippus Salmuthus, & alij qui similibus obseruationibus, tum ad praxim, tum anatomiam pertinentibus, opera sua Medica exornarunt, vt Fallopius, Iulius Cæsar Arantius, Bartholom. Cabrolius, Ambros. Paræus, Alexander Benedictus, cuius opera Nancelij manu correcta, in musæo suo libris refertissimo seruat vir clarissimus, mihique amicissimus Dom. Stamples Serenissimi Aurelianensium Ducis & Regis auunculi Medicus. His adde Sebastianum Meierum qui de obseruationum vtilitate scripsit epistolam, quæ Fabricij Hildani obseruationum Chirurgicarum centuria secunda, Geneuæ in 8. excusa extat. Possent symbolam suam multi conferre, qui ex artis operibus non paruam gloriam adepti sunt; sed vel illud bonum nobis inuident, vel ipsis per otium non licet singula quæ quotidie obseruant litteris exarare & publici iuris facere: pauca quorũ nũc recordor tibi expetenti cõmunicare non renuo, plura suppeditaturus si occasio & tempus darentur. Vale.

CALCVLI INNVMERI
inter meiendum excreti.

OBSERVATIO I.

VIR quidam ad Lutetiam litis defendendæ causa profectus in insula Palatij habitans apud D. *Le Cler* pistorem, annos natus circiter 45. renum calculo laborans diris admodum cruciatibus vexabatur per tres aut quatuor dies. Hic post vsum enematum, venæ sectionis, purgationis blandæ, semicupij, & olei amygdalarum dulcium per expressionem absque igne extracti, cum aqua stillatitia parietariæ intus sūpti, tandem excreuit vna hebdomade plusquam centum calculos, cicerum magnitudinem, colorem, & figuram referentes, lateribus quibus scilicet adhæserant quodammodo depressos. Cumque ab his tormentis per mensem liberatus esset, in ea denuò incidit, totidemque vnà cum vrina excreuit lapillos: sic autem miseram vitam degens, quia non amplius negotijs poterat esse intentus, de reditu in patriam cogitauit; Sed iter suum peragendo vi morbi coactus est in diuersorio commorari, vbi symptomatum sæuitia è viuis discessit.

Quis miseram illam fœcunditatem non mirabitur?

SCHOLIVM.

Similem fere legimus historiam apud Felicem Platerum lib. 3. obseruationum pag. 838. Quam Franciscus Colutius Veliternus transtulit in suum librum de querelis nephriticis: ibi enim refertur Theologum quemdam Milhusanum, calculos bis mille & plures mingendo paucorum annorum spatio reddidisse. Miror sane in hominis renibus talem reperiri lapidicinam, è qua tot lapilli eruuntur ad corporis fabricam euertendam potius quam construendam comparati: Renum amplitudo talis non videtur vt possit numerosam illam calculorum ftuticationem suo sinu complecti, quare necesse est vt de nouo illi generentur multi exiguæ magnitudinis, veluti in ouorum productione fit, vnusque post alium continuò succrescat. Hæc renum calamitosa feracitas deploranda est; tantum enim abest vt illa ætatis progressu imminuatur atq; euanescat, quin potius augetur viresq; acquirit, eundo. λίθων μὲν ὧν εὐφυῆ γενέσθαι ἐς ἄφθονον τρέψαι ἀδυάτου. ῥᾴτερον μὲν γὰρ μίτρῃσι πόκον θέμενα ἢ νεφρὸς λιθιῶντας ἀλίθους inquit Aretæus l. 2. de curat. diuturn. c. 3. Quare autem ætas prouecta sit calculorum renalium feracior, rationem petendam esse existimo, tum ex parte excrementorũ quæ hac ætate magis redundant, tum ex caloris innati debilitate, cuius est coquere alimenta, excrementa secernere & expellere, & omnia naturæ opera, quæ in nobis peraguntur, perficere: Hicque debilitatur tam ab intemperie frigida quam calida,

vt in febribus videre est, ita pueris calculus vesicæ familiaris est propter eius partis imbecillitatem; proindeque in vtriusque intemperaturis reperiri potest calculorum concretio, non quod existimemus tantum in corpore dari frigus vt illo concrescat materia calculosa, nec tantum calorem vt illam instar laterum excoquat atque induret, sed quod natiuus calor partium in quibus calculus generatur ita segnis hebesque reddatur, vt materiam illam excrementitiam digerere, excernere, atque expellere non valeat, sed fiat veluti transcolatio tenuioris partis, crassiori atque terrestriori subsistente veluti fit in lexiuijs; quod autem adeo facile in renibus subsistat, causa est angustia viarum, atque meatuum per quos transit materia illa calculosa, quæ ipsis prõpte adhæresci, citòque concrescit, aquosiori parte separata, propter scilicet internum coagulationis principium, quod quidem nil aliud est, vt existimarunt plerique recentiores, quam spiritus quidam salinus, materiam terrestrem & fæculentam in tophos calculosque coagulans, qui per nouum materiæ appulsum augentur, & multiplicantur: idque per experimenta chymica comprobant, quibus videre est spiritum vrinæ, aut spiritum salis alijs spiritibus vel oleis affusum, ea in butyri vel vnguenti formam coagulare, quorum exempla legi poterunt apud Matthiam Vntzerum tractatu de nephritide. Huius sententiæ fuit Theophrastus Paracelsus lib de morb. tartar. quem plures sequuti sunt vt Crollius in præfat. basilic. nec ab ea opinione recedunt Matthiolus præfat. in 5. Dioscorid. Felix Platerus praxeos tom. 2. cap. 12. Anselmus Boëtius lib. 2. de gem-

mis cap. 302. vbi preclare docet quomodo in corpore humano lapides generentur: Sennertus lib. 2. institutionum partic. 2. cap. 9. & practicæ medicinæ lib. 3. pratic. 7. sect. 1. cap. 6. & capite 11. libri de consensu & dissensu galenicorum & chymicorum: Beuerouicius eleganti quem de calculo conscripsit libro. cap. 6. & Riuerius praxeos medicæ lib. 14. cap. 1. Hofmannus in institutionibus medicis lib. 3. cap. 123. non multum ab his dissentire videtur, dum serum calculi causam materialem statuit, quatenus ei mixtæ sunt exhalationes plurimæ quibus inest Salsedo; sed humorem quembibet crassum & præsertim pituitosum adiungit; atque inde est ratio cur calculi generentur in omnibus partibus; cum enim serum sit ὄχημα τ τροφῆς per omnes decurrit, & potest illi iungi pituita.

Calculus insignis & inæqualis, pulueris cuiusdam assumpti vsu per vrinam excretus.

Observatio II.

Dom. Salé pictor ingeniosus, doloribus nephriticis isque acutissimis conflictatus fuit varijs exhibitis & abhibitis remedijs tum generalibus tum particularibus, & presertim emulsionibus ex quatuor seminibus frigidis maioribus mundatis, & decocto radicis altheæ, & taraxaci paratis, non cessauit dolor ipsũ misere excrucians;

semicupij tamen vsu remittebatur, sed mox idem recurrebat: tandem morbi crudelitatis & diuturnitatis pertęsus, à fœmina quadam accepit puluerem quem ad ʒ. 1. cum vino albo sumpsit, à cuius hausu calculum insignem inæqualem non sine dolore per vrethram excreuit, meliusque inde se habuit. Hunc puluerem quem vidimus & manu tractauimus, ex odore & sapore, è radice enulæ campanæ exsiccata factum fuisse iudicauimus. Ex hac obseruatione colligi potest in nephriticis doloribus corpore conuenienter vacuato, viisque emollientium vsu relaxatis, & humorum feruore contemperato, interdum locum dari diureticis, vt arenulæ siue calculi ad vesicam detrudantur, modò grandior calculus non conijciatur, alioquin illum in caput vreteris propellendo grauiores dolores excitarent.

Calculus vesicæ grandior quam vt potuisset ægro superstite extrahi, cum alio minore inter vesicæ membranas delitescente.

Observatio III.

Anno domini 1647. mense iunio inuisi apud Dom. le Ferreur Pharmacopoeum Regium vna cum peritissimo lithotomo dom. Collo, D. Challier dictum vulgò la Sonde Chirurgum in cohorte D. de Verneüil apud Batauos, annos natum circiter quadraginta, statura mediocri, corpore quodammodo crasso; in quo vrinam labo-

rioſam & ſtrangurioſam admodum comperi, vireſque ex itineris labore fractas; adeo vt poſt ipſius calculi per catheterem explorationem, ingraueſcentibus ſymptomatibus illas cyſtotomiæ ferendæ pares non iudicauerim; cui ſententiæ comprobandæ non defuit euentus cum enim in dies cruciatus illi ingraueſcerent, vireſque collaberentur fato tandem functus eſt. Aperto cadauere renes vrina diſtenti & turgidi reperti ſunt, quibus diſſectis copioſa effluxit, vreteres admodum lati, in veſica calculus inuentus eſt ponderis vnciarum quatuor cum ſemiſſe, totam veſicæ capacitatem replente vnà cum altero exiguo in ipſius veſicæ ſubſtantia deliteſcente, hepar liuidum & corruptum, quemadmodum & pulmones deprehendi, propter materiæ ſeroſæ tam ad partes naturales quam ſpiritales refluxum.

SCHOLIVM.

Hic lapillus intra duplicem veſicæ membranam latens haud dubiè in majorem molem excreuiſſet, ſi vlterius vita iſtius ægrotantis, prorogari potuiſſet, atque in hac veſicæ parte veluti ſaccum quemdam à priori veſicæ cauitate diſtinctum efformare potuiſſet. Hoc exemplum (credo,) nobis veluti digito monſtrat quomodo in quibuſdam calculoſis veluti duplex veſica efformetur: ſuo enim pondere atque mole calculus paulatim creſcens diſtendit & à ſe inuicem veſicæ membranas ſeiungit, ſibique amplum parat quo contineatur ſpatium, ſacci cuiuſdam in modum à priori veſica dependentis effictum, atque rupta vel exeſa interiori eius membrana peruium: atque

Riolanus

Riolanus lib. 2. anthropogr. illud idem obſeruat. hominis veſica, inquit, interdum intus ſactum ſine foueam habet extra capacitatem inferne protuberantem in qua ſæpe grandiores lapides nidulantur & latitant, qui immiſſo catheterе detegi ac deprehendi non poſſunt. Simile quid in magni Caſauboni aperto cadauere inuentum fuiſſe narratur, in cuius veſicæ cauitate veluti cuniculi exſculpti erant, quorum cauernulæ infinitis rotundis lapillis ſcatebant, & ad ſiniſtrum latus perforatum erat veſicæ corpus & peruium, rotundo foramine in ſaccum ſiue quandam veſicæ ἐκφυσιν deſinens, eamque craſſam atque ſpiſſam, eò nimirum propter partis imbecillitatem confluente ſanguine, in cuius veſicæ additiciæ fundo ingens ſaburra putris & olidi muci ſeu phlegmatis vitrei reſidebat; quam quidem veſicæ conformationem ab ipſis naturæ primordiis factam fuiſſe quidam exiſtimarunt. Ex hac autem obſeruatione colligitur inſuper nullum locum calculi extractioni relictum eſſe, vbi grandior factus eſt, & ad extrema ventum eſt: temeraria enim eſt tunc temporis veſicæ ſectio, quæ alias multis profuit; cum extrahi non poſſit calculus, niſi magno vulnere inflicto quo veſicæ corpus integrum diſſecatur atque effringitur, vireſque dolorum & cruciatuum immanitate exhauſtæ ſunt.

Vesica per medium eius corpus vulnerata quæ perfecte coaluit.

OBSERVATIO IV.

NOn longè à vico dicto Bvssy S. GEORGES sex leucis à Lutetia dissito, vidi Pastorem quemdam grauiter vulneratum : hic cum alio dimicans in terram prona facie ceciderat, huicque humi jacenti aduersarius latum cultrum, quem præmanibus habebat, in perinæum adegerat, ita vt amplo vulnere medium vesicæ corpus dissectum fuerit : effluebat continuò per vulnus vrina, neque eius guttula per vrethram stillabat : cum bono corporis esset habitu commoda victus lege instituta, solo balsami Arcæi in vulnus instillati vsu perfecte curatus fuit. Hunc curauit peritissimus Chirurgus mihique affinis D. Philippus Godde.

SCHOLIVM.

Solemne illud est Hippocratis aph. 18. sect. 6. cui perfecta fuerit vesica, aut cerebrum, aut cor, aut septum transuersum, aut tenue quoddam intestinum, aut ventriculus, aut iecur, lethale est. Et in coacis moriuntur autem maxime ex vulneribus, si cui cerebrum vulneratum fuerit, aut medulla spinalis, aut hepar, aut diaphragma, aut cor, aut vesica, aut aliqua ex iis venis quæ crassiores sunt. Hæ sunt enim partes corporis quarum officio vita carere nequit, proindeq; earũ vulnera

sunt mortifera quod intelligendum est ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ multa siquidem ex insperato contingunt in morbis. Sic Gal. l. 8. de vs. part. sub finem narrat se vidisse incredibile spectaculum in Smyrna vrbe Ioniæ. percuratum scilicet vulnus in adolescente, quod penetraret ad anteriorem ventriculum cerebri. καὶ ἡμεῖς ποτὲ τὸ παράδοξον ἐκεῖνο θέαμα, τὸ ἐπὶ τῆς ἰωνίας ἐν σμύρνῃ γενόμενον ἐθεασάμεθα, τὸ πρωτοτόκον νεανίσκον εἰς τὴν ἑτέραν τῶν παρωτίδων κοιλίων εἶτα παρεγενόμενον, ὡς ἐδόκει βελτίστῳ θεῷ, ἀλλ' ὅμως οὐ πάνυ ἐπ' ὀλίγον ἐξήρεσεν ἀμφοτέρων ὁμοῦ πρωτεισῶν. Memoratu digna est obseruatio quæ est 34. quam scripsit Cabrolius de rustico quodam, cui portio cranij vna cum cerebri altera portione abscissa fuerat, quem cum ita sauciatum videret, ipsum soli prognostico reliquit: at alterius rustici ope qui linamenta & linteamina omnia larido liquato, & multoties abluto insuccata apponebat, præter spem omnium curatus est, quod ipsum docuit de salute cuiuscumq; vulnerati nunquam desperandum esse. Hollerius cómm. in aphorism. laudatum, mentionem facit cuiusdam militis suspensi, cuius dissectioni præfuit, in quo vulnus obductum cicatrice in parte carnosa diaphragmatis deprehensum est. Multæ historiæ pariter fidem faciunt vulnerum, tum ventriculi, tum vesicæ curatorum; nec alterutrius partis sauciatæ facilior est curatio, cum vtraq; sit membranosa; at prioris exemplum habemus in cultrinoro illo prussiaco cui facta est sectio ventriculi die 9. Iulij an. 1635. versus sinistram hypochondrij partem ad duos transuersos digitos sub nothis costis, secundum

rectitudinem, eoque successu absoluta est, vt non tantum culter decem transuersos pollices longus exinde extractus, sed & homo ipse sanitati restitutus fuerit. Huius curatio descripta fuit à Daniele Beckero Dantiscano Medicinæ Professore in academia Regiom. Et Dom. Ion. Clau. De la Covrvee, nunc Reginæ Poloniæ Medicus historiam conscripsit similem, cuiusdam insanientis in vico quatuor leucis à Lutetia dissito habitantis, qui cultrum vna cum craticulæ ferramentis vorauit, è cuius dorso cultri lamella extracta fuit, manubrio quod erat eburneum per moram in ventriculo liquato & consumpto, atque intra sex hebdomadas eius curatio absoluta fuit: antequam vero culter educeretur vaginam cultri quam simul vorauerat ano deiecit, & duobus mensibus elapsis aliud ferrum è dextro epigastrio eductum fuit, post quinque menses è sinistro epigastrio erupit cochlidium ferreum semipede longius: vulnera autem similiter sanata sunt.

Quæ igitur de vulnerum vesicæ curatione referuntur fidem superare non debent; non enim eius substantia est penitus membranosa; constat si quidem duplici membrana propria, quarum externa carnosa est; imo hanc Bartholinus cum Aquapendente musculum esse asserunt totam vesicam circumdantem, vt eius in vrinæ emissione contractioni inseruiat; proinde illa vulnerata agglutinari & coalescere potest, licet cum aliqua difficultate, nec plane est ἀσύμφυτος vt asserit Duretus, com. in coacam prædictam, nisi, ratione tunicæ eius interioris quæ neruea est, & ἄσαρκος καὶ ἀδιάπνους existit, ille intelligatur. Suntque plu-

nima eius vulnera inquit Hollerius com. in prædictum aph. quæ non possunt coalescere ; non tamen lethalia existunt : plurima vero fuerunt, quæ ad perfectam sanationem deducta sunt, Quod pluribus tum veterum, tum recentiorum historiis confirmari potest. Galenus initio de locis affectis refert historiam cuiusdam adolescētis Mitylenis, qui circa sedem gladio sauciatus, vulnere satis profundo, tribus primis diebus neque cibum, neque potum, ingessit, quarta vero die, adhibitis prius remediis, cibum sumpsit ac bibit quoque deinde occidente sole iterum adhibita curatione, vrinæ circiter quatuor heminas per vulnus excreuit, cum antea ex quo vulneratus erat, nihil vrinæ reddidisset. Tum vero ab onere quo circa pubem grauabatur se perfecte liberatum esse dixit. Itaque procul dubio constabat in hoc vesicam fuisse vulneratam ; atque interpositis quibusdam addit Galenus. Percussus ergo valide quidam (scil. hic iuuenis) in ea parte, quæ femen appellatur, Græci perinæon vocant, inflammatione suborta in vulnere, vrinam reddere non potuit ; at vesica ipsa vtpote plena, manifeste secundum circumscriptionem intenta erat : huic ne irritaretur inflammatio, æneam fistulam adhibere noluimus, sed aqua calida affusa perungere satius putauimus : cumque tribus horis sic eum tractassemus, tensione non parum relaxata ac dolore, vt ipsemet fatebatur, non ita grauiter infestante, iussimus vt vrinam reddere tentaret : interim cum nos vesicæ tumorem ad inferiores partes impellendo sensim premeremus, iuuenis vrinam reddidit. Ex hoc loco colligit Iacotius com. in coac. vulnera vesicæ neque necessario ne-

que semper esse Lethalia. Refert Felix Platerus libro 3. obseruationum suarum pag. 797. Piscatorem quemdam Basilienſem sarcite laborantem in teste dextro, superuexisse læsa à lithotomo, inter sectionem sarcitis vesica: cum enim sarcites in immensam molem excreuisset, illam esse amputandam decretum est, sectioque in inguine facta fuit, quam dum administraret Lithotomus, & separaret illam carnositatem, casu vesicam illic quoque nimia distentione ampliatam vulnerauit, atque vrina maximo impetu in altum prosiliit, postea teste illius lateris execto, sarcitem successiue mensis fere spacio amputauit, vrina interim continuò, vnà cum frequenti arenularum copia per vulnus emanante, nec per penem nisi guttatim extillante. Tandem vulnere sanato, fistula in inguinis regione remansit, per quam immisso cathetere breui, quem continuo gestabat, vrinam totum biennium incolumis alioquin reddidit, neque per penem amplius eminxit. Postea sensim ampliato foramine ad vrinam dies noctesque retinendam; turunda coniformis ex panno formata intrusa est, quam supra annos viginti, nihilominus obambulans sanus alioquin & fere decrepitus gestabat.

Quia autem in nostra obseruatione, ad illa vulnera agglutinanda balsamum seu linimentum quoddam à Francisco Arcæo inuentum laudauimus, huius formulam in gratiam studiosorum hic appositimus, qualis extat apud Arcæum lib. 1. de vulneribus capitis, cap. 1. pag. 22. &. therebinth. clar. & emplast. de gum. elem. an. vnc. 1. sem. pinguedinis castrati vnc. 11. pinguedin. porcin. antiq. vnc. 1. liquefiant ad ignẽ & fiat linimentũ.

Hoc, quoties vsus erit ad ignem liquefacto gallinaceæ plumæ extremo vulnus leuiter inungitur.

Inteſtini vulnerati curatio.

OBSERVATIO V.

NOn ita pridem iuueni cuidam ſtatuario, quem inuiſi, ex ſaltu in ſcrotum delapſa ſunt inteſtina, quæ, cum domum deportatus eſſet & in lectum repoſitus, Chirurgi dexteritate in ventris capacitatem reducta fuerunt. Poſtea abſceſſus factus eſt paulo ſupra inguen, quo ſponte aperto alui fæces liquidæ excretæ ſunt, quibus inſpectis non dubitauerunt Chirurgi inteſtinum fuiſſe apertum: ſed cum ſolutio illa continui ex inteſtini eroſione à retento pure facta eſſet, futuram inutilem iudicauerunt; multis diebus elapſis accitus ego, præſcripſi potionem ex infuſo rhei & catholici cum ſyrupo roſar. Deinde potiones vulnerarias ex radice ſymphyti ma. foliis agrimonij, bugulæ veronicæ in hidromelite coctis paratas, & emplaſtrum vlceri ſuperimponendum quod apud Arantium habetur lib. de tumoribus cap. 42. quod ad inteſtini ieiuni in vmbilicum prolapſum ibi commendatur cuius hæc eſt deſcriptio. ℞. Aloës, maſtiches, thuris, ladani ſuccini, gummi tragacanth. gumm. arab. an. ʒ.ij. biſtort. hypociſtid. acaciæ, ſang. drac. bol. armen. orient. gallar. an. ʒ.i. ſem. cum cera citrina, terebinthina, & pice nauali q. ſ. fiat ceratum ſ.a. quod bene adhæreat, puluilloque ſuperpoſito faſcia de-

deligetur. Horum vſu vlcus melius ſe habuit, detergeri viſum eſt, & carne impleri, nec fæces per illud vt antea iam excernuntur: nihilominus tamen adhuc ſub iudice lis eſt. Sic nuper ad me relatum eſt curatum & perfecte ſanatum fuiſſe iuuenem in carcere detentum, qui in ſingulari certamine, quod vulgò duellum vocant, vulnus in inteſtinis acceperat: at infortunatus ille, eò quod ſpreto Regis decreto prælium iniuerat, laqueo ſuſpenſus fuit, & ſtrangulatus.

De melancholico dictu quædam ſtupenda.

OBSERVATIO VI.

IVuenis quidam annum agens circiter 25. me conuenit, dixitque ſe grauiſſimo vexari incommodo quod dictu horrendum erat, vixque quale eſſet illud propalare ſe auſurum aſſeuerabat. Ipſum vero reſpiciēs, animaduerti atrocem vultum ὀφθαλμὸς ἐγκοίλους, totum corporis habitum ſqualidum & ſiccum, ipſumque proinde iudicaui melancholicum; cum inſtarem opus eſſe ſi vellet ſanari, vt illud declararet Medico, verecundus retulit ſibi inuito & reluctanti cum verſaretur ſolus in cubiculo, ab aliqua vi interna diduci & aperiri buccas, linguamque moueri, & ad vocabula plurima proferenda impelli, atque ſæpe lingua & labiis immotis vocem in faucibus formari & dearticulari, cuius miniſterio quæcumque in vita patrauerat flagititia ipſi exprobraban-

tur, & ad Deum abnegandum cogebatur & impellebatur his verbis *abnega abnega Deum.* Hic admonitus fuit à Theologis quos consuluit, vt diuino cultui & precib⁹ assidue vacaret; deinde me aggressus est vt corporis sui curam haberem. Ego hæc terriculamenta humoris atri & melancholici hypochondria obsidentis mentemque percellentis esse ἐγκανα existimans, ipsi præscripsi enemata frequentia, venæ sectionem, purgationem ex interuallis repetitam, modò ex infus. fol. orient. epithym. tamarind. cass. crem. tartar. in decoct. capillar. in quo confectio hamech dissoluebatur & syrup. de pomis comp. modò ex ellebori nigri & senn. orient. extracto, è quo pilulæ formabantur: interim semicupium ingressus est per plures dies, hoc temporis spacio serum lactis depuratum in quo summitates fumariæ macerabantur, ingrediendo balneũ, quotidie assumebat. His remediis vsurpatis ad perfectam sanitatem & εὐθυμίαν deductus fuit, quique prius erat ἀπάνθρωπος factus est φιλάνθρωπος, cuique τρόσωπον χαριφὲς aderat, factum fuit ἐρρωμμένον.

SCHOLIVM.

Similes quodammodo historiæ referuntur à Felice Platero lib. 1. obseruat pag. 44. & 45. ibi enim legitur pio alioquin & docto cuidam in iuuentute accidisse, vt aliquando de Deo cogitanti vel precibus intento, impiæ cogitationes in mentem venirent, quas subito ex animo delere non poterat, quin subinde redeuntes ad impia quædam in Deum efferenda eum stimularent, quod illum mirum in modum angebat: hoc etsi cres-

cente ætate rarius illi accideret; tamen ad profectam ætatem vsque, hæc tentatio eum comitata est, veluti per accessiones eum inuadens. Sic narrat ibidē mulierē quandam religiosam alioquin, & probam, frequenter eo vsq; fuisse tentatam, vt ad Deo maledicendum & blasphemandum tacite sibi visa sit cogi, maxima animi cum anxietate, & perturbatione graui qua angebatur, sæpe conquestam esse, ipsumque vt ei suppetias ferret rogasse: quærenti autem quid illud esset, clam magno cum gemitu multisque cum lachrymis ipsi primo aperuisse continuò sollicitari & impelli se ad maritum noctu dormientem confodiendum adeo vehementer, vt vix sibi temperare posset, licet maritum præ omnibus mortalibus amaret, & pro ipso mori se esse paratam diceret. Hanc consolatus, inquit Platerus, adhibita cura per venæ sectionem, varias & multas euacuationes Deo iuuante in integrum restitui.

Hæc diaboli esse ad malum incitamenta perhibent Theologi, quem morborum causam externam esse aliquando, non inficiantur Medici. Ita Fernelius 2. de abdit rerum caus. cap. 16. scribit. Quidam non ita pridem quum per æstus nocte vehementer sitiret, è somno surgens, potu non inuento obuium malum forte prehendit, id mandens fauces sibi quasi manu præcludi strangularique sensit, simulque à subeunte Dæmone iam obsessus, visus est in tenebris videre se à prægrandi nigerimoque cane vorari, quæ postea, restitutus integra mente, nobis ordine recensuit; sed præterea humorem melancholicum, qui diaboli balneum vulgò dicitur, causam esse proximam statuunt horum affectuum, qui in imagina-

tionis & ratiocinationis deprauatione consistunt: mirum enim dictu est quam varias excitet in corpore humano tragœdias humor hic, dum plus æquo cumulatur, vel qualitatem cerebri temperamento, & spiritibus infensam adipiscitur, siue illa sit frigiditas & siccitas, quæ qualitates vitæ insidiantur, & principibus edendis functionibus cerebrum inhabile reddunt, siue sit crassities & color ater quibus spiritus segnes, torpentes, atque caliginosi efficiuntur, qui deinde spectra varia, speciesque terribiles imaginationi repræsentant: siue sit qualitas quædam venenata & deleteria, quæ proprie & necessario nec calida, nec frigida sit; sed potius maligna propter certum putredinis modum huic humori proprium, qui spiritus & cerebri temperaturam naturalem corrumpat; vnde mores agrestes, syluestres, & ferini acquiruntur, humani vero deperduntur; propterea homo in hunc affectum incidens, qui antea ad societatem natus erat animal, secessus quærit, ἀπανθρωπίαν & μισανθρωπίαν veluti belluarum pelles induit, quiq; prius erat εὔθυμος καὶ εὐμόρφος fit δυσάνιος· siue tandem horum funestrorum symptomatum causam dicamus esse spirituum inopiam & paupertatem, qua laborant melancholici, eò quod crassior sanguis, ad spirituum generationem in hac corporis constitutione reperiatur, vnde sæpe animo linquuntur & incidunt in lipothymiam, nec sanguinis vacuationem facile ferunt. Quod quidem vini effectu contrario clarius efficitur; illud enim moderate sumptum, vt pote spiritibus refertissimum, tristitiam discutit, nec melancholicis hac ratione prorsus inutile & infructuosum; atque adeo hic

spirituum defectus fortsan causa est (si ita mihi liceat Philosophari) propter quam multis infarctibus & obstructionibus totam aluinæ regionis œconomiam perturbantibus abundent melancholici: mobilitate enim & tenuitate qua spiritus pollent, in meatibus reserandis & crassis humoribus attenuandis plurimum possunt si abundent; ideo lieni crassioris humoris receptaculo arteriæ plures datæ existimantur; ideo spiritus ὑπ' ἀγγείων σχήματα verissime dici possunt, partem enim alimenti natura sua grauis ad partes corporis superiores rapiunt, euehunt, & ad minimas omnes particulas peruadendo & penetrando sanguinem deferunt. In horum locum impuri & flatulenti multi spititus in melancholicis corporibus suppeditantur, & peruenas arteriasque omnes discurrunt, hinc borborygmi & rugitus in ventre obaudiuntur, palpitationes, vertigines, visaque mendacia ipsis contingunt & obuersantur: hinc etiam alimenti coctio eiusque distributio minus fœliciter perficitur, tantum enim est caloris in nobis quantum spiritus, cum huius sit πρῶτον δεκτικον· hinc plurima succrescunt recrementa, quæ in corpore retenta calorem natiuum vel exacuunt, vel infringunt & obruunt. Deficientibus his spiritibus, deficit, quoque menti lumen internum, quo spiritus non carent, & cuius ope recreari & refocillari solebant. Horum denique spirituum paupertas & imminutio breuiorem vitæ terminum præfigit, vt in multis melancholicis videre est; è contra illorum vbertas in sanguineis & temperatis vitam producunt & longæuam efficiunt.

GASPAR MARCVCIVS, cap. 16. quadripartiti

melancholici parte 7. ait sanguinem non colore, non splendore, non lumine, sed caliditate & humiditate quam obtinet, ipsam spiritibus animalibus impertiendo producere lætitiam. Cæterum notat ille cap. 25. eiusdem quadripartiti part. 1. dæmonem morbos qui pendent ex materia non aliter inferre quam aliæ causæ procatarcticæ, puta mouendo internas, vt melancholiam morbum, augendo succum melancholicum, & eum qui inerat commouendo, deferendoque in cerebrum, & internorum sensuum sedes, vapores nigros: augere vero posse melancholicum humorem qui naturaliter generatur, detinendo ne expurgetur: nihil autem referre vult Auicenna (quod Medicum spectat) ad morborum curationem, siue dæmon sit qui melancholica inferat accidentia, siue non: ratio est quia dæmon non aliter ea inferre potest, quam per succum melancholicum, quo euacuato humore necesse est tolli morbum.

Cerebri valida concussio pessima inferens symptomata.

OBSERVATIO VII.

SVperiori æstate fœminæ cuidam dictæ Dom. Sergent, annum ætatis agenti circiter trigesimum accidit, vt stans præ foribus Nobilissimi viri Dom. Rosé regula ex tecto deciderit in eius verticem, atque ita penitus effracta & in minutas partes redacta fuerit: quo ictu in terram cecidit ἄφωνος sensu & motu ad horam destituta.

Deraso capite cutis contusa tantum apparuit, absque continui solutione manifesta: huic illico detractus fuit sanguis è brachio, & pars contusa oleo rosaceo inuncta, vnaque conueniens victus ratio præscripta est. Mox febris vehemens ipsam corripuit, cum vomitu, delirio, & conuulsiuis motibus: his apparentibus symptomatibus, latentem cranij fracturam reformidauimus, & iam Chirurgus qui aderat de cutis incisione cogitabat, quam tamen differri volui in diem sequentem, ad quam confugiendum esse dicebam, si dicta symptomata vel ingraueſcerent, vel etiam permanerent: sed cum die sequenti febris remitteret, aliaque symptomata mitescerent, incisionem in aliud tempus distuli, existimans eam non esse ex vsu, si nempe hæc symptomata ex cerebri tantum commotione & concussione fuissent producta: venæ sectionem interim iterandam esse arbitratus sum, qua celebrata, & aluo enematum ope sollicitata, die tertia ἀπύρετος facta est, cæteraque symptomata sedata sunt, cumque ita per duos dies intermiserint, è lecto surrexit: sed die quinta eadem reuersa sunt, cumque eadem secandi, osque denudandi se se offerret indicatio, iisdem symptomatibus perseuerantibus, Dom. Le Large Chirurgum peritissimum in consilium adhibuimus, qui nobiscum sensit sectionem esse procrastinandam; die sequenti cum minora essent symptomatâ ab illa superſedimus: post septimum diem eorumdem symptomatum [illegible] est reuersio, eorumdemque similiter vt ante [illegible] tio, hasque recidiuas ex errore ægrotantis [illegible] ctas conjiciebamus: interea missus fuit [illegible] pluries, hoc que notatu dignum euenit, vt dum

in latus reclinata esset, per nares & os seroſi humoris copiam affatim excreuerit, adeo vt lintea omnia hoc humore essent imbuta; postea in dies melius se habuit, dolore tantum capitis remanente, litus semper fuere adhibiti, emplastrum de betonica parti dolenti admotum fuit, tandem perfecte conualuit absque sectione & cranij apertione.

SCHOLIVM.

Eadem fere euenlunt symptomata in sola commotione & concussione cerebri, atque in vulnere & fissura cranij, nam prolapsus in terram, sensuum interceptio, febris, vomitus biliosus, delirium, & motus conuulsiui vtramque læsionem comitantur. De cranij fractura celebre est illud Hippocratis Aph. 50. Sect. 6. ὁκόσοισιν αὖ ὁ ἐγκέφαλος ἀφηκοπῇ, τετρώσθαι ἀνάγκη πυρετὸν καὶ χολῆς ἔμετον ἐπιγίνεσθαι, & in coac. οἷσιν ὁ ἐγκέφαλος ὑπεξώσκεται πυρετὸς, ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ, καὶ χολῆς ἔμετος ἐπιγίνεται, καὶ ἀποπληξίη σώματος, quæ quidem licet de cerebro vulnerato dicta sint, pertinent etiam ad fractam caluariam. De concussione vero & commotione cerebri non egit Hippocrates libro de vulneribus capitis; sed in concis prænotionibus talia leguntur ὅσοισιν αὖ ὁ ἐγκέφαλος σείσθῃ καὶ πονέσῃ πλήγεῖσιν ἢ ἄλλως πῃπτωσι, τῷδε χρῆμα ἄφονοι γίνονται καὶ ἅπερ ὁρῶσιν, ἅπερ ἀκούουσι, καὶ τἆλλα γινώσκουσι. i. e. quibus concussum est cerebrum, doluitque, percussis aut alias lapsis, hi statim obmutescunt, & neque

vident, neque audiunt, & plerumque moriuntur. Similia leguntur lib. 1. de morbis initio. καὶ ἰὼ ὁ ἐγκέφαλος σφαθῇ τε καὶ πονέσῃ, πλησμόνιος ἄφονον τὸ βάχρημα γενέσθαι ἀνάγκη, καὶ μήτε ὁρᾶν, μήτε ἀκούειν. & Aphor. 58. Sect. 7. ὁκόσοισι δ' ἂν ὁ ἐγκέφαλος σφαθῇ ὑπὸ λιθος τοιφάσιος, ἀνάγκη ἀφώνους γενέσθαι τὸ βάχρημα. Concussionis autem cerebri causa est vel interna, vel externa; interna est humor vel vapor quidam, cuius molestia prioritatur & concutitur cerebrum vt illum excutiat, qualis accidit in sternutatatione & epilepsia: externa vero concussionis causa triplex statuitur à Lud. Dureto com. in coac. p. 408. Nempe ictus capitis ex telo graui atque obtuso, vel lapsus ex alto in saxum, vel compressio violenta cerebri ab excidente modiolo imperiti Chirurgi manu admoto, qui circumagendi finem non fecit, dum ad membranam cerebri penetrauit.

Sæpius casu ex alto, & allisione capitis ad corpus aliquod durum talis cerebri conquassatio & commotio accidit, tantoque facilius quanto in ipsius ambitu vacuũ spacium amplius est, & multo magis in senibus hanc fieri dixit Galen. com. in Aph. 58. Sect. 7. ita perculsi voce, visu, & auditu destituti jacent veluti apoplectici, virtute animali in cerebrum sese colligente, & oriante, vel propter validum dolorem ex toto spiritus in cerebrum reuocante; vel spiritibus propter coarctatos meatus quibus ad sensoria externa deferri solebant, intercluſis; vel magna illa agitatione confusis, resolutis, & dissipatis: redeunt vero ad se se dum spiritus se se explicant: interdum tamen

pereunt

pereunt si quod subsidit cerebrum à concussione non statim resurgat, vel rupta sit aliqua venula intra caluariam, è qua sanguis paulatim effluens corrumpatur, inflammationemque cerebri eiusque membranarum inferat; aliquando nerui alicuius disruptio & distētio, corporis resolutionem & conuulsionem inferens contingit: vel febris excitatur accensis spiritibus & humoribus propter vehementem eorum agitationem, & perturbationem, aut propter dolorem & glischentem putredinem: vertigo & delirium fiunt ob inordinatum spirituum motum, & membranarum inflammationem, vnde illud Hippocratis Aph. 14. Sect. 7 Ὅτι πληγὴ ἐς τὸν κεφαλὸν ἔκπληξις ἢ παραφροσύνη κακόν. à capitis ictu stupor aut desipientia malum. Conuulsio denique patiente neruorum principio accidit: quæ symptomata vt plurimum si primis diebus appareant, minoris sunt periculi quam quæ temporis successu, & post septimum diem, vt fit æstate, vel decimum quartum vt hyeme, contingunt: hæc enim ex corruptione paulatim inducta tunc proficisci solent: sic ex contusione accidit interdum vt in meditullio vasculum aliquod aliqua sui parte abruptum sit, ex quo paulatim sanies destillet, quæ subiectas partes corrumpat; propterea dixit Hippocrat. loquens de contusione, affectionem hanc plerumque Medicum latere, ipsumque decipere, cum quæ ipsi prius non erant nota ex superuenientibus postea ipsi fiunt manifesta. Vomitus adest ferosi excrementi cum bile permixti, compatiente nimirum ventriculo cum cerebri membranis & agitatione, atque calore in parte affecta præter natu-

ram excitato, liquata & confluente materia ex partibus vicinis.

Hic autem notanda sunt quæ Salius Diuersus com. in primum de morbis animaduertit his verbis. Quoniam in ista cerebri concussione dum ad vnum latus colliditur, ab altero latere cerebrum distrahitur, duorum alterum hinc inde sequi necesse est: nam ex hac distractione, vel quædam partes circa cerebrum & ab eo exortæ, aut circa membranas abrumpuntur, vel ipsum cerebrum auelli, aut aliquando eius partem conuelli aut distrahi contingit. In primo casu restituuntur ægrotantes; quoniam non patiente cerebro ipso, spiritus & facultates omnes recuperantur: in secundo autem nequaquam; quoniam patitur cerebrum continui solutionem in propria substantia, illa hinc inde distracta, ex quo spiritus euanescunt & extinguuntur; quapropter necessario pereunt: hæc autem cerebri auulsio, aut partium ab eo, aut à membranis exorientium distractio potissimum fit in his in quibus plurimum vacui est intra caluam, eam cerebro in totum non implente: talis autem status solet fere in omnibus hominibus esse tempore coitus lunæ, & specialiter omni tempore in senibus quibus cerebrum inarescit.

In vehementi illa cerebri concussione & collisione quam experta fuit prædicta fœmina, oppressa penitus fuisset virtus animalis, nisi alacriter resurgens viresque resumens natura, excussisset & per nares amandauisset serosi humoris copiam è cerebri substantia ictu & succussione expressam: alioquin hoc seroso recremento per cerebri substantiam eiusque ventriculos regurgitante, alto

sopore correpta, vel apoplexia extincta penitus fuisset.

Ex hac historia colligere possumus illico non esse aggrediendam cutis incisionem in capitis contusionibus, etiamsi praua symptomata appareant, nisi adsint fracturæ cranij, vel sanguinis sub cranio effusi certissima indicia, & perseuerent symptomata: capitis enim externorum tegumentorum sectione, ossis subjecti alteratio interdum subsequuta est, quæ tandem mortem intulit: hoc pridem annotauit & conscripsit Franciscus Arcæus lib. 1. de recta curandorum vulnerum ratione cap. 1. cuius verba hic apponimus, quoniam hic liber non omnibus fit obuius. Ad vulnera (inquit) quæ vltra pericranium non pertingunt curanda, Chirurgi plerumque indocti accersiri solent, quibus illud inprimis commune omnibus fere est, vt vulnera omnia quæcumque in capite fiunt, magna crucis figura incisa adaperiant, & (vt illorum verbo vtar) manifestent, atque cranium detegant: huius erroris causa est commune quoddam apud illos nullo certo auctore præceptum, quo vulnera capitis vniuersa manifestari atque aperiri tradunt, vt in secunda curatione an capitis os fractum incisumve fuerit cognoscatur: ex quo istorum errore multa iis qui sic affecti sunt afferuntur incommoda; inprimis enim curationem tardiorem ac longiorem effici necesse est; namque secundum artem curata octauo vel ad summum decimo die bene haberent, quamuis quantitate magna essent: contra isti vix altero vel tertio interdum mense curant; cuius etiam vitij Galenus Thessalum arguebat 4. method. præterea vulnus ad cranium vsque aperien-

tes ægrotum ipsum in summum vitæ discrimen non raro conjiciunt, quippe non raro exiguam ossis partem aëre frigido tentante corruptam extrahi hoc modo curatis necesse sit, quod quidem os neque corruptum alias neque inciſum fuerat, nec raro euenit vt non superficies modo, sed ipsum os totum secundum crassitudinem corrumpatur. Idem comprobat lib. 2. pag. 174. Ioannis Gometij de Columbis Cazallensis exemplo, cui vulnus in dextra capitis parte nullam rupturæ significationem exhibens in crucem tribus digitis quadratam, dilatatum fuit; ex quo euenit vt non modo detecta cranij pars, sed multo etiam major vndique portio corrupta fuerit. Quod etiam ex obseruatione sequenti innotescere poterit.

Ex capitis carne temere à Chirurgo secta, ossisque abscedentis portiuncula vi auulsa, membranarum cerebri alteratio, in eiusque substantia abscessus, & tandem mors.

Obseruatio VIII.

FOEminæ cuiusdam caput grauiter contusum fuit delabente assere quo officina claudebatur, à Chirurgo quodam diuisa fuit cutis & caro ad os vsque, & pericranium abrasum vna cum ossis substantia aliqua: vulnus diu apertum relictum est, nec vlla ossis fracti indicia aderant,

cumque os tandem abscederet, portio quædam ossis quæ separabatur, vi quadam ablata fuit à Chirurgo, moxque sanguis ex osse resudans visus est: postea febris acuta cuius antea expers erat ipsam corripuit, tandemque interiit. Post mortem aperto capite inuentus fuit abscessus in cerebri substantia, & membranæ ipsum inuoluentes liuidæ.

Ex contusione in musculo temporali grauissima symptomata, incisione simplici & exigua sedata.

Observatio IX.

Fœmina iuuenis dicta Dom. Badois caput inclinans ex improuiso in mensæ angulum impegit, & contusionem in musculo temporali experta est, absque vulnere, quo ictu concidit in terram voce sensuque omni destituta: his superuenit febris acuta, delirium, motus conuulsiui brachiorum & tibiarum, quibus ad tertium & quartum diem perseuerantibus etiamsi pluries detractus fuisset sanguis. In consilium vocatus fuit Dom. Le Large, peritissimus Chirurgus, qui sensit nobiscum hæc symptomata ex musculi temporalis contusione, eiusque fibrarum dilaceratione & pericranij hunc musculum inuoluentis compressione esse orta. Incerti tamen eramus an fractura ossis subesset: quare incisio secundum fibrarum ductum parua facta est, & paulo post febris cæteraque symptomata sedata sunt, exu-

dante scilicet sanie acri quæ partem sensu exquisitissimo præditam vellicabat & stimulabat.

Hepar materia quadam indurata in pluribus locis refertum, & pancreas insolitæ atque stupendæ magnitudinis, ex quo renis è suo loco naturali dimotio facta est.

Observatio X.

VIr nobilissim⁹ D. De Losieres dolore hypochondrij dextri per plures annos cõflictatus fuit, cum ventriculi & diaphragmatis compressionem initio cum degeret in agro Pictauiẽsi hic dolor pro colico huic regioni vernaculo à Medicis iudicatus fuit. Ex remediis quæ tunc ipsi præscripta fuere parum vtilitatis & solatij percepit. Postquam vero Lutetiam se se contulerit, celebriores vrbis Medicos aduocauit, quorum iudicio abscessus in hepate genitus dicebatur, variaque ipsi absque vllo ægrotantis emolumento exhibita sunt remedia, ego sub finem morbi & vitæ vocatus inueni ipsum dyspnoea graui laborantem, & dolore huiusce lateris & abdominis ita vexatum & compressum, vt neque in dorsum, nec in latus recumbere posset, sed cogeretur sedere in lecto, & præ doloris grauitate & vehementia ipse disrumpi sibi videbatur, tandem his atrocibus doloribus confectus extremum obiit diem. Aperto cadauere hepar magnum multis abscessibus refertum in-

uentum est, & materia quadam indurata, vitelloſque ouorum colore referente repletum, pancreas erat admodum ingens. Ren erat luxatus, & è ſuo loco dimotus, propellente ſcilicet paulatim ipſum deorſum pancreate.

Ex lochiis non rite fluentibus phtyſis, & pulmonum corruptela.

OBSERVATIO XI.

NObiliſſima & generoſiſſima fœmina Dom. DE LA GROSSETIERE, à partu non fluentibus vt antea ſolebant lochiis, nec rerum non naturalium vſu legitimo adhibito, incidit in tuſſim moleſtam quæ ſenſim in dies cum pectoris dolore & grauitate exacerbata eſt, febriſque per interualla vehemens ipſam inuadebat: ipſi aliquoties detractus fuit ſanguis & purgatio inſtituta, ſed cum ab vrbe remota eſſet, non potuit Medicorum conſilio commode frui. In peius ſenſim cum ruerent omnia, vt ſaluti ſuæ proſpiceret Lutetiam ſe contulit; ſed morbus adeo inualeſcebat vt iam tuſſim moleſtam & fere continuam febris hectica & macies corporis comitaretur. Multis præſidiis reuellentibus, diuertentibus, euacuantibus, refrigerantibus, bechicis & analepticis pugnatum fuit aduerſus morbum, quibus tamen expugnari minimè potuit, atque inter tot ærumnas & difficultates decem menſium ſpacio vitam agẽte tandem interiit. Aperto cadauere pulmones toti purulenti inuenti ſunt, adeo vt ne minima

quidem eorum particula scalpello diuideretur, quin ex eorum substantia foraminulenta efflueret puris fœtidi insignis copia; in his iuxta clauiculas deprehensus fuit saccus pure refertus, exesa pulmonum substantia productus. Ad costas vtrimque adhærescebant pulmones. Hepar amplum erat, æqualiter vtriusque hypochondrij cauitatem replens, subalbido colore præditum, renes quoad situm sibi inuicem ex æquo respondebant. Nec dexter sinistro depressior erat.

SCHOLIVM.

PArtes spiritales ex vitio partium genitalium labem contrahere non mirum est; ambæ enim sæpius coafficiuntur, & inter vtrasque magnus consensus & communio intercedit per venas communes, & præsertim per venæ epigastricæ cum mammaria concursum. Illud obseruauit Hippocr. lib. 2. epid. Sect. 1. his verbis ἀποφθορσιέων οἱ πτθοὶ, παρισοχραίνουσι, οὐδὲ γὰρ ἐναντίον, οὐδὲ βῆχες χρόνιαι, ὅτι ὄρχος οἰδήσαντος πάυονται. ὄρχις οἰδήσας ἀπὸ βηχέων ἐπώμνημα κοινωνίης σηθέων, μαζῶν, γονῆς, φωνῆς. i. e. abortientium mammæ graciles fiunt, neque enim hic contrarietas est, neque tusses diuturnæ, quoniam vbi testis intumuit cessant, & ex tussi testis intumescens nos admonet communionis pectorum, mammarum, genituræ & vocis: vbi Fœsius dubitat an hic γονὴ pro vtero sumi possit, quemadmodum Hipp. lib. περὶ ἀρθρογονίας & γεννητὰ μόρια vocat, & Pollux τὴν

μήτραν γονὴν ab Hipp. vocari scribit. Sic enim ille lib. 2. cap. 4. Sect. 46. Ἱπποκρατὴς δ' δελφὺν μόνον ἀλλὰ καὶ γονὴν τὴν μήτραν καλεῖ, ἐν ᾗ τό, τε ἔμβρυον ξυνίσταται, καὶ τὸ ἔμμηνον αἷμα ξυναθροίζεται. Ita Vallesius com. in locum Hippocrat. prædictum, genituræ & vocis nominibus instrumenta genitalia quæ sunt vterus, testes, & genitale membrum; & vocalia, quæ sunt larynx, nerui recurrentes, thorax, & omnia respirationis instrumenta intelligi scribit. Quot autem & quanta incommoda inferant purgamenta puerperia cum ante diem sistuntur, quamuis dies aliquot prorupta fuerint liberaliter, notissimum est: nam cum sint hæc reliquiæ menstruorum per grauiditatem circa locos muliebres stabulantium grauiditatis tempore, facta caloris natiui à concepto fœtu amplificatione hæ incorruptæ seruabantur; sed postea huius beneficio destitutæ veluti emortuæ relinquuntur, atque vbi suppressæ sunt, & cursum ad superiores partes inflectunt, inflammationes, dysponeam, & corruptelam harum partium inducunt, vt ex Dureto discere possumus, com. in illam coacam

Faciei & reliqui corporis gracilitas & extenuatio, in habitiorem constitutionem mutata.

OBSERVATIO XII.

NObilis fœmina macilenta & gracilis vsa est ad εὐεξίαν καὶ εὐχροιαν comparandam iusculis & hordeatis. His parum proficientibus, alterius nobilissimæ fœminæ suasione & exemplo, quotidie mane panem aqua communi intinctum & madefactum comedit, cuius beneficio faciem habitiorem, & totum corporis habitum laudabiliorem obtinuit. At quomodo panis aqua maceratus εὐκρασίαν induxerit non video; nisi dicamus vim refrigerandi quæ aquæ inest, in pane seruari diutiusque remanere in ventriculo, qui cum natura calidior esset, vna cum cæteris visceribus nutritiis, alimentum minime idoneum corpori suppeditabat: aqua vero simplex & aliæ potiones refrigerantes promptius è ventriculo effluunt & elabuntur, nec nutriunt; aqua enim non nutrit: pani vero aqua ita macerato vtraque virtus inest & refrigerandi & nutriendi: adde quod per macerationem istam panis fermenti qualitatem deponit, quæ cum sit quodammodo acris, habitum corporis extenuat, nec nutritioni ita apta est: vulgatum enim est apud Medicos nos nutriri dulcibus.

De craßiori corporis habitu extenuanda.

OBSERVATIO XIII.

MVlti quibus craſſior eſt corporis habitus, & pinguior aqualiculus, eius extenuationem ſummopere exoptant, vt deambulationibus, & variis corporis motibus & inflexionibus, liberius & abſque moleſtia vacare poſſint: in hunc finem remedia quibus voti participes fiant quotidie à Medicis expetunt; ſed ex iis pauca tuta & certa eſſe exiſtimo: tenuis enim diæta ſæpe parum proficit; imo plurima multis intulit damna: humores enim exacuit & inflammat, febremque ſæpius excitat. A quibuſdam vſus aceti commendatur; ſed ventriculum & inteſtina lædere poteſt, cum ſit membranoſis omnibus partibus infenſum; eo tamen fœliciter vſus eſt ad corporis ſui extenuationem & imminutionem, Chiapinius Vitellius Cetonæ Marchio, generalis caſtrorum præfectus in Hiſpaniarum Regis exercitu belgico vt videre eſt apud Stradam decad. 1. lib. 8. de bello Belgico. Mirum fuit, inquit hominem obeſitate prætumidum ea valuiſſe non modo vi mentis, ſed etiam corporis expedite ſe ſe inflectentis agilitate: vt in præliis ad ducis prudentiam, non magnopere in illo deſideres bellatoris dexteritatem. Quod enim ſub mediam ferme ætatem increſcente adeo mole, faſcia è collo demiſſa ſuſtinendus venter eſſet immodice projectus, videret tardiorem quotidie reddi ſe ad belli munia, homo ad militiam

cuncta referens, vino sua sponte sibi interdicto, acetum exinde bibere ad vitæ vsque finem perseuerauit, effecitque vt detumescente abdomine, defluenteque ventris pelle, qua ipse se thoracis instar inuoluebat; octoginta septem librarum decreuisse pondo compertus sit. Noui ego hominem qui ex obeso & crassissimo gracilior euasit, detracta scilicet panis portione quem quotidie copiosum comedebat: Huic in panis locum maior carnis quantitas ad esum exhibita est. Multa sunt equidem quæ corpus non modo extenuant sed etiam conficiunt vt exercitia immodica, curæ graues, vigiliæ, susceptæ lites, à quibus abstinere satius est.

Manus cum parte brachij putrefacta & corrupta, naturæ virtute à sanis partibus separata, & sponte decidua.

OBSERVATIO XIV.

FRatria Dom. LE SOVBS Doctoris Medici scholæ Parisiensis, monialis degens in cœnobio virginum vici prope Lutetiam siti dicti MALNOÜE, manus digitorum acerrimo dolore correpta fuit absque rubore & tumore. Accitus fuit cum dom. LE SOVBS, D. ANTONIVS BERTRAND Chirurgus peritissimus in via saniacobea habitans, qui manum indolentem & frigidissimam deprehendit, animaduertit insuper in vola manus veluti ecchymosim quandam, quam acicula pun-

xit vt & totam manum & brachium, in quibus nullus erat doloris sensus nisi circa cubiti flexuram: partem caloris natiui extinctione laborantem scarificationibus profundis incidendam, lotionibus ex spiritu vini, & aqua phagedęnica perfundendam, cataplasma ex farina hordei & vino superponendũ arbitrati sunt; quibus peractis existimantes illam breui morituram; discesserunt. Multis diebus elapsis inuitatus rursus Dom. BERTRAND ad illam ægrotantem inuisendam, illucque profectus, manum vidit à brachio separatam, quæ sponte corrupta iam deciderat, musculorum carne ossa cubiti & radij denudata, sphacelo & nigredine infecta. Agebatur tunc de partis emortuæ & corruptæ amputatione; sed nolebat ferre ægrotans ad viuum resectionem: itaque sectio in parte emortua infra cubiti flexuram facta est ossaque nonnisi post annum abscedere & exfoliari visa sunt, ægrotante tamen præter spem superstite.

Dolor capitis acutissimus ex materia quadam lapidea crassæ meningi adnata, & spiculis suis tenuem membranam cerebri perfodiente.

OBSERVATIO XV.

NObilissima fœmina D. Suzanna TALON, filia nobilissimi & clarissimi viri D. TALON Regi à secretioribus cõsiliis, vxor illustrissimi D. Ludo-

uici PHELIPPEAVX Dom. de PONTCHARTRAIN, in suprema computorum regiorum curia præsidis, dolore capitis acutissimo diu conflictata fuit, eoque pungente admodum instar acuum vel telorum parti infixorum, interdum vehementius, interdum minus ipsam diuexante; doloris vehementia pressa eiulabat, & ambabus manibus caput prehendebat, ad quem dolorem sedandum multoties detractus fuit sanguis à Medicis Parisiensibus; parti dolenti, cui instar verrucæ cuiusdam callus inerat; admotum fuit pyroticum, & ad cranij perforationem deueniendum esse instabat Dom. PIMPRENELLE, Chirurgus Parisiensis celeberrimus cui tamen non fuit ὁ μόψηφος Dom. Antonius BERTRAND Chirurgus Parisiensis supra memoratus, ægrotantis ordinarius. Hæc deinde in hydropem incidit, tandemque interiit. Aperto post mortem cranio inuenit dictus Dom. BERTRAND sub crassa meninge iuxta canalem anteriorem seu torcular vtrimque, induratam quandam materiam & lapideam, instar rupis cuiusdam inæqualem & asperam, aculeis multis, & veluti cati vnguibus, conchyliis, variisque figuris distinctam & variegatam, ipsique crassæ meningi firmiter adhæresçentem, inter cuius inæqualitates venulæ ferebantur ad ligularum ferramentorum magnitudinem accedentes, quæ hanc materiam rigabant, supra tenuem meningem humor quidam mucosus repertus est. Magnam huius crassæ meningis portionem, cui dicta rupes adhæret, adhuc seruat præfatus Chirurgus Dom. BERTRAND, cuius figuram hic exhibuimus.

Perinæi, ani, scroti, testiculi tunicarum, hypogastrij serpens putredo, & gangræna cohibita.

OBSERVATIO XVI.

DOliuarius de VARENNES, Bibliopola Parisiensis eruditus, conquerebatur hyeme nouissima de frigore totius corporis, & præsertim ventris inferioris, atque insuper de scabie. Hic forte inter comedendum deglutiuit osticulum è crure pulli, quod hærens ano, digitis extraxit: dolor antea parti inerat, putabatque esse hæmorrhoides, deinde totum scrotum valde intumuit doluitque. Primùm acciti fuere Dom. STAMPLE Medicus clarissimus, & D. REGNIER Chirurgus regius qui me in consilium adhibuerunt vna cum Dom. SOSIAS Chirurgo Parisiensi peritissimo; vbi illum inspeximus, gangrænam in perinæo deprehendimus; vlcus erat cum eschara veluti ab vstione, sinuosum in margines ani peruium quod intacta vesica sectione fuit diductum, è quo pus fœtidum prodiit: perfusio facta fuit ex aqua phagedænica, admoti fuere penicilli, & lintea eadem aqua imbuta, veluti & scroto prætumido: die sequenti gangrænam in scroto serpentem deprehendimus; apertũ fuit scrotum, & membranæ testiculos, sed præsertim finistrum inuoluentes, liuidæ & ἰχρωσι patientes repertæ sunt, è scroto

effluebat pus in vlcus ſubiectum, fœtor inſignis, lipothymiæ frequentes, & alui fluxus aderant. Ex ſpiritu vini lotiones fuerunt factæ, carnes putridæ refectæ; cumque ad deterſionem cuncta viderentur tendere, fluctuatio materiæ cuiuſdam in hypogaſtrio circa veſicæ regionem deliteſcētis digitis fuit deprehenſa: apertio facta eſt non ſine præuia deliberatione, nec vltra tegumenta quinque externa ſectio penetrauit, qua pus exiit fœtidum pariter, parteſque adjacentes huius labis & corruptelæ non expertes compertæ ſunt: lotione ex ſpiritu vini, & iniectionibus, ex aloë rad. ariſtoloch. fol. abſinth. centaur. min. agrim. decoct. cum melle roſat. putredo inhibita fuit; cumque pus liberum non haberet effluxum traducta eſt acus, ſub illis tegumentis lina ducens vſque ad locum decliuem; deterſis vlceribus omnibus balſamum Arcæi fuit adhibitum; quæ tandem carne repleta ſunt & ad cicatricem fœliciter perducta. Toto morbi decurſu purgatus fuit multoties æger blandis medicamentis, vt rheo, catholico, ſyrup. de chicor. compoſito, præuia initio morbi ſanguinis miſſione ad humorum impetum arcendum; potiones cardiacæ ex confectionibus alkermes, de hyacintho, aquis ſtillatitiis ſcabios. Chicor. paratæ, exhibitæ fuerunt; tantillum vini ad virium refocillationem, quarum exolutionem & defectum, ſæpius in die experiebatur, deguſtauit. Horum auxiliorum Deique ſummo beneficio hic tandem plane conualuit; niſi quod ſcabie per totum corpus erumpente infeſtetur.

Venam

Veram & accuratam descriptionem ἐγχειρήσεως anatomicæ in humano cadauere peractæ, in quo partes omnes internæ abdominis atq; thoracis transpositæ erant, continet.

OBSERVATIO XVII.

ETsi huius historiæ anatomicæ facta fuerit mentio à Dom. Mentello in epistola libro 1o. Pecqueti adjuncta, atque inter opuscula varia & noua anatomica D. Riolani, paucis expositâ, illa reperiatur; eam tamen integram, absolutam, & pro rei veritate descriptam hîc subtexere libuit, qualis à Dom. Antonio BERTRAND Chirurgo & anatomico peritissimo, qui sectionem huius cadaueris propriis manibus administrauit, exactè fideliterque conscripta, nobisque communicata fuit.

Cadauer erat sicarij cuiusdam dicti Richardi FRANCŒVR, qui cum nobilem virum in rheda illustrissimi Principis de BEAVFORT sedentem noctu sclopeto interfeciſſet, supplicio rotæ addictus fuit, anno Dñi 1650. vt notauit Riolanus. Administratio anatomica facta fuit apud Dom. REGNIER scholæ Medicæ Parisiensis Doctorem, qui dissectioni in gratiam Chirurgiæ candidatorum factæ præerat.

Narrationis huius series iuxta partium disse-

ctioni subjectarum situm, proutque in ipsa sectione oculis se se produnt, instituetur.

Primò in venæ vmbilicalis situ, progressu, & insertione immutatio animaduersa est: hæc enim quæ consueto & à natura instituto ordine versus hypochondrium dextrum tendit, atque in scissuram hepatis dextro illo hypochondrio contenti, inseritur; aliter hic se se habebat: si quidem hæc vena ex hypochondrio sinistro orta in vmbilicum desinebat, quo viso obstupuit protinus prædictus Chirurgus & anatomicus, qui nunquam talem venæ distributionem inspexerat; licet multoties hepar vsque ad lienem protensum deprehendisset, atque etiam obseruasset aliquando hæc duo viscera sibi inuicem adhærentia, & ligamento membranoso inter se connexa, tantamque hepatis magnitudinem vt hypochondrium vtrumque occuparet.

Diuiso peritonæo majori admiratione captus fuit, dum venæ vmbilicalis progressum insectando, hepar sub hypochondrio sinistro prosus reconditum, lienis & fundi ventriculi locum occupans animaduertit, cuius pars gibba nothas costas sinistri lateris respiciebat, parsque hepatis quæ secundum naturam versus sinistrum latus protuberat, in hoc versus dextrum protendebatur; proinde venæ cauæ truncus ascendens & descendens in partibus sinistris collocatus erat, parte nempe laterali & sinistra vertebrarum dorsi & lumborum superstratus, qui pro solitò naturæ instituto super prædictarum vertebrarum parte interna, eaque dextra & laterali iacent, ex quo factum est necessario vt situs partium omnium internarum, tam in abdomine quam in thorace

contentarum, immutari atque inuerti debuerit, vt deinceps patebit; cumque hepar sit veluti basis & fundamentum quo cæteræ partes superstructæ videntur, eius sedem, dispositionem, & collocationem necessario sequi coguntur, illo namque transposito fieri non potest quin & cæteræ partes internæ transponantur, si modo legitimus ordo in totius corporis œconomia seruari debeat; alioquin partium confusio, functionum læsio & inter turbatio accederent.

Vlterius progrediendo ventriculum in dextris partibus situm inuenit, cuius orificium superius super dextro latere vertebrarum metaphreni collocatum erat, quod insolitum est: nam secundum naturam ad diaphragma accedens, sinistrorsum vergit, eiusque fundus dextrorsum inclinat. In hoc cadauere orificium ventriculi inferius, siue pylorus in latus sinistrum reclinabat, qui solet in partem dextram tendere; propterea lienis, inteſtini duodeni situm inuersum fore tunc ipsi verisimile visum est; vt postea illud ipsum verissimum comperit.

Fundo ventriculi in oppositam partem reclinato, lienem in hypochondrio dextro collocatum adinuenit, cuius pars gibba nothas costas, sima vero ventriculum pro vt solet respiciebat, cui per vas breue quod trifidum erat, membranasque ordinarias alligabatur: ex quo lienis positu oritur etiam in venæ splenicæ, proindeque totius venæ portæ situ & distributione immutatio atque inuersio: vena enim portæ, quæ naturalem situm in parte dextra obtinet, in sinistra parte erat constituta; & splenica quæ è sinistris esse debebat, erat è dextris partibus.

Ventriculi ſitum immutatum ſequitur idem ſitus inſtinorum mutatio: cum enim pylorus vt jam dictum eſt ad ſiniſtram partem eſſet propenſus, inteſtinorum principium è partibus ſiniſtris ducebatur, duodenumque in ſiniſtra parte erat collocatum, neque vt ſolet conſtitutum: cum enim ſecundum naturam ſub pancreate ducatur, ſitque, vt conuenientem diſpoſitionem, ſitumque obtineat, obliquum, & in medio reflexum vt quod ſemel egreſſum eſt è ventriculo, in illum regredi & refluere non poſſit: hîc contra ſeſe habebat, ſupra enim pancreas quaſi rectà ferebatur, inteſtinumque ieiunum, cuius initium eſſe ſolet in parte ſiniſtra, hîc in parte dextra erat locatum; ſicque inteſtinorum omnium ſitus erat inuerſus: quæ enim ad dextram partem pertinebant, ſiniſtro loco continebantur; veluti cæcum quod in ſiniſtra parte erat cum appendice ſua, vna cum initio coli, cui in dextra ſecundū naturam ſedes conuenit, & in dextram terminatur: rectum pariter è ſiniſtro latere initium ducere ſolet: è contra in hoc cadauere colon inteſtiuum in dextrum latus deſinebat, rectum vero ab eo latere exordium ſumebat; proindeque meſocolon in dextra parte ſitum erat, cui pars ſiniſtra dicata eſt ſecundum naturam. Sic vena hæmorrhoidalis quæ è ſplenica vt plurimum, interdumque è meſenterica ſiniſtrorſum oritur, & per coli inteſtini, & recti longitudinem fertur, & ad extremum recti inteſtini deducitur; in hoc cadauere è ſplenica dextrorſum exoriebatur, quo loco lien ſitus erat, dextrorſumque per longitudinem coli & recti extendebatur.

Vtque vena caua deſcendens ſiniſtram verſus

vertebris lumborum incumbebat, quæ in parte dextra reperiri debebat; sic aortæ truncus descendens dextram sedem occupabat, quæ cauæ descendenti trunco naturæ lege debetur; inde factum est vt cæteræ venæ transpositæ fuerint, quod potissimum in vena spermatica dextra cernebatur, quæ ab emulgente dextra emergebat, & spermatica sinistra quæ è trunco venæ cauæ sinistrorsum exiliebat, perturbato scilicet naturæ ordine; spermatica si quidem dextra vt plurimum è venæ cauæ trunco oritur, sinistra vero ex emulgente: dixi vt plurimum quia situ contrario dispositæ interdum reperiuntur. Renum pariter situs erat inuersus: ren enim sinister digiti latitudine sinistro depressior erat, iecore nempe in dextro hypochondrio collocato ipsum deprimente: ren vero dexter erat elatior, liene minorem locum in dextro hypochondrio occupante.

Insuper carnalis quidam conspicuus inuentus fuit in abdomine, è cauis jecoris emergens iuxta venæ portæ exortum, per medium pancreas transiens, & in intestinum duodenum inter duas tunicas desinens, prope meatuum cholidocorum insertionem: is erat substantia neruosa, figura rotunda, pennæ gallinaceæ magnitudinem referens, in cuius cauitatem tubulus introductus fuit, qui hepar ingrediebatur, & inter duas tunicas duodeni perducebatur, hicque canalis plures ramulos in pancreas diffundebat.

Ita dispositis partibus naturalibus in abdomine contentis, fieri non poterat quin partes thoracicæ eundem situm obtinerent, & ad illarum modum flecterentur: iecore enim sinistrum hypochondrium replente, venæ cauæ truncum ascenden-

tem & descendentem ad sinistrum latus exporrectum, aortamque in dextro repositam esse, adeoque pulmonum cordisque naturalem situm mutari necesse erat.

Quod conjectura assequebatur, id αὐτοψίᾳ verissimum comperit Anatomicus: tres enim pulmonum lobi ad dextrum latus pertinentes, sinistro latere, duo vero dextro continebantur. Cordis conus qui ad sinistrum latus paulo inflectitur, basisque quæ ad dextrum paululum vergit, contrario modo hic se habebant: pericardij enim & cordis mucro latus dextrum, eius vero basis latus sinistrum respiciebat; sicque quatuor vasorum cordis ordo etiam immutatus fuit, vt & ventriculorum cordis situs inuersus: qui enim dexter vulgo habetur, in hoc cadauere sinister erat; qui vero sinister, dexter habebatur: sic aorta in dextro latere erat posita, ostiumque venæ cauæ quod in cor dehiscit, in sinistro adspectabile erat cum auricula cordis majore: arteria vero venosa, venaque arteriosa cum minore cordis auricula in dextro conspiciebantur, Vena sine pari partem sinistram internamque vertebrarum metaphreni perreptabat, ortumque suum ducebat ab initio subclauiorum ramorum, octo ramulos emittendo, qui tam ad dextras quam ad sinistras partes deducebantur.

His ita constitutis sequebatur necessario neruorum recurrentium situm quoque immutatum esse: solet enim neruus recurrens sinister reflecti circa descendentis aortæ incuruationem; dextri vero reflexio circa subclauiam dextram veluti circa trochleam perficitur: & sane contrarium positum in hoc cadauere nerui recurrentes obti-

aebant; aortâ enim in dextra parte locatâ, neruus recurrens circa eius incuruationem reflectebatur, in sinistra vero circa subclauiam reducebatur.

Venarum lactearum in glandulosa mesenterij corpora, & receptacula deductarum à Galeno facta delineatio atque descriptio, vna cum lactearum thoracicarum in equo à Bartholomæo Eustachio facta demonstratione.

OBSERVATIO XVIII.

LAudantur & celebrantur sæculi nostri ingenia quorum acie & perspicacia multa abscondita ad rem anatomicam, & praxim medicam spectantia, sedulitate, diligentia, & laboribus incredibilibus è tenebris eruta omniumque oculis exposita sunt; inter quæ præcipuum obtinebit locum venarum lactearum & in fundo mesenterij chyli receptaculorum detectio, & inuestigatio, vna cum ductuum chyliferorum ad thoracem ascendentium in venas subclauias insertione, quibus chylus ad cor deducitur, ibique in sanguinem conuerti contendunt neoterici anatomici: & licet de horum vasorum vsu non vna eademque sit omnium sententia, cum plurima adhuc in corporum anatome sensus nostros effugiant; res tamen

extra omnem controuersiam videtur iam posita, cuius quidem indagatoribus Gaspari nim. Asellio venarum lactearum inuentori, & Io. Pecqueto vniuersitatis nostræ Monspelienſi Doctori Medico clarissimo, receptaculorum chyli in fundo mesenterij collocatorum, & venarum lactearum in thorace repertori, laus æterna debetur. Nec dubitaui quin ex assidua cadauerum sectione, & repertorum meditatione imposterum veram sanguificationis officinam, de qua tantopere disceptabatur, partium naturalium & vitalium actionem, humorum motus & legitimos vsus dignoscere possimus. Interim miratus sum (admonitus prius à nobilissimo viro D. Mentel scholæ Parisienſis Doctore Medico doctissimo, qui hanc obseruationem mihi communicauit & authorum loca indicauit) dum legi tum apud Galenum, tum apud Bartholomæum Eustachium, delineationem quandam & descriptionem, licet rudem & imperfectam, venarum harum lactearum, & chyli receptaculorum, atque etiam ductuum chyliferorum ascendentium; nec propterea de laude & existimatione clarissimo Pecqueto debitis quidquam detrahendum censui; at solummodo existimaui omnium bonorum fructuumque quos in amplissimo Medicinæ campo excolere & colligere possumus, seminaria hauriri posse ex artis nostræ antiquis principibus, Hippocrate præsertim & Galeno. Et quemadmodum planta è terræ gremio folia sua tenella proferens, non tam claram facilemque sui cognitionem exhibet, quam vbi perfectum sui incrementum fuerit assequuta; ita apud antiquos illos authores, quibus Medicinæ primordia & fundamenta constituta fuerunt, non

clare & dilucide anatomicæ illæ obſeruationes exponuntur, ſed ambagibus quibuſdam inuolutæ conſpiciuntur; adeo vt primo intuitu vera illarum facies non facile dignoſcatur; ſed aſſiduum contemplatorem & inſpectorem exigant. Horum igitur penetralia adeamus, & quæ huc vſque fuere abſtruſa recludamus.

Primus locus eſt Galeni libro 4. de vſu part. ſub finẽ quem locum iam notauerat D. Mentelius in epiſtola ad D. Pecquetum. Hæc ſunt Galeni verba πρῶτον μὲν γὰρ παντὶ τῷ μεσεντερίῳ φλέβας ἐποίησεν ἰδίας, αἱ ἀκμὴν αὐτῶν τῇ θρέψει τῶν ἐντέρων, μὴ διαθέμεναι εἰς τὸ ἧπαρ. ὡς γὰρ καὶ Ηρόφιλος ἔλεγεν, εἰς ἀδενώδη τινὰ σώματα τελευτῶσιν αὗται αἱ φλέβες, τῶν ἄλλων ἁπασῶν ὅτι διὰς πύλας ἀναφερομένων. i. e. primum namq; toti meſenterio venas effecit proprias (ſcil. natura) ipſorum inteſtinorum nutritioni dicatas, haud quaquam ad hepar trajicientes: verum vt & herophilus dicebat in glanduloſa quædam corpora deſinunt hæ venæ; cum cæteræ omnes ſurſum ad portas referantur.

Alter locus eſt initio lib. de diſſectione venarum, cuius hæc ſunt verba εἰσὶ δ' ἃς ἄλλας φλέβες ἐν τῷ τῶν μικρῶν ἐντέρων μεσεντερίῳ τῷ μέσῳ, διαίνουσαι τοῖς ἀδόσιάς τινας ἐνταυθοῖ καμπύας. τὴν δὲ μεγάλης φλεβὸς τὴν ὅτι πύλας, ἧς ἐκβλαστήματά εἰσιν αἱ διαφρηναι πᾶσαι, καὶ ἄλλαι τινὲς ἐκφύονται, τοσαῦται τὴν ἀριθμὸν ὅσοιπερ ἂν ὦσιν οἱ λοβοὶ τοῦ ἥπατος, εἰς ἕκαστον γὰρ αὐτῶν κατασχίζεται μία

i. e. sunt autem & aliæ venæ in tenuiorum intestinorum medio mesenterio, quæ ad glandulas quasdam ea regione positas terminantur, quin etiam ab eadem magna vena quæ ad portas est iecoris, cuius soboles sunt omnes prædictæ, aliæ quoque quædam producuntur iecinoris fibris numero pares, in singulas enim singulæ diuiduntur. Quibus postremis verbis venas lymphaticas designari ait D. Mentelius. Bartholomæus vero Eustachius in opusculis anatomicis cum de vena sine pari agit, confuso quodam modo ductum thoracicum album & lacteum in equorum cadaueribus animaduertit, cuius progressum & distributionem è partibus superioribus ad inferiores persequitur, huius vero insertionem & terminationem se ignorare fatetur. Hæc sunt eius verba quæ leguntur tractatu de vena azygo pag. 301. Quandoque vena sine pari è regione sextæ thoracis vertebræ ramum ad sinistram partem mittit, qui sursum elatus ad quintam eiusdem cum alio à trunco sinistro iuguli orto coniungitur : indeque vsque ad tertium interuallum alimentum præbens conscendit, ad hanc naturæ prouidentiam quandam equorum venam alias pertinere credidi, quæ cum artificij & admirationis plena sit; nec delectatione ac fructu careat, quamuis minimè sit ad thoracem alendum instituta, operæ pretium est vt exponatur. Itaque in illis animantibus ab hoc ipso insigni trunco iuguli, qua posterior sedes radicis venæ internæ iugularis spectat; magna quædam propago germinat, quæ præterquam quod in eius origine ostiolum semicirculare habet, est etiam alba & aquei humoris plena, nec longè ab ortu in

duas partes scinditur, paulo post rursus coëuntes in vnam, quæ multos ramos diffundens iuxta sinistrum vertebrarum latus, penetrato septo transuerso, deorsum ad medium vsque lumborum fertur: quo loco latior effecta, magnamque arteriam circumplexa, obscurissimum finem mihique adhuc non bene perceptum obtinet.

SCHOLIVM.

EX Galeni verbis lib. 4. de vs. part. duo colligi possunt; primo quasdam dari venas quæ ad hepar non producuntur, nec tendunt: Secundo intestina lacteo succo nutriri. Mirum in modum se torquent Galeni interpretes dum verum horum verborum sensum inquirunt, nec tamen illum plane assequuntur. Vesalius lib. 5. anat. cap. 6. Sic ait neque satis assequor quid Galenus sibi velit, quando intestinis ipsique adeo mesenterio venas offerri testatur in iecur non terminatas, aut (vt alij vertunt) ad iecur non trajicientes; nisi forte aliquas venæ cauæ propagines in intestina disseminari iudicauerit: quanquam & illæ in iecur tandem vel ipsius sententia terminarentur, etiam si forsan cremorem ex intestinis jecori non offerrent: at potius intestinis mesenterioque enutriendis priuatim conducerent. Venas enim lacteas à mesentericis distinctas ignorauit ille, admittens venæ portæ propagines in intestina insertas ad mutuam chyli in iecur trajiciendi & sanguinis adnutrienda intestina deducendi mutuam transsumptionem; adeo vt præter commemoratas venas nullæ aliæ in intestina & mesenterium pertinentes ipsi fuisse obuias asserat; licet hic vi-

deatur glandulam magnam meſenterij deſignaſſe, quam non chylo excipiendo; ſed vaſorum diuiſionibus fulciendis deſtinatam eſſe agnoſcit. Caſpar Hofmannus lib. 2. variar. lect. cap. 19. textum hunc corruptum eſſe aſſerit, non intelligens quomodo natura ad nutritionem meſenterij inteſtinorumque, fecerit venas quaſdam peculiares, & quomodo dentur venę quæ ad hepar non perueniant; quando quidem hepar omnium venarum fons eſt & origo: tot ſunt abſurda inquit in vna hac oratione quæ commiſiſſe Gal. in tantillo tractu credat Iudæus apella, non ego. Damnatq; ibid. veſalium qui dum hunc locum adducit lib. iam citat. Galenum deduxiſſe has peculiares venas à vena caua aſſerit, quomodo, inquit, auena caua cũ expreſsè dicat μὴ διαφύεσθαι εἰς τὸ ἧπαρ. Item com. in hunc locum ſic ait. Vidit forte herophilus (ex huius .n. ſententia loquitur Gal.) tale quid quale fallopius in ſuis obſeruationibus cum ait aliquando ramos ex portæ trunco ſurſum ire ad diaphragma, atq; inde iterũ deſcendere ad pancreas: at quia Herophilus ad hepar deſinere non viderat, quod vidit fallopius, credidit id Galenus, & in omnibus ita eſſe aſſeruit. Nec minoribus ambagibus inuoluuntur & ducuntur neoterici anatomici, quorũ multi aſſerunt venas lacteas ad hepar nullo modo pertingere, nec vllam illarum propaginem illuc deductam deprehendi potuiſſe: alij vero quatuor canales lacteos ad hepar extenſos, & præterea alios in pancreas & venam cauam obſeruauerunt. Hanc controuerſiam anatomicam ratio ex partium œconomia deprompta decernere poteſt: nec credendum eſt omnes vias per quas humores feruntur, ab anatomicis deprehẽdi potuiſſe.

Si venarum emulgentium (inquit Bartholomæus Eustachius de rerum administratione agens p. 132. opuscul. anat.) cum ramis illius quæ azygos dicitur, coniunctionem nouisset Galenus, pariterque propaginem interdum venæ portæ vniri cum venis septi obseruasset, veram etiam viam cognouisset, qua pulmo & thorax expurgari per renes & intestina possint. Sufficit si communionis venæ portæ cum caua extra hepar, vt de illa non amplius ambigamus, notitia quædam habeatur, sufficit ductus quosdam chyliferos ad hepar pertingentes notauisse, vt de traductione chyli ad illud non amplius dubitemus, pluresque alios dari canaliculos non adhuc deprehensos per quos ille feratur, conjiciamus. Nonne Thomas Bartholinus cap. 15. tractatu de venis lacteis thoracicis admittit venas lacteas hepar ingredientes, & in orbe piscę harum venarum in hepatis tertium lobum minorem in sertionem ostendit, quem lacteus candidusque ramus satis magnus ingrediebatur, ex glandula haud procul locata, lacteoque humore turgida; ad quam pleræque lacteæ ex mesenterio, & appendicibus ventriculi commeabant; licet ipse deinceps palinodiam cecinerit cap. 3. historiæ nouæ anat. vasorum lymphaticorum, & cum sententia earum venarum nomen mutauerit, dixeritque esse vasa aquosa seu Lymphatica nihil nisi limpidam aquam continentia, & certe non video quomodo canalis ille insignis lacteus in orbe piscę repertus dicatur Lymphaticus, cum aquam limpidam non contineret, vt & alij ductus ad hepar tendentes qui lymphatici visi sunt, eò quod chyli aquosiorem & tenuiorem partem deferrent, & forsan

quod pars chyloſa & nutritia attracta fuerit ab hepate, ſecreta & relictâ aquoſiori ad nutritionem inutili, eaque in iſtis venulis redundante.

Nathanaël Higmorus lib. 1. part. 2. diſquiſition. anatom. corporis humani pag. 40. Sic de venis lacteis loquitur. Aſellius duos tantum vidit ramos, ego plures perluſtraui quia pancreate ad hepar per portæ latera excurrunt, eoſque poſt mortem etiam facilè monſtrare poſſum, & pag. 39. Sic earum diuaricationem & progreſſum deſcribit ab inteſtinis per meſenterium obliquo ductu inter duas eius tunicas, partim ſeorſim à vaſis reliquis, partim vna cum illis modo rectò ductu, modo eadem tranſcendentes & veluti decuſſantes per plures glandulas in pancreas vſque perferuntur; in pancreas varie cancellorum in modum vel capreolorum implexæ, ſibi mutuo confuſæ in plurimos eoſque in extricabiles gyros anfractuſque hac illac intorquentur. Ab eo rurſum majoribus paulo ſurculis per portæ latera vndiquaque, quam quibuſdam in locis annuli inſtar cingunt, in jecoris cauam ſubeunt: inde illatæ in hepatis parenchyma ibi quaquauerſum diſſeminantur dum prorſus obliterentur. Atque eiuſmodi venas lacteas antiquis non prorſus fuiſſe ignotas idem oſtendit pag. 38. & Galeni atque falloppij teſtimonia profert. Galeni verba hæc ſunt lib. an ſanguis in arteriis contineatur. Si ventrem imum & interiorem membranam diuiſerimus, arterias in meſenterio conſpiciemus, in hoëdis nuper natis lacte refertas, in adultis autem animalibus, alterius cuiuſdam rei plenas. Arterias inquit Higmorus forſan à gracilitate, quas in nuper natis à lacte quod exuxerant, impleri cenſuit, miror vero

dum falloppium in hanc ſententiam trahit inuitum eius verba aliquatenus immutando: ita enim illa falloppij verba tranſcribit, ex obſeruat. 3. de venis pag. 597. prioris edit. In ſima hepatis parte ſunt meatus quidam minimi, qui deſinunt & terminantur in pancreas, & in glandulas ibi proximas, qui minimi meatus ſuccum quendam oleaginoſum, album, & ad aliquam amaritudinem tendentem, deferunt: notandum eſt legi apud falloppium ſuccum quendam oleaginoſum flauum, *non album*. Ita vt & colore & ſapore hic ſuccus bilis naturam redoleat, non verò chyli qui albus, dulcis, & ſuauis exiſtit.

Dantur equidem canales lactei qui recta ad hepar non tendunt vt ſunt illi qui in meſenterij glandulam magnam, & receptacula chyli feruntur, & duo illi Pecquetiani ad thoracem aſcendentes, adeo vt mirum videatur illud à multis ſæculis notauiſſe Herophilum & cum illo Galenum: ſed propterea minimè credendum eſt nullam chyli partem ad hepar deriuari, vel totum ad cor transferri per ductus duos exiguos ad pennæ anſerinæ magnitudinem vix accedentes: quomodo in guloſis & helluonibus hi ductus ad vehendum chylum ſufficient, ſuccorumque multitudine & craſſitie non obſtruentur, cum venis lacteis & meſaraïcis copioſioribus id vitium ſæpius contingat, & nimium repleti diſrumpantur, cum ſint ipſi molles & ruptioni paratiſſimi vt ipſimet qui totum chylum ad cor deferri contendunt ingenue fatentur & quænam proportio erit (quæ inter omnes corporis noſtri partes reperiri ſolet) inter duos illos ductus qui chyli ſunt aluearia, & aortam venamque cauam ſanguinis è chylo confecti

promptuaria : nonne ampliores esse deberent illi canales si soli chylum veherent; cum chylus ex cibis ingestis quotidie productus sanguinem de nouo generatum quantitate superet, & coctione semper materia quælibet & paucior, & tenuior propter partium heterogenearum secretionem reddatur, est inquit Gal. 3. de fac. nat. omnium quæ in corpore sunt leuissimum tenuissimumque spiritus, secundo loco halitus, tertio gradu qui plane absolutus attenuatusque est sanguis. Nec dicendum est maius spacium occupare sanguinem attenuatum & rarefactum citum enim & liberum per venas & arterias habet commeatum atque transfluxum adeo vt patentioribus viis non indigeat quibus contineatur ; veluti spirituum animalium inductione patet qui per vlteriorem elaborationem in cerebro attenuati, alueos per quos celerrime transfunduntur non amplificant. Nec etiam dicendum est chylum continuo per venas thoracicas ascendere & successiue cordis ventriculum dextrum subire, adeo vt meatus exilitas, chyli fluxus continuitate compensetur; alioquin si per amplum meatum in cor delaberetur ne ipsum obrueret & suffocaret periculum esset : falsum enim est continuo motu transire chylum per venas thoracicas: siquidem non tam cito euanescerent post chyli distributionem imo continuò albicantes et chylo turgidæ conspici possent ; cuius contrarium experientia testatur ; quod si non sit chyli per venas thoracicas continuus & perennis transitus , totus per illas haud quidem traduci poterit ; cum eius ad cor integra delatio per canalem exiguum tam breui temporis spacio perfici non possit.

Quod

Quod si nihilominus toti chylo ad cor non denegetur aditus, quomodo stare poterit altera eorumdem sententia, sanguinem scilicet ad cor redire, vt de nouo excoquatur, vlterioremque perfectionem obtineat; cum potius ibidem chylo non adhuc defæcato & à recrementis purgato admixtus sanguis deteriorem sortem nanciscereretur: quod pharmacopœorum exemplo illustrari poterit, qui Sacchari vel Syrupi decocturam succi vel liquoris cuiusdam affusione sæpe imminuunt: quibus adde si ex chylo in corde sanguis conficeretur, & nonnisi in hepate, liene & renibus defæcandus & repurgandus esset, sequeretur crassiorem, fæculentiorem, impuriorem & crudiorem in corde & arteriis contineri quam in venis, quod falsum est & absurdum.

Si quæras cui officio, & quibus vsibus dicatæ sint venæ lacteæ & canales lactei thoracici. Audi Galenum hoc loco docentem nutriendis intestinis illas venas esse comparatas (quod de illis tantum venis intelligendum videtur quæ ad hepar non pertingunt) chylumque horum esse alimentum. Sic lib. 3. de fac. nat. ventriculum eo succo verè nutriri statuit, aitque nihil esse in rerum natura, quod propter ipsum trahere trahat, sed vt tracto fruatur; atqui eo frui non licet nisi retineat, vt eius quod in qualitate conueniens consentiensque est partem aliquam capiat: itaque (inquit) quod in cibis optimum est, id halitus specie & paulatim sibi attrahit, atque in tunicis suis reponit; iisdemque adiungit; vbi abunde saturatus est quidquid reliquum est nutrimenti, veluti onerosum quid, rejicit. Deinde ait si cibis

conficiendis se applicaret ventriculus vt reliquis partibus alendis idoneos redderet, non esset organum naturale, sed animal quod ratione menteque præditum, quod melius est eligeret: atque ibidem totam alimenti œconomiam in tria tempora diuidit; primum tempus est dum in ventriculo manet cibus; secundum dum transit chylus per intestina & hepar; tertium dum ab hepate distribuitur reliquis partibus; atque in primo tempore quidem fieri tractionem & appositionem vult succi alibilis ex cibis in ventriculo, reliquas vero præparationes in aliis temporibus istius œconomiæ, agglutinationem quidem in secundo tempore, assimilationem vero & perfectam nutritionem ex eodem succo in tertio; quod idem de intestinis & mesenterio per quæ transit chylus asserendum est, quod patet ex eius verbis. Hoc in tempore nutrimentum cum per tota intestina permeet, per vasa quæ ad ea pertinent rapitur, plurimum quidem in venas, exigua quædam portio in arterias: iam hoc tempore etiam intestinorum tunicis apponitur: & com. in aph. 18. sect. 2. ita scribit: In commentario de potentiis naturalibus ostendebatur ventriculum ante omnia cibis frui, familiarem sibi succum ex illis attrahere, & suis apponere tunicis; mox vbi esset saturatus, tunc ipsos emittere ad excretionem; propterea quotidie experimur assumpto cibo famem sedari, quia eo se se expleuit ventriculus, & quantum venæ ei detraxerant sibi reposuit, & quia præterea non amplius ab eo tanquam è terra fugunt vicinæ partes, quæ præsentiunt alimentum ad quod se conuertunt, & à quo sibi familiarem suc-

tum alliciant vt docet Galen. lib. 1. de Sympt. cauſ.

Quod ſi ad inteſtinorum & meſenterij (addimus nos & pancreatis) nutricatum venas illas ad hepar non pertingentes deſtinatas eſſe voluerit Galenus; quidni etiã dicemus partibus quibuſdam in thorace contentis alimentum proprium & familiare euehere canales iſtos aſcendentes chyliferos.

Conjicit Riolanus in reſponſione ad Carolum LE NOBLE, Medicum Rothomagenſem, exiguam illam portionem chyli cordi illiqui ad reparandum illum adipem durum ſeuo ſimillimum cordi circumfuſum, qui permixtus ſanguini per venas coronarias ſpargitur in cordis ſuperficiem; forſan etiam, inquit, ipſius cordis ſubſtantiam duram carneam nutrit quæ tale requirit alimentum; & antea in reſponſione ad experimenta noua anatomica ſcripſerat iſtas venas duas lacteas ita conditas forſan vt ſanguini violenter fluenti intra arterias, per circulationem in venis craſſities addatur, partim etiam ad nutritionem diuerſarum partium corporis, quæ diuerſo gaudent alimento vt oſſa & medulla, partim ad generationem & reparationem adipis per vniuerſum corpus extenſi, partim etiam ad fibroſæ materiæ productionem in ſanguine, quæ remoram addit ſanguini.

Franciſcus Gliſſonius in anatomia hepatis pag. 443. exiſtimat ſuccum nutritium in meſenterij hiſce glandulis ſeparari, atque huius in neruos partem aliquam ad eorum nutricatum transferri, treſque glandes lumbares neruis ſimiliter inſeruire credit: Thymus quoque huic videtur eſſe glandula nutritia: nam in embryonibus atque anima-

libus recens natis (quo tempore plurimum creſcunt, & nutricatu propterea vberiore indigent) magnitudine præ cæteris totius corporis glandibus ſpectabilis eſt; in ſenibus vero quibus alimento huiuſmodi parum opus eſt perexigua deprehenditur, & vix conſpicabilis: deinde glans hæc eſt candida, mollis, ſuauis admodum, mitiſque ſaporis, & ſubſtantia mammarum glandibus ſimilis, ac propterea quemadmodum iſtæ lac infantulo foris præparant, ſic illa liquorem nutritium intus ſuppeditauerit, eumque forſitan è ductu lacteo thoracico exceperit, qui glandulæ huic appropinquans, priuſquam in venas exinanitur, in duas plerumque propagines dirimitur.

Sed quid dicemus de chylo in dextro cordis ventriculo reperto, quo preſſo in venam cauam refluens aliquando apparuit. An in corde excoquendum illum, & in ſanguinem permutandum, illud plane euincit? Sed nonne ad hanc elaborationem quiete potius atque mora, quam motu & momentanea trajectione opus eſſet, quo modo coctiones reliquæ fœlicius peraguntur? an potius ſuccus hic albus, tenuis, liquidus, dulcis in pulmones per venam arterioſam vna cum ſanguine è dextro cordis ſinu deferendus videtur? nonne aptius nutrimentum eſſet & familiarius ipſis pulmonibus ille ſuccus ſanguini permixtus, quam bilioſus ſanguis qui vulgo eorum alimentum ſtatuitur, cuius quidem ne deguſtatus pulmo notam vllam exhibet; imo dulcis qualis eſt lacteus ſuccus comperitur. Deinde albicans pulmonis ſubſtantia nonne illud idem indicat; iiſdem enim quibus conſtat pars quælibet nutriri ſolet, inde fit vt in

fœtu qui ore alimentum non exúgit, sed sanguine solo materno per venam vmbilicalem delato nutritur, pulmones, vt & cæteræ partes, rubri conspiciantur, qui color deinde in lactantibus pueris ad albedinem vergit. Tandem nonne satius videtur prouidam naturam nutriendo pulmoni dulcem, temperatum & lacteum succum suppeditasse, quam acrem, salsum, & calidissimum; cum per eius continuũ motum, & cordis æstuantis viciniam ad calorem concipiendum satis superque promptus, paratusque fit? nonne lac quotidie alimentum & medicamentum affectis pulmonibus conuenientissimum & veluti à natura institutum experimur, cui affinis est chylus? nonne tenuis illa pituita quæ tussi solet rejici, liquidi illius succi crudior & aquosior portio est, quam natura secernit & expellit, & forsan sanguinis è pulmone rejecti color non ita saturatus & ater; sed floridus apparet ob admixtionem candidæ illius substantiæ.

Probabile est insuper huius ductus chyliferi quasdam propagines ad mammarum glanduloſa corpora deferri, vel venis ad ipsa tendentibus occurrere, quibus chylosa materia & tenuis sanguini admixta & generando lacti idonea suppeditatur; inde fit forsan quod multæ mulieres fœtus suos lactantes in pulmonum vitia & tabem tam facilè & frequenter incurrant, substracta nempe pulmonum alibili materia; hinc lacti vis purgans medicamenti, paucis horis ab illo assumpto, communicatur, delata scilicet eius portione per tubulos lacteos ad mammas; quod non tam breui temporis spacio fieri posset si tot flexuosos hepatis

& venæ cauæ meatus substantia virtusque medicamenti subirent. Hanc de lactis generatione sententiam sequutus est Guiffartus Medicus Rothomagensis, eamque amplexus est Thomas Bartholinus, multisque rationibus probauit cap. 18. Histor. anat. de lacteis thoracicis. Atque ante ipsos Prosper Martianus & Veslingius hanc lactis generationem diuersa tamen quadam ratione proposuerant; communicatione nempe succi illius facta è ventriculo ad mammas per euaporationem.

Quæ nostra sententia de vsu lactearum venarum thoracicarum si quibusdam viris doctis non arrideat, ad probabilioris & certioris cuiusdam vsus inuestigationem erit incitamentum, & certè in re tam difficili & abstrusa certi quidquam pronuntiare non audeo, donec scrutinio anatomico multa quæ procul dubio latent adhuc, comperta sint: coniecturas tantum meas proposui in quas iurare neminem addictum volo. Possem alias insuper addere nisi res tanti esset momenti vt peculiarem tractatum exigeret, quem, si per otium ingeniique modulum liceat, aliquando aggrediar, atque vnà verum naturalemque sanguinis motum persequar.

Interim hic quædam addam de nobili illa valuula Rothomagi nouissime reperta in venæ cauæ trunco ascendenti, iuxta venæ coronariæ exortum sita, eo scilicet fine constructa ne sanguinis secundum venæ cauæ ductum elati, & chyli è superioribus partibus descendentis fiat confusio, atque per vehementes humorum agitationes illius in venam cauam effusi fiat retrocessus ad hepar

Nouum sane hoc inuentum cui tam nobilis vsus tribuitur, à multis celebrabitur: sed caueant prudentiores, ne res nouas auidius excipientes, incerta, aut saltem rara pro veris & ordinariis nobis obtrudant: sicut enim corporum structura non in omnibus eadem reperitur, & venarum in quolibet corpore variat sæpius distributio: ita & valuularum situs poterit esse diuersus, nec firma & perpetua eius valuulæ nobilis dictæ à D. Guiffarto in epistola gallice nuper edita, in prædicto loco statio erit. Et reuera iam constat in cadauerum sectione Lutetiæ administrata, licet exactè & diligenter hæc valuula fuerit conquisita, nullo modo hanc fuisse repertam.

Ecquid denique dicendum de cadauere Matthiæ Ortelij mercatoris Antuerpiensis sine hepate & liene inuento? cuius Historiam describit Caspar Bauhinus in appendice tractatui de partu Cæsareo Fr. Rosseti adjecta pag. 238. Aliquot annis (inquit) antea hydrope laborauerat, qui morbus affectus hepatis vel primario vel secundario necessario comitatur, cumque sub septo transuerso hepar & lienem quæreremus, ne vestigium quidem illarum partium inuenimus: casus profecto inauditus & admirabilis: at substantia omnium intestinorum carnosa prorsus erat, & multo solidior quam ipsa musculorum caro, vt soliditate cordis carni fere responderet, & vena caua ex ipsis intestinis suam originem sumebat, eo fere modo quo vena porta in ipsis intestinis solet implantari: Ex hac si quidem historia videtur colligi posse hepate vel liene non opus esse ad sanguinis elaborationem, nec illa viscera esse αἱματοποιητικά.

At nonne idem de corde dici potest cum historiis quibusdam relatum sit aliquos sine corde post mortem repertos fuisse. Apud Plin. lib. 11. hist. c. 37. Cæsari dictatori, quo die primum veste purpurea processit, vtque in sella aurea sedit, sacrificanti bis in extis cor defuit. Si fides Tilesio adhibeatur, visus est qui absque corde vixit. Et apud Schenkium obseruatione tertia de corde hæc leguntur. Ni mendum exemplarium est, hoc carens viscere (puta corde) compertum quandoque pronuntiat Auicenna: quod ex Cœl. Rhodigino lib. 4. cap. 16. desumpsit: nec locum habet quod profert Riolanus nimirum dum hoc viscus deesse videtur in cadauerum sectione, morbo fuisse consumptam illius substantiam, remanentibus tantum partibus membranosis, quod in tabe cordis contingit. Idem enim dum quærit cur cor comburi aliquando non potuerit, fatetur illud esse in corpore postremum quod comburitur; hancque rationem subiungit: quia cor cum sit pulmonibus obuolutum, capsula incluſum, aquæ immersum, & per adustionem totius corporis, sanguis ad cor veluti centrum repellatur, forsan tardius crematur. Cum ergo cor tantopere adustioni & consumptioni resistat, prius cæteræ partes, quam illud ipsum absumerentur & colliquarentur; præsertim cum eius substantia durior & solidior existat.

Cum autem talis conformatio & dispositio partium nutritiarum in cadauere Ortelij, forsan ab ipsa natura aberrante instituta fuerit, homo diu viuere non potuit (quemadmodum & ille polonus cuius cor solidum & absque ventriculis repertum est) cum αἷμα ἡμίπεπτον ipsi cordi &

reliquis partibus ſuppeditaretur : in inteſtinis enim ſolito denſioribus, craſſioribus, & carnoſioribus, chylus ſanguinis quædam rudimenta accipiebat, qui in venis deinde (quibus facultas αἱματοποιητικὴ non denegatur) inſuper excoquebatur, tandemq; in corde vlteriorē perfectionem aſſequebatur talē nim. qualem in corpore manco & imperfecto compleri poſſe, ſperandum eſt; hinc factum vt ἀποτυχία τοῦ τῆς αἱματώσεως ἔργου ſucceſſerit, deficiente ſcilicet primario & præcipuo ſanguinis δημιουργῷ· proinde Ariſtoteles cordis & jecoris parem neceſſitatem animaduertit lib. 3. de gener. anim. cap. 7. his verbis καρδία μὲν οὖν καὶ ἧπαρ ἅπασιν ἀναγκαῖα τοῖς ζώοις· ἡ μὲν διὰ τὴν θερμότητος ἀρχήν. (δεῖ γὰρ εἶναί τινα οἷον ἑστίαν ἐν ᾗ κεῖσθαι τὴν φύσεως τὸ ζωπυρουμένον καὶ τοῦτο εὐφύλακτον, ὥσπερ ἀκρόπολις οὖσα τοῦ σώματος) τὸ δ' ἧπαρ τὴν πέψεως χάριν. τὸ δ' ἔναιμα δεῖται δυοῖν τόποιν· διὸ δὴ ἔχει πάντα τὰ ἔναιμα δύο σπλάγχνα ταῦτα μόνον, i. e. Certè igitur cor & hepar omnibus animalibus neceſſaria ſunt : alterum propter caloris originem (oportet enim adeſſe veluti quendam focum in quo naturæ fomes collocetur iſque bene cuſtoditus, ac ſi corporis arx eſſet) alterum nim. iecur cibi concoquendi gratia adeſt, & certè ſanguine prædita his duobus indigent, quamobrem cuncta animalia ſanguinea hæc duo viſcera habent, & lib. 4. de gener. anim. cap. 4. ſic habet καρδίαν μὲν οὖν οὐδὲν πώποτε ἐγέ-

νετο ζῷον μὴ ἔχον, πλεῖσα δ' οὐκ ἔχον, καὶ δύο ἔχον, καὶ νέφρον ἕνα. ἥπαρ δ' οὐκ ἔχον μόνον οὐδέν, οὐκ ὅλον δὲ ἔχον. i. e. nullum vnquam animal cor non habens ortum est, quanquam liene carens: & duplicem habens lienem & altero vacans rene visum est. Iecore etiam carens toto nullum notatum est: quanquam quod non totum haberet iam patuit, vt transtulit Gaza.

Infans monstrosus absque pene & vesica, cum carne quadam fungosa hypogastrio adnata, nuperrime Lutetiæ natus.

Observatio XIX.

Die 13. Iunij huiusce anni 1656. hora post meridiem secunda, vxor Iohannis Sassin Sartoris genuit infantem monstrosum, ad cuius inspectionem statim accersitus fui, hoc viso ad patrem retuli hunc fœtum vitalem non fore, ipsumque hortatus sum vt eo extincto cadaueris sectionem permitteret, quod lubens mihi concessit. Hic septem dies à partu gemebundus vixit, infortunatamq; septima die vitam cum morte commutauit.

Sectio igitur cadaueris me præsente & instigante facta fuit à D. Rovsseav Chirurgo coram D. du Prat Medico Regio. D. Lvssan Pharmacopæo Regio multisque aliis.

Huius corporis partes omnes decenti structura

& conformatione donatæ fuissent, nisi naturæ insignis aberratio in partibus hypogastrij fuisset conspicua. Atque vt ab inferioribus partibus exordium ducam, scrotum parum ab ano distabat, ipsique erat fere contiguum : in hoc duo testiculi continebantur, in quos venæ spermaticæ pro more inserebantur. Supra scrotum apparebat carnea quædam substantia, cuticula, cute, & veluti membrana quadam carnosa prædita, quæ speciem præ se ferre videbatur penis secundum longitudinem per medium secti, nullum vrethræ huic inerat vestigium, radix istius particulæ dura erat, solida, & fere cartilaginea. In hanc radicem desinebant vasa eiaculantia. Paulo supra hoc penis fragmentum fissura quædam semicircularis secundum latitudinem imi ventris apparebat, cuius sciſſuræ cornua, seu extrema paululum ascendebant. In medio huius semicirculi posita erat fungosa & carnea quædam substantia ad oui magnitudinem extra protuberans, initio ortus rubra, deinde liuida facta, quodammodo rotunda, eminentiis quibusdam rotundis, rubris, & per seriem dispositis insignita.

Vreteres non in vesicam, quæ nulla erat sed in sciſſuram illam terminabantur, atque vtrimque per eorum orificia vrina continuo & guttatim stillabat atque effluebat, ourachus ad membranam quandam sub illa carne fungosa positam perueniebat. Supra illam excrescentiam situs erat vmbilicus ex quatuor vasis solitis compositus; sed in inferiori quam par erat, loco constitutus; trium enim digitorum latitudine solito depressior erat.

In hoc corpore (quod notatu digniſſimum fuit)

veſica vrinaria prorſus deerat, cuius loco moles illa carnea extra protuberans producta fuit.

Dum viuebat lacque è mammis ſugebat infans, flacceſcebat paulatim caro hæc fungoſa, tandemque computruit, quæ putredo procul dubio mortem accelerauit. Hoc prætereundum non videtur quod obſeruauimus, nempe aquam pericardij cochleari exceptam & igni ſuperpoſitam in gluten euadere atque redigi.

Infans monſtroſa cum duplici veſica vrinaria, recto inteſtino, atq; vtero extra locum naturalem ſitis.

OBSERVATIO XX.

AD me retulit prædictus D. ROVSSEAV ſe vocatum fuiſſe ad apertionem cadaueris cujuſdam infantis, quæ quindecim dies à partu vixerat, in cuius ſectione multa extra naturæ ordinem conſtituta animaduertit: duæ enim veſicæ in hypogaſtrio è regione diſpoſitæ continebantur, à ſe inuicem digiti fere latitudine diſſitæ, in quarum vnamquamque vnus ex vreteribus, è directo inſerebatur. Vterus inteſtini locum occupabat. Rectum vero ſupra poſitum erat, & veſicæ locum obtinuerat, vmbilicus inferior erat quam ſecundum naturam deceat: atque adeò vterus, binæ veſicæ & inteſtinum rectum tam exiguo ſpacio continebantur, vt pecuniæ noſtræ quæ vulgo dicitur, *vn quart d'Eſcu*, amplitudinem non excederet.

P. BORELLVS, LECTORI circa mobile perpetuum.

CVm supereſſet pagella vacua, bonum eſſe duximus ſi tibi arcanum mobilis perpetui communicaremus. Sic autem fieri poteſt & iam factum fuit. Perfora arcam ſubtus, vt & lacunar quod tamen non percipietur ob arcam clauſam, per illa autem foramina aër cum impetu ventoſo ingredietur & vias ad exitum quærés, foramen in arcæ operculo facies, cui impones ſphærulam vel aliam quamlibet machinulam motu facilem vel ei alulas ex tela vt in molendinis appone quas arcæ includes, & ſic omnes mirabuntur motum tuum perpetuum cauſam ignorantes & ſphæram cum axe tantum videntes talis forſan fuit ſphæra illa vitræa archimedis adeò decantata.

FINIS.

Non potuit Author febre correptus repurgandis prælì erroribus vacare quos beneuolus Lector ſic emendabit.

IN Epiſt. ad Borellum, pag. 2. lin. 10. an. mundí 4753. corr 3540. lin. 11. 439. lege 465. p. 12. l. 22. λιθων, lege λίθων. lin. 13. ῥῆτερον, lege ῥήτερον. p. 19. l. 10. κοιλίων, lege κοιλιῶν. p. 20. l. 27. aſſerunt, lege aſſerit. p. 22. l. 4. ſuperuexiſſe, lege ſuperuexiſſe. p. 25. lin. 8. pro ἔσχατα, lege ἔκχυτα. p. 28. l. 23. δεκτικον, lege δεκτικόν. p. 31. l. 4. ante vlt. ἄφονοι, leg. ἄφωνοι. p. 32. l. 3. σειδῦ, leg. σειδῦ. ibid. πνέσι, leg. πνέσῃ. l. 4. ἄφονον, leg. ἄφωνον. l. 5. ὀφῶν,

l. ὁρᾷν. lin. 6. σειδῆ, l. σειδῇ. l. 7. ἀπὸ πνὸς. l. ἀπόπνοος. p. 38. l. 16. contulerit, l. contulit. lin. 20. οἰδήσαντος, l. οἰδήσαντος. p. 41. l. 2. Ἱπποκρατὴς, leg. Ἱπποκράτης. l. 4. ᾗ leg. ᾗ. lin. 5. ἐμιλωον, leg. ἔμιλωον. p. 52. l. 2. instinorum, leg. intestinorum. p. 53. l. 14. siniſtro, leg. dextro. l. 19. carnalis, leg. canalis. p. 54. l. 5. ἀποψία, leg. ἀπόψια. p. 57. l. vlt. ἔκασον, lege ἔκασον. p. 59. l. 16. Sic ait neque, corr. ſic ait: Neque.

Prætermiſſa.

Pag. 41. l. 23. poſt illa verba; vt ex Dureto diſcere poſſumus comm. in illam coacam, adde; Τὰ ἐκ πέκου καὶ διαφθορῆς πολλὰ ὀξέως ὁρμήσαντα, ὑπίσαντα; δύσκολα.

BIBLIOTHEQUE DE LA VILLE LYON 1886

VITÆ RENATI CARTESII,

SVMMI PHILOSOPHI COMPENDIVM.

Authore PETRO BORELLO, *Medico Regio.*

BIBLIOTHEQUE DE LA VILLE LYON

PARISIIS,

Apud { IOANNEM BILLAINE, sub signo S. Augustini. ET Viduam MATHVRINI DVPVIS, sub signo Coronæ Aureæ. } viâ Iacobæâ.

M. DC. LVI.

CVM PRIVILEGIO REGIS.

DOM. DOMINO,

PAVLO PELLISSONIO

FONTANERIO,

CONSILIARIO, ET SECRETARIO
Regis, Domus & Coronæ Franciæ.

P. BORELLVS MED.
S. P. D.

CVM me penè à pueritia insigni beneuolentia prosequi, plurimisque tibi deuincire officiis dignatus sis, ingratus audiam sanè ni meæ erga te obseruantiæ monumentum aliquod relinquam. Patere igitur vir clarissime opusculum hoc, maioris expromissorem, tuo nomini dicari. Non ego hic, vt mos

est, huius generis Epistolarum, de laudibus tuis dicere aggrediar, quas & tibi parum gratas, & omnibus notas, certò scio. Hoc tantum præsentibus posterisque testatum Velim, me tuorum beneficiorum nusquam immemorem tibibique addictissimum semper futurum. Vale.

RENATI CARTESII VITA.

Authore P. Borellio.

QVÆDAM Existere ingenia, quæ natura instar conspicuorum equidem luminum ostendat sed ea statim ab oculis nostris submoueat, inuidiáque nescio qua ab altera manu subito eripiat quæ ab altera liberaliter concesserat, nemo ignorat. Eiusmodi ingenia pauciſſima vno in seculo profert, quare cum maximus Carteſius in eorum numero fuerit, crudele ac ingratum mihi visum est, quod tanti viri vita, nullibi adhuc typis mandaretur, publicique iuris fieret, quare stylus licet meus rudis nimium, pro tanta sit materia, tentare tamen in magnis ausus sum compendium saltem eius vngulamque illius Leonis vobis exhibere, tanquam integræ vitæ prodromum si vobis non ingratum fuerit, ne amplius lux tanta veluti

ſub modio deliteſcat, De illo enim quæ de Pythagora cecinit olim Ouidius dicere meritò poſſumus.

—— iſque licet regione remotus
Mente deos adiit, & quæ natura negabat.
Viſibus humanis, Oculis ea pectoris hauſit.
Cumque animo, & Vigili perſpexerat omnia cura.
In medium diſcenda dabat.

Anno 1596. Magnus ille vir, vitales auras haurire incepit inter pictonum, & armoricorum in gallia gentèm in vrbe Caſtrum Eraldium dicta ex Patre Nobiliſſimo Patriæ ſuæ ſenatore cuius familia antiquiſſima Nobilitate fulgebat, exque ſecunda eius vxore vnicus fuit, non anguſta valde fuit ei domi res, cum ſex aut ſeptem librarum millia pro reditu annuo habuerit.

Ipſemet vitæ ſuæ primordia deſcripſit à pueritia, pag. 3. de methodo vt notauit Claubergius prof. Teutoburg. ad Rhenum, qui ait Cartheſium circa omne ſcibile ſtudium feciſſe, in optimo Collegio, veritatem reperire autumans inter eruditos, ſed ſpe ſua orbatus per nouēnium adfuit antequam quid ſibi faciendum eſſet decer-

Vir fuit aſpectu puſillus, vultu benignus, parum ſed optimè loquens, ſanus, ſobrius, Doctrinam ſuam abſcondens, contentionum oſor, ſed admoto vero falſa detegens, iactatorum hoſtis acerrimus, rationem authoritatibus præferens licet iis tamen vteretur; mulierum delectatus eſt colloquio, memoriam aliorum ſæpe optauit vt ipſe teſtatus eſt non enim iactabundus erat, modeſtus tandem adeò fuit vt etiam quæ callebat aſſerere non auderet.

In ſcholis flexiæ educatus fuit & edoctus, & anno ætatis decimo ſeptimo totum curſum ſuum ſeu ſtadium peregerat. figura vultus eius vbique circumfertur, & in Hollandia ac Lutetiæ æri inciſa reperitur. Et quoniam vtraque valebat Mineruâ, viros amauit magnanimos ſimul atque prudentes, & eruditos, ſicque fœliciter arma litteris coniungens, occupationibus militaribus etiam minoribus incubuit apud Batauos v bi optima eſt harum rerum ſchola, volunt a rieque per triennium belli tulit incommoda omnia abſque vllo ſtipendio, vnicum tantum aecepit duplionem quem ſemper in militiæ ſuæ monumentum ſeruare voluit, recuſauit etiam militum præfecturam, quoniam militum officio fungi cupiebat vt ei melius ars illa & labores in-

noteſcerent biſque *Bredæ obſidioni ad fuit*, & in pugna Praguenſi, vnde Italiam petiit, viſis tamen magnis Tychonis Brahæi machinis, colloquiiſque cum eius cognatis inſtitutis.

In italia vero Galileum alioſque claros conuenit viros, indeque ad Gauenſem obſidionem iuxta Genuam venit, & tandem in Galliam rediit & in obſidione Rupellenſi aliiſque militaribus actionibus etiam voluntariè adfuit in illa obſidione Rupellæ, memorandam præſtitit actionem, coram Cardinali Barbarino tunc Pontificis nuntio, coramque Card. Berullio, aliiſque claris ac ingenioſis viris, qui conuocati erãt vt Dominum Chandou de Nouis Philoſophiæ Principiis diſſerentẽ audirent, cũ enim omnium plauſus ſermone ſuo habuiſſet excepto Carteſij, ab illo quid de hoc ſermone ſentiret petierunt, ille tunc laudato oratoris ſermone, cætum non laudauit quod veriſimili tantum contenti fuiſſent & promiſit ſe quamlibet veritatem duodecim, argumentis veriſimilibus falſam probaturum, & econtra. quo tentato, mirati ſunt remanſeruntque ſtupefacti, quare petentes num modus quidam vitandorum ſophiſmatum extaret, aſſeruit illis veritatem mathematicè in omnibus rebus iuxta ſua

principia de monstrari posse ; exoratus tunc fuit vt illa publici iuris faceret quod illis concedere coactus , in Hollandiam se se contulit vt ea melius digesta ederet.

Postea in Daniam iter facere voluit vbi Stephanus Bressieus noster, medicus Chimicus peritissimus , & in mechanicis ingeniosissimus (qui eum discendi cupiditate adierat) eum comitatus est sed ab Imperatoris Cohortibus remoratus fuit in comitatu Hemedensi hinc Tirolum , & Venetiam adire moliebatur , hincque Casali obsidioni adesse instituerat post biennium futura tamen erat, quæ ostendunt illum regni arcana non ignorasse.

Sed Amstelodamum iterum petiit , & inde Lutetiam semper cum familiari nostro Bressieo vt regis reditui adesset. Anno 1648. in Holladia fuit & Lutetiæ à Rege optimis euocatus conditionibus.
Dum Lutetiæ esset reditus suos annuos ita direxit vt vbicumque liberet per amici manus eos acciperet. Batauiam ergo petiit vbi opera sua in eremo dilecta egit quorum Elenchum dabimus.

Germaniam, & Pannoniam etiam olim viderat dum veritatem inquireret, vbi Imperatoris coronamento ad fuit.

Cum inter homines veritatem illam,

Democriticam in profundo delitescentem reperire nequiuisset se ad libri mundi sui-metque contemplationem conuertens, anatomiæ, chimiæ &c. incubuit vnde admiranda deprompsit, paucos enim libros voluit quoniam non veraces esse sciebat, exceptis Mathematicis solis, quare cum ab amico, Alcmaëris percunctaretur an haberet Bibliothecam, & oraretur vt illi eam ostenderet, ablatâ tela, ostendit illi vitulum apertum, en meam inquit Bibliothecam, ô præclarum dictum, sic olim Hipocrates Democritum inter animalia aperta studentem inuenit. Non lucri vel honorum au dignitatum mundanorum desiderio pellectus sed virtutis & veritatis indagaudæ amore Philosophabatur, Pari in hoc cum veteribus animo, ideoque more eorum Peregrinationibus aliquot annos dedit, exercitus, vrbes, & aulas Principum inuisendo. Eius occupationes præcipuè erant circa iudicij siue bonæ mentis æquabilitatem, & methodi necessitatem, in otiis Hybernis contemplationibus Philosophicis incumbebat cum militiam sequeretur, & cum speraſſet claue eadem Mathematica & Philosophica aperiri posse, adeo mire naturam cum mathesi coniunxit vt spe suâ potitus sit.

Omnes artes & linguas tamen didicerat, omneſque libros breui tempore euoluerat dum veritatem in illis quæreret, etiam ſuperſtitioſos & falſos percurrit ne quid intactum remaneret.

In Philoſophicis adeo excelluit vt iuxta vota ſua quæ ſemper in animo habuerat Philoſophiam reſtituendi, & ingenium ſuum reformandi,

Philoſophiã planè nouam reſtituerit veraque principia, & ratiocinandi methodos clariſſimas inuenerit, adeo vt opera ſua vndiquaque impreſſa fuerint & à multis præclaris viris publicè profeſſa, & edocta vt nunc Lutetiæ ſit vbi variæ ſunt priuatæ academiæ in quibus de Philoſophia eius tantummodo diſſeritur.

Cum mil dignum apud homines ſcientiæ ſuæ inueniſſet eremum vt Democritus aliique veri Philoſophi elegit ſibi iuxta Egmundum in Hollandia ibique Solitarius in villula per 25. Annos remanſit, admirãdaque multa meditatione ſua detexit.

In Mathematicis vero tantus fuit vt captum ſuperantia fecerit, præcipuè circa conſpicilla & ſpecula, vtque cogitata ſua probaret vel è glacie, vel ex marmore artificiali nigro Polito, ad portæ magnitudinem, & iuxta deſideria & varias figuras

excauato, opere D. Bressiæi viri ingeniosissimi Specula parabat, cumqne optata vidisset, ea rumpenda curabat, & ex eadem materia alia noua conficiebat.

Coramque eodem Bressiæo opticæ secreto arcano militum cohortem transeuntem ostendit per cubiculum suum, quod valde miratus est, hæc autem procedebant à paruis militum figuris quas abscondebat & speculi ope foras auctas educebat. Cælum fluidum credidit vt reuera est, aër enim solus cælum est nec à nostro differt, ideoque in geneſis historia confunditur.

Atomos etiam Democriteos agnouit pro rerum principiis vt optimè comprobauit.

Amicos multos imo innumeros habuit inter quos Cardinalis Barberinus & Berulius. Elizabeth Principissa Bohemiæ, D. Chanut, D. de Clercelier, Mersenus, D. Desargues, D. Holleng, D. de Faber Gubernator Sedanensis Gassendus, Balsacius cui non pœnitendum præstitit officium aduersus Patrem Goulu eius osorem, apud Cardinalem Barbarinum, D. Bressiæus.

Osores tamen & inuidos quosdam habuit quoniam alta Petit liuor, sed optimè scripta eorum refutauit.

Præcipui eius hostes fuere Pater Gibieuf de la Barde Iesuitæ.

Cyriacus Lentulus Profes. Hereborn-nensis qui malè ei obiecit, quod se Deo comparat, cum in Notarum suarum fine dixerit, cum sacris nulla humana comparanda. ait præterea eum de omnibus dubitasse quod falsum est, sed de omnibus quidem vulgarium Philosophorum instar eorum olim dubitauerat antequam Philosophiam reformasset. Eum etiam homuncionem appellat sed eruditus Clauberg.ei optimè reponit, Homuncionem vocas quem naturæ filium cordati vocant quemque Pithagoras vere vocaret Philosophum.

Reuius Vestfrisiæ in Holl. præfectus qui eum magum & atheum vocare ausus est sed sic olim magni omnes viri Magiæ accusati fuerunt quod res captum sciolorum superantes facerent, vt optimè Gabriel Naudæus in Apologia virorum qui de Magia accusati sunt comprobat

Tantæ tamen fuerunt osorum Peripateticorum Professorum facem illam magnam ferre nequeuntium technæ quod lumina. sua parua instar solis obscuraret vt discipulos seditiosè totamque vrbem commouente ad tintinabuli sonitum ab vrbe Vtrecht explodere ausi sint illū quē reges

& Reginæ è longinquo reuocarunt sinu que suo fouerunt.

Morum innocentiâ illum ab omnibus purgauit calumniis ille enim è contra nullus detrectator, nullique grauis fuit. Iniurias enim memoriæ nunquam sed obliuioni commisit, ad Dei admirandam cognitionem per creatorum contemplationem deuenit.

Discipulos eius enumerare non minus difficilè esset quam eiusdem admiratores, astra vel arenam numerare.

Scripserunt etiam nonnulla in eum Doctissimus Gassendus & Roberual eius successor dignissimus, sed hæc potius veritatis inquirendæ gratia quam odio, Marino Mersenno curiosissimo promouente & ciente vt tantos viros ad rara innumera dicenda vt propriæ curiositati satisfaceret obstringere posset.

Tandem vir ille doctrina Clarus, famáque conspicuus à Christina olim suecorum Regina, ab eremo vocatus fuit & ab illa valde dilectus adeò vt illum semper ferè differentem audire vellet, quæ non parum eius sanitati nocuerunt, capite enim aperto semper remanens & per totam ferè noctem cà recumbentem de optatis ab illa sermonem faciens, raro ideò dormiens, in mor-

bum incidit, quem tamen morbum solitum quo facilè liberabatur esse existimans, neglexit, at cum breui percepisset alium esse, inflammationemque pulmonis agnoscens, sibi venam tundendam curauit sed sine fructu & die septima morbi ad superos anima eius corpore relicto discessit, quod comprobat vulgata hæc carmina vera esse.

Sero medicina paratur
Cum mala per longas inualuere moras.

Doluere musæ, totaque literaria respublica, doluit valdè erudita regina eique inter regios suos parentes tumulum præscripserat, sed Dominus Chanut legatus pro Regis Galliæ gallorumque honore sumptus sepulturę faciens, illi superbum construxit tumulum quatuor faciebus conspicuum Stocholmi, neque inter variæ religionis iaceret viros, illum puerorum cæmetorio collocauit cum inscriptionibus sequentibus.

Anterior facies.

D. O. M.

Regnante Christina
Gustaui primi pronepote

Magni filia
Auorum incæpta, patrioſque terminos
Victoriis Nouis promouente
Pacem Demum armis quæſitam
Artibus ornante
Accitis vndique terrarum
Sapientiæ magiſtris
Ipſa in exemplum futurâ
Renatus Deſcartes
Ex eremo Philoſophica
In lucem & ornamentum aulæ vocatus
poſt quartum menſem morbo interiit &
ſub hoc lapide
Mortalitatem reliquit.
Anno Chriſti. CIↃIↃCL. Vitæ ſuæ. LIV.

Secunda, ſeu poſterior facies, talis eſt.

Chriſtianiſſimi Regis Ludouici. XIV.
Ludouici Iuſti Filij
Henrici magni nepotis
Anna Auſtriacâ
Optimâ, prudentiſſ. fortiſſ. Reginæ
Annos & Regnum Filij Regente,
Legatus ordinarius Petrus Chanut
Hoc monumentum

Ad gloriam Dei bonorum omnium datoris
Gallici nominis honorem
Perpetuam amici Chariſſ. memoriam
Renati Deſcartes
Poni Curauit.
Anno 7. ab exceſſu Ludouici Iuſti.

Tertia facies.

RENATVS DESCARTES perronij Dominus &c.

Ex antiqua & Nobili Inter pictones & armoricos gente.

In Gallia natus.

Acceptâ quantacumque quæ in ſcholis tradebatur eruditione expectatione ſua, votiſque minore.

Ad militiam per Germaniam & Pannoniam adoleſcens profectus.

Et in otiis Hybernis naturæ miſteria componens cum legibus matheſeos.

Vtriuſque arcana eadem claue reſera-

ri posse ausus est sperare.

Et omissis fortuitorum studiis, in villula solitarius, prope Egmundum in Hollandia.

Assidua XXV. annorum meditatione, auso potitus est.

Hinc orbe toto Celeberrimus.

A Rege suo conditionibus honorificis euocatus

Redierat ad Contemplationis delitias,

Vnde auulsus, admiratione virtutum, maximæ Reginę,

Quę quidquid vbique Excelluit suum fecit,

Gratissimus aduenit, Serio est auditus, & defletus obiit.

Quarta facies.

NOVERINT POSTERI Qualis vixerit Renatus Descartes.

Vt cuius doctrinam olim suscipient, mores imitentur post instauratam à fundamentis Philosophiam,

Apertam ad penetralia naturę mortalibus viam,
Nouam, certam, solidam,
Hoc vnum reliquit incertum,
Maior in eo modestia esset, an scientia,
Quæ vera sciuit, verecunde affirmauit,
Falsa, non Contentionibus, sed vero admoto refutauit, nullius antiquorum obtrectator, nemini viuentium grauis
Inuidorum criminationes purgauit innocentia morum,
Iniuriam negligens, amicitię tenax quod summum tandem est.
Ita per creaturarum gradus ad creatorem est conatus.
Vt opportunus Christo, gratię authori in auita Religione quiesceret
I, nunc, viator & cogita
Quantus fuerit, Christinęque qualis aula
Cui mores isti placuerunt.

Monumentum quadratum sed oblongum est, Octo pedes cum semisse altum, quatuor latum, septem cum semisse longum, eius altitudo seu moles, trifariam diuisa est, Basis latiorpaulò, tres pedes habet, tabulę inscriptionum, 4. &

Coronamentum ex vnico lapide totum tegens monumentum pedem vnum cum semisse.

Multi in eius obitum Epitaphia fecerunt quę hic non recensenda esse duximus.

Multa reliquit opera tam edita quam non edita quę vltima D. Chanut legatus ordinarius Suecię conseruat & D. De Clercelier qui breui eius Epistolas editurus est selectas.

Elenchus Manuscriptorum Cartesij Stocholmi repertorum post Eius obitum anno 1650.

A. Decem codices Responsionum ad quęsita eruditorum circa Mathematicas disciplinas.

B. De numeris irrationalibus, de quantitate linearum quæ in dato Circulo inscriptæ sunt quantitatem circumferentiæ cui datæ lineæ subtenduntur, cognoscere, aliaque proposita ac demonstrationes.

Problema ad numerum reperiendum

cuius

cuius partes aliquotæ ſubduplices ſint.
Propoſitio de parabolis compoſitis & de partibus aliquotis numerorum.
Cogitationes variæ, de animo.
Quæſtiones quædam de numeris.
Conſiderationes quædam Phiſicæ incipientes.
Quare pueri labuntur in ſomnum dum cunæ concutiuntur.
Promiſcuæ animaduerſiones de cælis.
Phiſicæ quæſtiones & conſideratio Phiſica.
Thaumantis Regia.
Epiſtola ad Merſenum.
Liber anni 1619. Kal. Ian. ſub titulo parnaſſi de conſiderationibus Mathematicis.

C. Olympica & ad marginem, XI. Nouembris, cæpi intelligere fundamentum inuenti mirabilis.
Quędam in ſcientias conſiderationes.
Quædam de Algebra.
Democritica.
Experimenta.
Prędambula.

D. Introductio ad algebram ſuam. 155. paginis.

E. Scriptum ſic incipiens. Vitellio ſic numerat.

Aliud, metallorum pondera.

Primæ cogitationes circa generationes animalium 19. folia contentæ.

De Maguete Kircheri.

De formatione animalium. Quinque folia.

Hiſtoriæ metallorum.

Remedia, & vires Medicamentorum.

Obſeruationum de natura plantarum, & animalium. Paginæ. 16.

De partibus in inferiore ventre contentis.

F. Codices nouem de regulis vtilibus & claris ad ingenij directionem in veritatis inquiſitione.

G. Deſcriptio corporis humani.

De natura hominis & animalium. Eſt imperfectum opus.

H. Progymnaſmata de partibus aliquotis numerorum.

I. Epiſtolæ.

K. Secunda pars tractatus de paſſionibus.

L. Querela Apologetica ad ampliſſimum Senatum Vltraiectinum contra Voëtium & Dematium.

M. Progymnaſmata de ſolidorum Elementis.

N. De natura paſſionum animæ.

O. Codices nouem ſub forma Epiſtolæ ad Dominos.....

P. Collectanea de calculo ad Geometriam vtilia codicibus 12. contenta.

Q. 13. Folia dialogi ſub hoc titulo. Veritatis inquiſitio lumine naturali.

R. De Muſica 8. folia. anno 1618. conſcripta.

S. Sex Paginæ ſub hoc titulo. Explicatio machinarum, quarum ope, paruis cum viribus magna tolli poſſunt onera.

T. 262. Folia in 4. Epiſtolarum ad varios.

V. 14. Folia in 4. & 2. in 8. Epiſtol. ad ſereniſſimam Principiſſam Elizabeth Bohemiæ.

X. 69. Fol. de Doctrina Principiorum ſuorum, ſed in quibuſdam varia ab Edito libro.

Y. Tractatus de Geometria.

Z. 25. Folia ſeparata de reſponſionibus ad obiectiones quaſdam &c.

Hæc ſunt Manuſcripta opera, in in lucem vero edita ſunt, quæ ſequuntur.

Methode de bien conduire ſa rai-

son, pour trouuer la verité dans les sciences, 1637. 4. Plus la Dioptrique les Meteores, & la Geometrie qui sont essais de ceste methode. à Leyden chez Iean le Maire.

Renati Descartes meditationes de Primæ Philosophiæ in qua Dei existentia & animæ immortalitas demonstratur, Paris: apud Mich. Soly via Iacobæa, sub Signo Phænicis 1641. 8. Sex continet Meditationes, & respondet obiect. vt & Petro Gassendo. Dicat Opus Theol. Paris.

Renati Descartes meditationes de prima Philosophia in quibus Dei existentia,& animæ humanæ à corpore distinctio demonstrantur. His adiectæ sunt variæ obiectiones Doctorum virorum in istas de Deo & anima Demonstrationes, cum responsionibus authoris. Secunda Editio, septem obiectionibus ante hac non visis aucta. Amstelod. Apud. Lud. Elzeuirium. 1642. in 24.

Cum Epistola Patris Dinet Societ. Iesu in qua multis Respondet Obiect. cuiusdam.

Renati Descartes Principia Philosophiæ. 4. Amstelod. Apud Lud. Elzeuirium 1644.

Elizabethæ frederici Bohemiæ Regis Comitis Palatini & electoris Sacri Romani imperij Filiæ natu maximę dicata. Quatuor autem partes continent, post quas sunt.

Specimina Philosophię seu dissertatio de methodo rectè regendę rationis, & veritatis in scientiis inuestigandę. Dioptrice & meteora. Ex Gallico translata, & perlecta ac emendata ab authore. ibidem.

Les Passions de l'Ame, par René Descartes. A Amsterdam par Louys Elzeuir. 1650. 8.

3. Partes sunt in hoc libro & editus fuit à D. Degmont, qui ponit Epistolas q uas illi scripsit circa hanc materiam.

Claubergius citat eius medit. Obiect. Responsiones & Epist. ad Dinetum, Vœtium Ex Editione tertia Elzeuiriana. 1650.

Geometria à Renato Descartes. 1637. Gallicè Edita nunc cum notis Florimondi de Beaune in Curia Blesensi Consiliarij Regij in ling. lat. versa & comment. illustrata,

opera atque ſtudio Franciſci à Schoten Leydenſis in Acad. Lugduno Batava Matheſeos profeſſoris, Lugd. Bat. ex officina ioh. Maire 1649.4.

Hanc Gallicè Geometriam vna cum Philoſophię ſuæ ſpeciminibus ſine nomine in publicum Deſcartes dederat, ſed cum à multis Gallici idiomatis ignaris expeteretur, ea dédit Schoten.

Renati Deſcartes Muſicæ compendium, Traiecti ad Rhenum Tipis Gisberti à Züll, & Theodori ab Ackerſdiik. 1650. in quarto.

Les Meditations Metaphiſiques de René Deſcartes, touchant la premiere Philoſophie dans leſquelles l'exiſtence de Dieu, & la diſtinction reelle entre l'ame & le corps de l'homme ſont demonſtrées, traduites du Latin de l'Autheur par Mr. le D. D. L. N. S. Et les obiections faites contre ces Meditations par diuerſes Perſõnes tres Doctes, auec les reſponces

de l'Autheur traduites par M. C. L. R à Paris chez la Vefue Iean Camuſat & Pierre le Petit 1647. in 4. auec la reſponce au recueil de ſes principales Inſtances. Ceſte traduction eſt faite par vn Grand Seigneur.

Libri circa eius Philoſophiam compoſiti in vtramque partem.

Lentuli, noua Renati Deſcartes ſapientia, faciliori quam antehac methodo detecta.

De Philoſophia Carteſiana amplectenda, ambigendi impellentes cauſas initio ſuæ Nouę Sapientiæ 8. refert quas refutat Clauberg.

Iac. Reuius Theol. Doctor. & Coll. ill. ordd. Holland. & Veſtfriſię prefectus de method. Cartheſianæ conſideratione Theologica.

Eiuſdem abſterſio Calumniarum.

Eiuſdem ſtatera Philoſophiæ Cartheſianæ.

Ioh. Claubergij in publico Teutoburgenſi ad Rhenum Atheneo profeſſioris de-

fessoris defensio Cartesianæ aduersus Reuium Theol. Leidensem & Cyriacum Lentulum professorem Herbornensem. Pars prior exoterica in qua Renati Cartesij Dissertatio de methodo vindicatur, simul Illustria Cartheſiana Logica & Philosophica specimina exhibentur Amstelod. Apud. Lud. Elzeuir. 1652. 12

Disputatio de finito & infinito in qua defenditur Clariss. Cartesius de motu, spatio & corpore Amstelod. Apud Lud. Elzeuirium. 1641. 16.

La Philosophie diuisée en toutes ses parties, Establie sur des principes euidens & expliquée en Tables & discours ou particuliers, ou tirés des Anciens & des nouueaux Autheurs, & principalement des Peripateticiens & de Descartes, Par Iaques de Roure, à Paris chez Thomas Iolly. 1654. in 12.

Abſterſio macularum Renati Deſcartes. Notæ & ſermo extemporaneus, tres libri ſunt pro Carteſio apud Hollandos olim editi. vbi multa de eo reperiuntur curioſæ.

Petri Gaſſendi diſquiſitio Metaphiſica, ſeu dubitationes, & inſtantiæ aduerſus Renati Carteſij metaphiſicam, & reſponſa Amſtelod. apud. Ioh. Blaëu 1644. 4. D. Sorberio dicata.

Conſiderations ſur le traité de Monſieur Deſcartes, des Paſſions de l'Ame, par N. Papin Docteur en Medecine, à Paris chez Simeon Piget ruë Saint Iaques à la Syrene, 1652. 8. vbi Carteſium laudat.

Breuis replicatio repoſita breui explicationi mentis humanæ ſeu animæ rationis D. Henrici Regij Med. ac Phil. Vltraiectini, notis Carteſij in programma eiuſdem argumenti firmandis, veritatique magis illuſtrandæ à Tobia Andreæ A. L. M. Hiſt. & Ling. Græc. profeſſ. ord. in alma Groningæ Onlandiœque Academia Amſtelod. Typis Lud. Elzeuiri 1653.

Henrici Regij Vltraiectini Philosophiæ naturalis editio secunda priore multo locupletior, & emendatior Amstelod. apud Lud. Elzeuirium 1654.

Danielis Lipstorpij Lubecensis specimina Philosophiæ Cartesianæ, quibus accedit, eiusdem authoris Copernicus Rediuiuus. Lugd. Bat. apud ioh. Et Dan. Elzeuir. 1653.

Io. de Raei Clauis Philosophiæ naturalis seu introductio ad naturæ contemplationem Aristotelico Cartesiana, Lugd. Bat. 10. & Daniel. Elzeuir. 1654. 4.

La Phisique expliquée suiuant le sentiment des anciens, & des nouueaux Philosophes, & principalement de Descartes. Par Iacq. du Roure. 2. Edition, à Paris chez Thomas Ioly. 1654. Ex traduct. D. Picot. Iam breui D. de Clercelier eius Epistolas in publicum missurus est, eius etiam obiectiones in aliam linguam mutauit. Epistolas etiam eius multas cum responsis habet D. Hollenc Batauus.

Franciſci Schoten Matheseos professor Lugd. Bat. vocat eum in Epistola ad le-

ctorem. Nobiliſſimum atque incomparabilem virum.

Iurè merito circa eius imaginem hæc carmina appoſita viſuntur.

Talis erat vultu naturæ Filius vnus
Qui mente in Matris viſcera pandit iter
Aſsignanſque ſuis quæuis miraculo cauſis
Miraculum in reliquum ſolus in orbe fuit

Methodum admirandam & ſibi ſpecialem habuit qua vtebatur, quaque omnes Propoſitiones trutinabat primo an eſſent poſſibiles, eademque methodo deinde ſolutionem earum edocebat quæ methodus in ſua Geometria eſſe creditur.

Elogia eius referre, cum impoſſibile foret ob numerum infinitum, Non tentabo, ſufficiet mihi ſi dixero ferè apud omnes Authores qui ab illo ſcripſerunt laudibus debitis euehi, inter quos Io. Clauberg, eius modeſtiam in ſermone aliaque eius dona extollit.

Henricus Morus, Anglus doctiſſ. in iudicio de eius diſſertatione ſic de eo loquitur.

In methodo tua luſorio quodam ſed eleganti modeſtiæ genere talem te exhibes virum vt nihil indole genioque tuo ſuauius & amabilius, nihil excelſius & generoſius fingi poſſit vel expeti.

Gassendus ipse sic ei scribere coactus est.

Eximio viro Renato Cartesio. Vir eximie beauit me Mersenus noster, cum tuarum illarum sublimium de Prima Philosophia meditationum participem fecit. Quippe argumenti præstantia, ingenij perspicacia, nitorque dictionis mirificè placuit, quare & lubens gratulor, quod animo adeo excelso. ac fælici aggrederis scientiarum fineis prouehere & res omnibus retro sæculis abstrusissimas enucleare.

Sic Theologus quidam aduersus eius meditat. obiectiones faciens, ait.

Est sane D. Cartesius quantum animaduerto vir ingenij maximi, summæque modestiæ quales vel ipse Mæuius amet, si adsit.

Nunc quædam fragmenta ex eius Epistolis, Gallicis quæ passim circumferuntur huc inserenda esse existimo ne tanti viri & magna exempla daturi opiniones circa varia naturæ arcana curiosa obliuioso committantur silentio, Ea verò latino idiomate dare placuit.

Ex Epistola Gallica ad Patrem marinum Mersenum.

Ratio quâ exsubtilissimis sanguinis partibus portiones quasdam ad stomachum & ad intestina idque per arterias ad ciborum dissolutionem iuuandam defferri opinor est primo, quoniam obseruaui speuum quod ad os magna defertur copiâ dum comedimus vel cum solummodo comedendi desiderium habemus, imaginatiuaque pollemus facultate, non tantum ex amigdalis seu Glandulis faucium prouenit (vel forsan ad guttur tantum peruenit, nisi ad os vasculorum linguæ operâ transferatur) sed ab arterijs quæ ad gingiuas descendunt, experimentum enim clarissimum feci adeo vt dubitare non potuerim quin idem fieret ab arteriis quæ ad intestina & ventriculum feruntur, cum videamus purgantia medicamenta à toto corpore maximam euocare humorum copiam ad intestina, nullãque viam præter arterias esse sciamus (quod sciam) ad illos humores, venæ enim mille valuulis impediuntur, vt tentari potestsi in Canis viuentis mesenterio ambæ ligentur, arteriæ enim detumescent inter intestina,

& ligaturam & non vlterius, & venæ lacteæ, aliæque contrarium facient. Partes iſtæ autem Sanguineæ quæ ſtomachum ingrediuntur colorem rubrum eius retinere non debent, non ſecus ac ſaliuæ (quæ etiam in ore ciborum iuuat diſſolutionem dum dentibus conteruntur) neque lachrymarum aut ſudoris, quæ à ſanguine eodem pacto ſeparantur, arteriarum extremitates pertranſeuntes, hæc enim rubedo à viſcidioribus eius partibus pendet. Quas irregulariſſimis donatas figuris eſſe autumarim, eſſeque inſtar ſurculorum ſeſe mutuò complectentium & interſecantium, ſicque per adeò anguſta foramina tranſire nequeunt, ſed tantummodo ſubtiliſſimæ quas inſtar acuuum mihi effringo quæ anguſtiora peruadunt foraminula, & experientia ſatis ſuperque earum ſegregationis facilitatem oſtendit in ſanguine extrauaſato, in patellis enim videmus eius ſerum ſeparari ſponte ſua clarumque fieri cum reſiduum quod rubrum aut nigrum eſt congelatur. Quod ad cauſam Chylum in venas intrudentem attinet, aliam non agnoſco præter illam quæ inteſtina extra aluum emittunt dum enſis ictu transfigitur, id eſt compreſſionem cuticularum vel aliarum particularum quibus continentur, & præterea fluidiores il-

lius Chyli partes absque hac compressione proprio earum pondere penetrare valent. instar aquæ quæ à lacte coagulato per foramina vasculi in quo imponitur, vt & earum agitatione naturali, quamlibet enim liquorum partem in perpetuo motu esse concipio, & tandem musculorum actio multum illud iuuat, in eo quod facit, vt Chyli partes è regione foraminum quâ iis ingressus dari potest ad venas tam lacteas quam alias veniunt non enim inter has & reliquas differentiam aliam pono, nisi quod succus earum albus est quoniam nullis arteriis comitantur, ruber vero in aliis est quoniam cum sanguine ab arteriis manante commiscetur. Inter musculos autem omnes pectorales & abdominis & diaphragma non solum numero, sed etiam totum ferè intestinorum & ventriculi corpus, & in viuorum canum apertione obseruaui eorum intestina motum regularem & respirationis ferè similem habere. Cæterum motus ille musculorum non planè necessarius est, adeoque vt necessarium est cribrum mouere vt ab eo puluis excutiatur, quoniam Chyli partes iam sponte sua mouentur quod puluueris partes non faciunt. At cribri huius similitudo mihi valdè arridet aptaque videtur ad varias sanguinis separationes explanan-

das quę in Cystide Fellea, in Renibus, aliisque locis fit, à quibus tamen lienem excipio quoniam humorem melancholicum ad eam separationis ope peruenire non autumo, sed potius sanguinem hanc in eo qualitatem adipisci censeo. Fiunt enim cribra quę puluerem solummodo granaque rotunda excutiunt, alia per quæ auena transmittitur & non secale, alia econtra quę secali & non auenę transitum permittunt, idque iuxta magnitudinem, & figuram foraminum eorum, quorum exemplo existimo paruos aditus per quos bilis ad cystidem suam fertur, aliam ab illis per quos serum, ad renes transmittitur obtinere figuram, &c. & quod ad pus attinet cum in vrinis animaduertitur, vt plurimum à renibus manat vel à partibus eis subiectis, sique aliquando à partibus eis superioribus oriatur, ex hoc ipso percipi potest illud ex partibus magis penetratiuis quam eæ quibus sanguis colore rubro inficitur cum locum penetrent cuius aliæ, adytus permeare nequeunt, quam enim facultatem excogitare possemus quæ sanguinem impedire valeret quin per foramina satis magna ad eum excipiendum effluueret.

Egregium illud fragmentum multa rara continet circa opiniones nouas anatomicas, quæ

quæ forsan non inutilia erunt, quare probe & æquâ lance ponderentur.

Ex alia Epistola ad eundem anni 1632.

Non adeo ferox sum quin cupiam vt si de me quidem cogitent, in bonam partem illud faciant, sed mallem vt nullo planè pacto de me sermonem facerent, famam magis timeo quam excupio, eam semper aliquo pacto otium libertatemque eorum qui eam sibi comparant minuere censens. Quæ duo adeò perfectè possideo, eaque tanti facio vt nullus in orbe satis diues existat Monarcha vt ea à me coëmere valeat, hæc tamen non me impedient quin tractatulum inceptum perficiam, sed id silentio obruas optarim vt semper libertate eum repudiandi fruar. eique lentissimè incumbo qnia multò magis in meipso erudiendo quam in qualiacumque mea cognita propalãdo delector. Nũc Chimiæ & Anatomię vnà operam nauo & quotidiè aliquid addisco quod in libris reperire nunquam potui.

In hac Epistola Ferrerij eximij artificis

mentionem facit aitque se eum edocuisse multa circa conspicillorum confectionem audiuique à D. bresiæo; eius ductu feciſſe conſpicillum hyperbolicum optimum quo etiam plantularum folia magna è tribus leucis cernerentur. Loquitur etiam de Merseni erisipelate pro quo remedium habere exoptat. eique problemata mathematica mittit, & D. Fermat, ac de Beſsy ſermonem facit, vt & D. de Beaune qui magni eſt apud eum ponderis.

Ex alia Epiſtola ad eundem.

Miror te aquam congelare cum aqua & glacie non potuiſſe, cum experimentum adeo facile ſit, vt impoſſibile ferè ſit ab eo aberrare, idque pluſquam centies feci, verum eſt quod ſatis magna glaciei tritæ vel niuis quantitas neceſſaria eſt ſed nix glacie præſtat quoniam melius ſali immiſcetur cuius etiam quantitas ſatis magna eſſe debet id eſt circiter ad tertiam vel quartã niuis partem, vaſque in quo eſt aqua dulcis in hac mixtione ſepeliendum eſt & donec omnino ferè fuſa ſit illic relinquendum, eodem enim tempore quo nix funditur, congela-

tur aqua. æstatis tempore id in cella vinaria fieri debet.

Item. Quod lucem impedit quominus ad maris fundum vel trans vitrum valdè crassum penetret non est aqua, aut vitrum tanquam diaphana, sed impuritates iis permixtæ quæ pellucidæ non sunt.

Item. Aqua maris minus salita est ad ostia, ad littora, & circa polos.

Ex alia Epistola ad eundem Mersenum.

Petis à me Cur arcus, vel machina elateria vim amittit si diu tensa remaneat, eius ratio per principia mea facilis est, pori enim quos antea Ellypticos esse dixi rotundi fiunt ob paruas subtilis materiæ portiunculas quæ indesinenter intus influit. materia hæc subtilis impedit nos ne lapidem in altum proiiciamus vel prosiliamus, sine illa enim quæ inferius grauia repellit corpora cum lapis in altum proiicitur, ascenderet vsque ad cælum, & cum paululum saliendo euchimur semper absque descensu vllo subsequente ascenderemus.

Et infra.

Quod facit vt attollamur saliendo est tantum virium reflexio qua terram pede pulsamus antequam prosiliamus, qua vi cessante cadamus iterum necesse est neque in aëre contineri possibile est nisi pedibus vel brachiis pulsari tanta cum celeritate posset vt cedere adeò subitò non valeret, quod vtile esset vt denuò attolleremur sicque aues volatum suum instituunt.

Et infra.

Cæterum, non adeo libris destitutus sum ac existimas, habeoque adhuc diui Thomæ summam, Bibliamque quam ex Gallia attuli.

Rogat etiam illum ne locum vbi degit reuelet, paruum enim exoptat commercium.

Item ait alibi. Gaudeo Dominum Morier benè sperare de suo conspicillorum opificio, ego tamen in Domino de Beaune tantummodo spero, aut si non ei succedat ipse rem tentare potero.

Item. Si subtilis materia qua terra circumgyratur non verteretur, nullum corpus ponderosum esset, sique circa lunam verteretur, ad lunam omnes vergere deberent &c. Hæc materia subtilis quæ in nostris, corporibus est ne equidem moment;

ſpatio in eo commoratur, ſed ab illo exit, nouaque perpetuo illud ingreditur verum eſt eam ſolam non immediate vim motibus noſtris tribuere, ſed ſpiritus noſtri animales in neruis contenti & tanquam in ductibus hac ſubtili materia agitatis.

Item. Non ſtupeo inuentos fuiſſe globos tormentorum bellicorum in lapidibus ſed quod non in lapides conuerſi fuerint ſtupeo.

Multa illum poſtea edocet ad plenum & deinde hæc dicit.

Si verum ſit magnetem nunc minus ab Anglia quam antehac vt ad me ſcribis declinare, hoc equidem notatu digniſſimum eſt, vt & ſi hæc mutatio ſenſim vel aliter facta fuerit. Hæc epiſtola erat anni 1639. in fine.

Ex Epiſtola alia ad eundem Data Amſtelod. 1641. menſe martio, Lugd. Bat.

Gaudeo Dominum Picot meam guſtaſſe methaphiſicam ſcis enim maius eſſe in cælo gaudium pro vnico peccatore qui conuertitur quam pro mille iuſtis qui perſeuerant.

Ex alia 19. Ianu. 1642. tentaui hisce diebus præteritis modũ ponderandi aërem qui mihi succeſſit, cum .n. vaſculum vitreum leuiſſimũ & huius figuræ. Pilæ luſoriæ magnitudinis, paruumq; habens in extremitate foramen inſtar capilli habuiſſem, hoc frigidum 78. Granorũ cum dimidio pondus attigit, deinde calefactũ vix 78. attingebat, roſtrũ deinde B. aquæ immergẽs illic donec frigeſceret reliqui, & aër condenſatus dum refrigeſcebat, totidem aquæ ingreſſa eſt quod ab illo aëris antea calor expulerat, totum ponderis 72. Gran. cum dimidio erat. pluſquam antea, vnde concludi aërem ab eo expulſum ab igne proportionem cum aqua in eius locum ingreſſa habet tanquam dimidium gr. ad 72. cum dimidio vel tanquam vnum ad 145. licetque in hoc errasſem, aëris tamen pondus ſenſibile eſt.

Ex alia Epiſt. ad eundem patrem Merſenum ab Endegeſt. 20. Octobr. 1642.

Varij ſunt modi caminorum fumum

importunum impediendi, iuxta varias fumi causas, causaque frequentior est quod vt plurimum satis aeris ab extrinseco non recipiunt Cubicula vt fumi exituri spacium occupet, obseruandum enim est quod ignis vim magnam aeris quantitatem cum paruis ligni partibus expellit, quæ huic aeri immixtæ fumum componunt, vt crassiores ligni partes cinerem conficiunt, cumque vacuum non extet in rerum natura, necesse est vt semper nouus aer ingrediatur cubiculum æquaque quantitate ac fumus qui foris. extenditur, vt in Alchimistarum fornacibus videre est ad quorum imas partes foramen est magnam venti molem recipiens quo ignis accenditur, ventus autem ille nil aliud est quam aer pulsus à loco quẽ fumus ab igne manans petit. ita vt cum cubiculum probè obturatum est necesse est vt fumus in ea volitet, id est, vt fumus ab igne prodiens cubiculum ingrediatur, quoniam solus cubiculi aer versus ignem fieri potest, ad quid remedium solitum est, aperire ianuam uel fenestram, sed quoniam hæc aliquo sunt incommodo, vitari possunt, foramina retro caminum faciendo quæ versus ignem tantum feruntur, vel si similia foramina retro fulcra lignaria fiant.

Ex alia Epistola ad eundem, data Amstelod. 1643. mense maio.

Gratias ago tibi pro arcano patris Grandamici ad acum conflandum declinatione carentem, credo equidem minus reliquis declinare, sed non omninò.

Item. Experimentum ponderis quod à meridie ad septentrionem vergit valdè notatu dignum est & valdè meis speculationibus circa æstum maris congruit, sed scire optarim quot pedes longum filum cui pondus alligatum erat fuerit, vt scirem an huc periculum eius facere possem, nam longissimum fuisse existimo, vellem etiam scire tempus quo ad meridiem vel septentrionem vergit, si bonæ sint coniecturæ meæ illud cum luna nostrum accedit meridianum vel ab eo remouetur contingere debet.

Ex alia Epistola Endegest. 7. Decemb. 1642.

Voetij liber aduersus me sub titulo Phi-

losophiæ Carteſianæ typis mandatur magno eius libro breue reſponſum ponam ſimulque in lucem prodibunt.

Non ægrè fero quodmihi nuncia dederis de eo pro quo mihi ſcripſiſti, vir eſt curioſiſſimus qui innumera callet parua Chimica ſecreta quæ inter eiuſdem farinæ viros circumferuntur, Dum mecum eſſet, ſi eodem pacto perſeuerarit multa nunc vt veriſimile eſt callere debet, ſed Notum eſt tibi quod hæc omnia ſecreta flocci facio, quod in eo magni facio eſt quod manibus ad præſcripta circa hæc exequenda, bonaque in dole præditus eſt. Offert ſe mihi; ſed nollem vt veniret nunc quoniam nullis experimentis quin Philoſophia mea typis mandata ſit incumbre volo, ſed poſt hæc ſi plena libertate fruatur, neque meliori potiatur fortuna non ægrè ferrem illum aliquandiu mecum habere, quod tamen obſecro ne illi dicas, innumera enimante hoc tempus contingere poſſunt quibus impediretur & nollem vt in calculo ſuo falleretur vt ſolent chimiſtæ ferè omnes, at ſi qualis ſit eius fortuna non ignores quidue agat, non renuam ea per te addiſcere.

Credo hunc de quo ſermonem facit eſſe D. Breſsizum Gratianopolitanũ, Medicum Chimicum qui eius Philoſophiæ amaſius eum ac-

ceſsit & diu cum eo ad experimenta faciendo remanſit, ingenioſiſsimus enim eſt & optimus artifex.

Ex alia Epiſtola.

Non mediocri perfuſus fui gaudio cum docuiſti me æream laminam non maioris dum Caleſcit quam frigefacta ponderis eſſe, id enim præcipuum punctum eſt pro experimento tuo circa Æolipilam, & de quo nullo pacto dubitandum eſt, hoc enim poſito non dubium eſt quin illud quod eius pondus 4. aut 5. granorum pondere auget cum caleſcit eſt ſola aeris interni rarefactio, ſicque methodus aerem ponderandi inuenta eſt.

Item. Duo corpora ſi in altum projiciantur aer magis leuiori reſiſtit, ſicq; non adeò inſtar alterius in ſublime feretur.

Item. Quod efficit vt follis aere dum aperitur repleatur eſt quoniam eum aperiendo, extruditur aer à loco quem pars follis inferior recipit, quæ attollitur, cumque aer ille nullum ſibi locum reperiat in toto orbe niſi intra follem ſe recipiat

Addendum cenſuimus circa patriam Carteſij quod quidam exiſtimant non in ipſo Caſtro Eraldi natum fuiſſe ſed Hagæ Turonum iuxta Caſtrum illud.

MARCI ZVRII BOXHORNII
Historiographi, Acad. Lugd. Bat.
in Carteſij obitum.

RENATO DESCARTES
NOBILI GALLO,
PERRONII DOMINO.

CVi quantum ſit quod neſcimus non ignoranti, & maximam partem eorum quæ ſcimus, minimam eorum eſſe quę ignoramus, & neſcire pleroſque ea, quæ tamen iactant ſe ſcire ac præſumunt, adeoque doceri fere ac tradi quæ dediſcere ſit neceſſe, de receptis hactenus Philoſophorum ſententiis dubitare, bonum factum viſum eſt, vt dubitando ſibi ad ſapientiam, aliiſque regiam viam faceret; qui ęquęuam naturæ rerum Philoſophiam, & ſic veram ac antiquam reddidit, eandemque poſt fœdiſſimam tot

sæculorum seruitutem in libertatem tandem asseruit, & quasi manumisit, cui vniuersam rerum naturam animo ac ausu & sine vllo duce, circumeunti intimosque eius recessus seriò ac diligenter inspicienti, neque antiqua placuerunt, quia antiqua, neque displicuerunt noua, quia noua, cum quę nunc antiqua sunt, aliquando fuisse noua, & quę nunc noua sunt aliquando futura antiqua, non ignoraret, sed quia falsa aut vera deprehendebantur, noua condita est ac vera Philosophandi ratio, & idcirco duratura ac antiqua aliquando futura; hoc monumentum posuit & cum eo quod marmoreum & illustrissimus Christianissimi Regis ad Christinam celsissimam eruditissimamque Suecorum Reginam legatus Petrus Chanutus, ponendum curauit, L. M. Q.

coniunxit. Marcus Zuerius Boxhornius..

Eiusdem Authoris Epitaphium.

Qui sibi demeruit totum Cartesius orbẽ,
Extremum fati transigit ille diem.
Auia cui veterum visa est sapientia, veram,
prætulit antiquæ, præposuitque nouã.
Sunt imitatores seruum pecus, hunc venerare;
Naturam agnoscis hoc præeunte ducem.

Carmina in Cartesij Effigiem à D. Frãciſco Schotenio expreſſam, à Clariſſ. Chriſtiano Hugenio appenſa.

Primus inacceſſum qui per tot sæcula verum.

Eruit è tetris longæ caliginis vmbris,
Myſta ſagax, natura tuus, ſic cernitur orbi
Carteſius. Voluit ſacros in imagine vultus
Iungere victuræ artificis pia dextera famę,
Omnia vt aſpicerent, quem ſæcula nulla tacebunt.

Sic vixit & fato functus eſt Magnus Carteſius poſtquam 4. menſes in ſuecia commoratus eſſet, vbi per breue illud ſpatium Reginæ ſibi tantam conciliauerat amicitiam vt lachrymis ſuis mortem eius decorare dignata ſit authore Daniele Lipſtorpio Lubecenſi Phil. prof. qui de eo mira nobis reliquit elogia probatque eum inter eos qui cæteros antecelluerunt mortales primatum obtinuiſſe ſubque hoc Renato, renatam eſſe Philoſophiam, multaque de eius vita narrat vtpote patrem eius nobilem fuiſſe pictonem & Limoni priuatim diu vixiſſe, tandem vero Præſidem fuiſſe in Redonum ſuprema curia qui fato functus eſt dum Carteſius in Belgio eſſet. Ait præterea Muſicæ compendium anno ætatis vigeſimo

feciſſe, Vietam & Becmannum Dordracenſis Collegij moderatorem ac Philoſophum & Mathematicum celeberrimum inter amicos & admiratores habuiſſe poſtquam ſtatim, methodo ſua, propoſitione quę vbiq; terrarum pro impoſſibilibus habitę fuerant ſoluiſſet. Sed antequam ad eremum ſuam ſe reciperet viderat militias Galliæ belgij, Danie, Germaniæ & Italiæ. Vlmę Ioh. Faulhabertum celebrem mathematicum ſalutauit eique cum difficilia multa enodaſſet in mathematicis, vt & Petro Roten Norimbergenſi Mathematico amorem omnium Doctorum illic ſibi breui comparauit.

Ad Plagas Borealiores ergo Germaniæ ſe contulit, viditque Pomeraniam Marchionatum Brandeburg. Megapolim, Holſatiam Daniam, & inde Batauiam, poſtea per Belgium & Germaniam, Italiam petiit & hinc rurſus Galliam & Lutetiæ per triennium remanſit. ibi nouit, D. Claudium Mydorgium Senatorem Pariſ. & Quæſtorem Franciæ, Florimundum de Beaune in curia Blæſenſi ſenatorem Ioh. Bapt. Morinum prof. Mathemat. &c.

Deinde relictis Pariſiis, vt & fratribus & ſororibus &c. eremum Philoſophicam Egmundæ vbi aliquandiu fuit, mox Endegeſtæ, mox Amſtelodami, mox Leyvardæ

in

in Frisia occid. mox Dauentriæ, rursus prope Harlemum in villula, iterum Hardervvici, mox Vltraiecti, rursus Lugduni Batauorum fuit sed præcipuè in villulis vixit. vbi fecit libros suos hoc ordine, dissertatio de methodo, Dioptrica & meteorologica. Deinde Geometriam, in quam fecerunt notas Florimondus de Beaune & Franciscus Schoten. Postea meditationes & principia Phil. fecit & tractatus de homine, de gener. animalium, & analysim Geometricam quæ breui prodibunt. vt & de mechanica tractatulum quem Bibliopolæ cum duab. Epistolis serinissimæ principissæ Elizabethæ, dedi vt publici fian iuris.

Inter eius amicos & admiratores reponendi sunt C. Salmasius, S. Maresius. Abraamus Heidanus professores Theol. Adrianus Heerebordius, Iac. Golius, Ioh. de Raey med. Gothofredus ab Hastrecht Nobilis Leodicensis, Cornel Hoogland Nobilis Batauus. D. Picot Nobilis Gallus. D. Chilot Mathemat. Et alij innumeri.

Vt lapidem quemdam ad Carteſij Tumulum ornandum etiam afferamus, hoc adhuc de illo accipe Epitaphium.

SIſte gradum, Viator, hic enim in paruulo iſto Sarcophago vir latet quem totus vix olim orbis continere potuerat, ingenio enim ſuo omnes antiquos ſuperauit Philoſophos. Is fuit qui naturæ velum quo ſe ab hominum conſpectu retrahebat ſolus amouit, quique rebus antiquis Nouitatem obſcuris lucem & nouis authoritatem dedit, ſed cum immodicis breuis ſit ætas & rara Senectus, nobis ſubito ereptus eſt, ſenex enim ante ætatẽ ſolitam profundâ ſuâ & vniuerſali eruditione cũ eſſet, mors illum pro vero ſene in ætatis ſuæ flore ſuſtulit lachrymis tuis dignus fuit præfectò, quiſquis es præſertim ſi literariæ Reipublicæ mẽbrũ exiſtas; erat enim Doctorum ornamentum, Philoſophorum gemma, Mathematicorum corona, hominumque omnium decus, virtutes omnes in illo tanquam gratiæ coniunctæ manibus erant adeò vt dubitaſſes quænam earum in eo magis emineret, vt ſol inter aſtra minuta vel Luna inter ignes minores per totum orbem effulſit, cumque non ſibi ſed aliis natus eſſet vnicuique ferè nationi per aliquod tempus ſeſe oſtendit, vt eas gratâ ſuâ præſentiâ erudiret, lugeant ergo omnes immaturum eius obitum eiuſque exemplo cœteri Philoſophi filo Carteſiano quod in ſuis nobis reliquit ſcriptis, è rerum naturæ labyrinthis ſeſe extricare tentent, vt tanquam pygmæi, gygantis illius humeris inſiſtentes aliquid ſi poſſibile ſit vlterius conſpicere valeant ad hominum omnium præcipuè literatorum vtilitatem, propriamque ſuam laudem, noſtri ſemper authoris laudes decantantes quod viam ad abſtruſiora penetranda iis monſtrauerit, quodque veritatis in profundo

delitescentis detegendi amore eremos longissimo tempore coluerit, vt tandem scientia satiati quantum apud homines licet, cum illo ad beatorum sedes conscendere valeant.

Habes ergo, iam benignè lector, promissæ vitæ Cartesij Epitomē, & omniū eorum quæ circa illā ad notitiam nostram peruenire potuerunt, iis fæliciter fruere; si autē tibi hæc grata fuisse perceperimus dabis stimulos ad meliora tibi offerēda vale.

Additio.

Cornel. ab Hogelande cogitationes de existentia Dei & animæ spiritualitate, &c. Cartesio dicauit.

RENATI CARTESII EPISTOLA AD Illustrissimam Principem Palatinam, Bohemiæ Regis natu Majorem, Gallicè conscriptam, nunc vero Latinitate donatam.

ILLVSTRISSIMA PRINCEPS.

Spem meam profectò superauit fauor, quo me excellentia tua manu propria beare dignata est, meliusque eo quo iussa tua ore proprio recipere exoptauerā, defectibus enim meis vtilior valdè fuit, quam si dum Hagam petieram te conuenire, humillimaque salutatione obsequiā mea tibi offerre licuisset, nimiis enim miraculis anima mea in admirationem rapta eodem momento fuisset dumque voces nil mortale sonantes, à corpore illis planè simili, ad cuius ectypum Angelos pictores effingere solent erumpere percepissem, in eandem raptus fuissem ecstasim qua terram deserentes dum Cœlicola-

rum adeunt sedes corripi solent. Quod voces in ore meo proculdubio congelasset, excellentia enim tua in aliis nostris olim colloquiis hunc in me defectum obseruare potuit. Et Clementia tua ei hoc concedere leuamen voluit, cogitationes suas in charta illi relinquens, vt eas multories legere possem, qua lectione iterata minus oculi mei caligare mihi videntur, sed non in minorem rapior admirationem Dum non solum ingeniosas eas primo intuitu, percipio, sed eo magis iudiciosas ac solidas quo illas examinis trutinæ committo & cum maxima asserere possum veritate, quæstionem quam excellentia tua mihi proposuit videri mihi eam esse quam à me post scriptorum meorum Editionem aquius expetere possent cum enim duo in anima humana existant à quibus omnis nostra notitia pendet quam de eius natura habere possumus, quarum prima est, quod cogitat, secunda vero, quod, cum corpori vnita sit, cum eo etiam agere ac pati valet Nil ferè de hac vltima dixi, & primæ tantum explicationi incubui, quoniam præcipuum meum intentum, distinctionem quæ inter corpus & animam intercedit, probare fuit, ad quid hæc tantum vtilis fuit, alia vero nocua fuisset. Sed quoniam E. T. adeo perspicax est vt nil eam effugere valeat modum animæ, cum corpore vnionis mihi effinxi quem & quo pacto vim illud commouendi habeat hic explanare conabor. Primo ergo in nobis certas primitiuas notiones agnosco, quæ tanquam Prototypæ sunt ad quarum exemplaria reliquas nostras notitias effingimus, pauciſſimæque sunt eiusmodi notiones, post enim generaliores, vtpote, existentiæ, numeri durationis, &c. Pro corpore extensionis notionem tantum habemus à quibus figura, motusque notiones originem ducunt: pro anima vero sola, cogitationis solam notionem habemus in qua

mentis perceptiones voluntatiſque inclinationes continentur, tandemque pro anima & corpore conjunctis, illam eorum vnionis, à qua illa virium quibus anima corpus mouere voleat, corpuſque in animam agere paſſiones ſuas ei communicando, ſolummodo habemus. Totam præterea hominum ſcientiam in harum probe notionum diſtinctione, earumque ſigillatim rebus ad quas pertinent attributione, conſiſtere perpendo. Cum enim quadam quæ ei non congruit notione quoddam enodare dubium inſtituimus quin erremus impoſſibile eſt, vt & cum notionum vnam per aliam explanare tentamus, cum enim earum quælibet primitiua ſit, per ſeipſas tantum intelligi queunt; cumque ſenſuum vſus, nobis extenſionis, figurarum, motuumque notiones magis familiares reddidit, præcipua errorum noſtrorum cauſa eſt in eo quod illis vtplurimum notionibus ad rerum ad quas nullo modo pertinent explanationem vtimur. Vt cum imaginatione ad animæ naturam capiendam vtimur, vel cum modum quo corpus ab anima mouetur per modum quo corpus vnum ab alio mouetur enucleare tentamus. Quare, cum in meditationibus, quas E.T. legere dignata eſt, notiones ad animam ſolam pertinentes concipiendas tantum præbere conatus ſum, eas ab iis quæ ſoli debentur corpori diſtinguendo, prima res à me deinde explananda eſt, modus concipiendi eas quæ ad animæ, cum corpore vnionem attinent, ſine illis quæ corpori vel animæ ſolis debentur: ad quid mihi vtile videtur, quod circa finem reſponſi ad ſex objectiones, pag. 382. & 490. Editionis Amſtelodamenſis conſcripſi: alibi enim quam in anima noſtra notiones exquirere non valemus, cum eas omnes à natura ſua, ſortita fuerit, non ſatis ſemper ab inuicem eas diſtinguat, vel objectis ad quæ referri debent

non tribuat : sic existimo nos virium notionem quarum ope anima in corpus agit confudisse cum ea qua corpus vnum in aliud agere solet, ambasque, tribuimus non animæ, cum ad notitiam nostram adhuc non peruenisset, sed variis corporum qualitatibus vtpote grauitati, calori, aliisque quas veras esse nobis suasimus id est separatam ab ea corporis existentiam habere, ideoque substantias esse, licet eas qualitates dixerimus. Vtque nobis innotescerent, nunc notionibus quæ in nobis existunt, ad animam cognoscendam vtimur iuxta id quod eis tribuimus, materiale vel immateriale fuit, exempli gratia, supponendo grauitatem qualitatem realem nobis aliàs ignotam esse nisi in eo quod corpus in quo est versus terræ centrum mouere potest, non difficilè, quo pacto corpus moueat nec quo modo ei conjuncta est concipiemus, neque id Phisico fieri contactu duarum superficierum censemus ; in nobismet enim notionem particularem ad id mente capiendum animaduertimus, & existimo quod male hac notione vtimur, eam grauitati quæ non reuera à corpore distincta est applicando, vt in Phisica ostendam, sed quod nobis concessa fuit vt modum quo anima corpus mouet concipiamus. Ingenium, cui nullum simile, excellentiæ tuæ mihi ignotum esse testarer si copiosioribus vt intelligerer verbis vterer, nimiaque in me jactantia esset si ei penitus responso meo satisfeciisse autumarem, sed vtrumque vitare conabor, nil hisce adjungens nisi, quod si quædam scribere vel fari quæ ei grata esse possint valeam maximo erit mihi fauori Calamo quædam delineare vel Hagam me conferre, nil enim in orbe adeo Charum quam tua iussa capessere mihi est. Sed iurijurando Harpocratis obstringi, quod mihi præscripserat nequeo, cum nil mihi communicare dignata sit quod omnes homines in admi-

rationem rapere non valeat, hoc tantum dicere possum quod Maximi Epistolam tuam faciens, eâ auarorum more circa thesauros suos vtar, eos enim eo magis recondunt quo majoris eos faciunt, cumque reliquis hominibus eos non exponant, summum suum bonum in eorum contemplatione collocant, sic solus eam oculis vsurpandi gaudio frui non dolebo, màjorque mea ambitio est vt verè dicar,

SERENISSIMA PRINCEPS,

Humillimus tuus ac obedientissimus seruus.
DESCARTES.

Egmund. 7. Maij 1643.

ALIA EIVSDEM CARTESII ad eandem Principem Epistola.

SERENISSIMA PRINCEPS,

Maximis Excellentiæ tuæ deuinctus sum beneficiis quod postquam infœlicem meam in præcedentibus meis Epistolis explanationem videris, circa quæstionem mihi à te propositam, me adhuc de eadem re dissentem audire cupieris, mihique rerum obmissarum

Obseruandi ansam dederis, quarum præcipuæ mihi esse videntur quod postquam tria notionum, primitiuarum genera quarum quælibet modo speciali & non mutua collatione dignoscitur, distinxissem, nempe notionem quam de anima habemus, eam corporis, & illam vnionis animæ cum corpore, differentiam quæ inter has tres notiones & animæ operationes quarum ope eas habemus intercedit explanare debebam & modum quo earum quælibet nobis familiaris facilisque reddi posset enarrare, postea cum dixissem cur grauitatis similitudine vsus essem ostendere meum erat quod licet animam tanquam Materialem homines concipere velint, quod eius cum corpore nexum propriè est concipere, nil tamen impedit quominus ab illo separari possit imaginemur, quod totam materiam mihi ab E. T. præscriptam vt autumo complectitur Primo ergo magnã inter hæc tria notionũ genera differẽtiã percipio, cũ nil anima nisi per mentem, concipiat. Per corpus, id est extensionem, figuras. motus vero mente sola etiam sed melius mente imaginationi coniuncta cognosci possunt, & tandem res quæ corporis & animæ vnionem attinent mente solâ obscurè tantum innotescunt imo & mente imaginationi coniuncta, sed sensibus manifestissimæ cognoscuntur, quoniam illi qui nunquam Philosophantur, solisque suis sensibus vtuntur, corpus ab anima moueri corpusque in animam agere non ambigunt sed vtrumque tanquam rem solam perpendunt, id est eorum vnionem mente capiunt, duarum enim rerum nexum concipere est eas tanquam rem solam concipere, & cogitationes Metaphysicæ quæ puram occupant mentem, ad animæ notionem nobis familiarem reddendam vtiles sunt, studiumque Matheseos quod imaginationem nostram figurarum & motuum consideratione aperire

aperire solet. Nobis notionum corporis, optimè distinctarum efformandi facultatem acquirit, tandem vitæ vsu, solitarumque confabulationum, & rerum quæ imaginationem occupant abstinentia earumq; meditationis ac studij, corporis ac animæ vnio concipitur. Metuo ferè ne E.T. me hic serio non loqui existimet sed hoc reuerentiæ ei debitæ in qua nunquam peccare decreui repugnaret, veréque affirmare possum normam præcipuam à me semper in cognitionibus meis obseruatam, fuisse, quod paucissimas horas quotidie circa cogitationes imaginationem meam exercentes adhibui, paucasque quotannis pro iis quæ mentem solam exercent, residuum enim sensuum recreationi animique quieti concessi; & omnes serias confabulationes inter imaginationis exercitia & quidquid attentionem nostram expetit, repono ideoque villulam petij, licet enim in Vrbe omnium celeberrima tot otij horas, quot iam studij habere potuissem, non tamen eas adeo vtilè post animi mei ob vitæ negotia fatigationem insumere valuissem. Quod E.T. scribere audeo, vt asseram illi quod non mediocriter miror quomodo inter negotia nunquam iis qui Clara stirpe ac ingenio pollent deficientia, tempus habere potuerit vt meditationibus quæ ad distinctionem inter animam & corpus intercedentem cognoscendam requiruntur incumberet. Sed existimaui has Meditationes quæ minorem quam cogitationes attentionem postulant ei maiorem obscuritatem in notione quam de earum vnione habemus dedisse, impossibile enim videtur, quod humanum ingenium separatim eodemque tempore distinctionem inter animam & corpus eorumque vnionem capere possit, quoniam ad hæc tanquam vnica res, simul vero tanquam binæ, quod sibi aduersatur, concipi debent. Ideoque supponendo, E.T. ra-

tiones quibus animæ & corporis distinctio comprobatur in animo suo præsentes habuisse, cumque nollem vt eas reiiceret vt vniones quas semper quilibet in semet absq; vlla Philosophia experitur sibi effingeret sciretque vnicum hominem corpus & cogitationem simul habere quæ ita se habent vt hæc cogitatio corpus mouere & accidentia quæ ei contingunt percipere possit. Grauitatis similitudine antea aliarumque qualitatum quas corporibus quibusdam vnitas esse existimamus eodem pacto quo cogitatio cum nostro vnita est vsus sum, neque curaui an similitudo hæc in hoc titubaret quod qualitates illæ non reales sint vt censentur, quoniam vidi E. T. animam esse substantiam à corpore planè separatam tenuisse, sed cum E. T. facilius esse censeat, materiam intentionemque animæ tribuere quam potentiam corpus mouendi vel ab eo absque materia, moueri, optarim vt hanc extensionem ac materiam, animæ concedere velit; hoc enim idem est ac si eam corpori vnitam concipiamus, cumque hoc probè apud teipsam conceperis & in temet experta fueris, facillimum erit tibi perpendere Materiam quam huic cogitationi tribueras, ipsissimam esse cogitationem, extensionemque illius Materiæ aliam ab extensione illius cogitationis naturam sortitam esse, hic enim prima ad certum locum determinata est à quò omnem aliam excludit extensionem quod non in secunda reperies, sicque E. T. non minus facilè ad distinctionis animæ à corpore notitiam licet eorum vnionem conceperit deueniet. Tandem, cumque valdè necessarium esse autumem semel in vita Metaphysica principia intellexisse cum ea sint à quibus Dei, animæque nostræ notitiam depromimus, necessarium etiam censeo mentem in eorum Meditatione occupare cum circa functiones imaginationis ac sensuum occupari

cum eadem facilitate valeret, sed melius est, si contenti simus, memoriæ fideique nostris conclusiones semel elicitas committamus, deinde tempus residuum studio, cogitationibusque, in quibus mens cum imaginatione ac sensibus agunt. Maximus E. T. obsequia præstandi ardor quo flagrò efficit vt libertatem meam ei non ingratam fore sperare ausus fuerim, meque hic ad maiorem enarrationem faciendam impulisset, in qua nunc omnes difficultates, auferre propositæ quæstionis enodare conatus fuissem, sed importunum nuntium iamiam mihi delatum, quo à magistratu Trajecti compellor vt quæ aduersus vnum ex suis Pastoribus scripsi comprobem licet homo sit à quo indignissimis calumniis denigratus fui, cumque quæ in iusta Apologia mea conscripsi cunctis innotescat, coronidem huic Epistolæ imponere me inuitò cogit, vt videam quo pacto me breui ab illis litigationibus extricare possim, sum

SERENISSIMA PRINCEPS,

Excellentiæ Tuæ,

Humillimus & obsequentissimus
seruus.

DESCARTES.

Diploma Regium.

CAVTVM est Diplomate Regio anni 1653. 10. Nouembris ne quis Vitas Philosophorum quorundam à PETRO BORELLO Medico Regio, compositas in lucem edat, conjunctim vel separatim post quinquennium à singulis editionibus, ne graues pœnas in eo enarratas incurrat. Et DICTVS BORELLVS, ius suum IOHANNI BILLAINE, & MATHVRINO DVPVIS, Bibliopolis Parisiensibus concessit, pro prima VITÆ CARTESIJ Editione.

Errata hæc corrige.

Pag. 5. lin. 10. pro remoratus, lege detentus. p. 7. l. 18. leg. cum nil. p. 9. l. 9. dele, eorum. p. 9. l. 2. pro, Iesuitæ, lege, Patres Doctrinæ Christianæ, p. 29. l. 7. lege sputum. p. 41. l. 2. lege opponam.